








MONUMENTA
ORDINIS
FRATRUM PRAEDICATORUM
HISTORICA

TOMUS XI.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. VI.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1902

ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM
VOL. VI.

AB ANNO 1601 USQUE AD ANNUM 1628

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. ANDREAE FRÜHWIRTH

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT


FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1902



LECTORI

Seriem capitulorum generalium, quorum acta in hoc tomo continentur, sequens schema una cum loco, ubi acta typis prodierunt, exhibet:

Capitula celebrata		*Acta typis excusa*
Romae	a. 1601	Ibidem, apud Carolum Vulliettum 1601.
Vallisoleti	a. 1605	Romae, apud » » 1605.
Romae	a. 1608	Ibidem, apud » » 1608.
Parisiis	a. 1611	Romae, apud Aegidium Spadam 1612. Iterum Romae et Bononiae, apud Bartholomaeum Cochium 1612.
Romae	a. 1612	Ibidem, apud Aegidium Spadam 1612.
Bononiae	a. 1615	Venetiis, apud Evangelistam Deuchinum 1615.
Ulyssipone	a. 1618	Hispali, apud Franciscum de Lyra 1619. Iterum Antverpiae, apud Henricum Artssium 1620.
Mediolani	a. 1622	Bononiae, apud Haeredes Ioannis Rossii 1622.
Tolosae	a. 1628	Romae, apud Haeredem Bartholomaei Zanetti 1629.

Actis capituli generalis Romae celebrati anno 1608 additur duplex *Imprimatur* hoc modo: *Imprimatur. Si videbitur R. P. M. Sacri Palatii Apostolici.* — Caesar Fidelis Vicesg.

Imprimatur. Fr. Ludovicus Ystella Magister Sacri Palatii Apostolici.

Alia praeter ea, quae in volumine praecedenti iam exstant, praeambula ponendi hic nulla necessitas.

Gratias debeo singulares dilecto fr. Pio Bazan, moderno praefecto bibliothecae conventus nostri Vindobonensis, qui editionem alteram capituli Ulyssiponensis, Antverpianam scilicet, studiose quaesitam et in dubiis quibusdam cum Hispalensi collatam huic recognitioni adaptavit.

Dabam Romae, die festo s. Mauri, 15 ianuarii 1902.

Fr. Benedictus Maria Reichert
Ord. Praed.




ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. VI.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS PRAEDICATORUM



In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI
IN CONVENTU PRAEDICATORUM
SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES
ANNO DOMINI ·M°·D°·CI°·

Sub reverendissimo patre fr. Hieronymo Xavierre (1) sacrae theologiae professore, in eodem capitulo summo patrum consensu in generalem magistrum totius ordinis praedicatorum electo, diffinientibus communiter reverendis patribus provincialibus et diffinitoribus infrascriptis, videlicet:

fr. Ludovico de Castes (2) praedicatore generali provinciali Tolosano,
fr. Innocentio Granelo de Florenciola (3) magistro provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Philippo Brandolino (4) provinciali Romano,
fr. Seraphino de Neapoli (5) magistro provinciali Regni,
fr. Conrado Zittardo (6) praedicatore generali provinciali Theutoniae,
fr. Alberto Segovio (7) magistro provinciali Poloniae,
fr. Ludovico Ystella (8) magistro provinciali Terrae sanctae,

---

(1) De fr. Hieronymo Xavierre cf. MOPH. X, 221, 253.
(2) De fr. Ludovico de Castes cf. l. c. pag. 387.
(3) De fr. Innocentio Granelo cf. l. c. pag. 349.
(4) De fr. Philippo Brandolino cf. MASETTI *Monumenta et Antiquitates* II, 78.
(5) De fr. Seraphino de Neapoli cf. MOPH. X, 380, 402.
(6) De fr. Conrado Zittardo cf. l. c. pag. 268.
(7) De fr. Alberto Segovio cf. l. c. pag. 344.
(8) De fr. Ludovico Ystella cf. SSOP. II, 391.

fr. Himberto Borrilo (1) magistro provinciali Provinciae,
fr. Vincentio Ismargio (2) praesentato provinciali Trinacriae,
fr. Ioanne Dominico Gallo magistro provinciali s. Thomae,
fr. Vincentio de Agropterea (3) magistro provinciali Calabriae,
fr. Ioanne de las Cabecas (4) magistro provinciali sanctae Crucis,
fr. Didaco de Ayala (5) magistro provinciali s. Io. Baptistae del Perù,
fr. Stephano Mario magistro provinciali Occitanae,
fr. Livio de Trevisio (6) magistro provinciali sancti Dominici,
fr. Antonino de Praemislia (7) magistro provinciali sancti Hyacinthi de Russia,
fr. Didaco Peredò (8) magistro diffinitore Hispaniae,
fr. Petro de Riperia praedicatore generali diffinitore Tolosano,
fr. Petro Polibert (9) magistro diffinitore Franciae,
fr. Petro Maria de Urgnano inquisitore Cumano diffinitore Lombardiae,
fr. Paulo de Cortona (10) magistro diffinitore Romano,
fr. Marco Marcianesio (11) magistro diffinitore Regni,
fr. Hyacintho Succio (12) magistro et priore Cracoviensi diffinitore Poloniae,
fr. Antonio Font (13) magistro diffinitore Aragoniae,
fr. Petro Bovetto diffinitore Provinciae,
fr. Decio Luisi magistro diffinitore Trinacriae,
fr. Petro Martire (14) magistro diffinitore Portugalliae,
fr. Francisco Bello praesentato diffinitore Bethicae,
fr. Dominico Anselmi magistro diffinitore Germaniae inferioris,
fr. Vincentio Gallo magistro diffinitore sancti Thomae,
fr. Ioanne Baptista de Polistina (15) magistro diffinitore Calabriae,

---

(1) De fr. Himberto Borrilo (Humberto Barillo, Borigli) cf. MOPH. X, 214, 221, 225, 302.
(2) De fr. Vincentio Ismagio cf. l. c. pag. 376, 403.
(3) De fr. Vincentio de Agropterea cf. l. c. pag. 222, 302.
(4) De fr. Ioanne de las Cabecas (Cavezas) cf. l. c. pag. 380, 404.
(5) De fr. Didaco de Ayala cf. l. c. pag. 404.
(6) Idem esse videtur ac Livius Leonius, de quo l. c. pag. 380.
(7) De fr. Antonino de Praemislia cf. l. c. pag. 363.
(8) De fr. Didaco Peredò (de Peredo) cf. l. c. pag. 301.
(9) De fr. Petro Polibert (Poilvert) cf. l. c. pag. 345.
(10) De fr. Paulo de Cortona cf. l. c. pag. 349.
(11) De fr. Marco Marcianesio cf. l. c. pag. 343.
(12) De fr. Hyacintho Succio (Suscio) cf. SSOP. II, 327.
(13) De fr. Antonio Font cf. MOPH. X, 253.
(14) De fr. Petro Martyre cf. l. c. pag. 400.
(15) De fr. Ioanne Baptista de Polistina cf. l. c. pag. 302.

fr. Raphaele de Sandoval diffinitore s. Iacobi de Mexico,
fr. Michaele de Aguirre (1) praedicatore generali diffinitore s. Ioannis Baptistae del Perù,
fr. Dominico Gonzalez diffinitore s. Antonini de novo Regno,
fr. Petro de Costa praesentato diffinitore Occitanae,
fr. Alphonso Soto magistro diffinitore sancti Dominici,
fr. Marco Flores diffinitore s. Catherinae del Quito,
fr. Antonio Negrete diffinitore s. Hippolyti de Oaxaca,
fr. Nicolao de Leopoli diffinitore s. Hyacinthi de Russia.

Universis et singulis patribus et fratribus ordinis praedicatorum
fr. Hieronymus Xavierre Caesaraugustanus,
totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus, salutem.

Si alta mente perpendere velimus, patres ac fratres in Christo dilectissimi, totius orbis productionem, inter multa, quae nostrum animum in maximam admirationem et gaudium rapere possunt, non infimum obtinebunt locum verba illa a Moyse relata a summoque opifice prolata: « Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum » (2) etc. Quis enim, postquam in locum unum recesserant aquae a voce tonitrui Domini formidantes, superficiem terrae contemplatus, inanem et vacuam, siccam et aridam, immo quoddam arenarum pelagus videns summo moerore non fuisset affectus? Verum statim atque Deus dixit: « Producat terra » (3) etc., quanta laetitia exultasset, cum in eodem instanti vidisset eam vestiri tanta varietate herbarum, tanta diversitate florum. tanta multitudine arborum? Hinc scaturientes conspexisset fontes, crystallinas propinantes aquas, illinc praealtos montes, refugia praeparata cervis; hinc ridentia prata variorum florum odorem spirantia, illinc vastissimos campos, humilibus pecoribus dulcissimos administrantes cibos, ac denique ipsas arbores simul floribus albescentes, foliis virentes, fructus suavissimos hominibus porrigentes. Sed multo maiorem laetitiae ansam praebere videtur perpetuitas virtutis huius foecundatricis eidem terrae communicata, qua tanquam hominum serva singulis annis pensum reddit, censum solvit, ac veluti triumphans, tributum domino suo exhibet, non quidem timore servili, sed filiali respectu tantaque exultatione, ut, cum tempus fructuum advenerit, novo videatur repleri gaudio; inde est, ut laetabunda, eliminato iam brumae

(1) De fr. Michaele de Aguirre cf. l. c. pag. 380.
(2) *Gen.* I, 11.
(3) *Ibidem* I, 24.

tempore, fugato sicco et frigido aquilone, flante calido, humidoque austro, novam laetitiam gestiens se totam viridi amiciat habitu vere adveniente, quinimmo ipsae arbores tam gratulabundo affectu gemmas, flores, folia ac fructus producunt offeruntque hominibus, ut, si quando ob negligentiam eorum non legantur, ipsae ramos extendant, inclinent ac fructus deducant, quod si non carpantur, marcescunt, pallent mortalibusque proiiciunt, tristitiam prae se ferentes summam.

Non aliter quidem videtur nostro contigisse ordini, quando a manu summi opificis prodiit conflata terra, sanctorum ferax, omniumque virtutum perfoecunda generatrix, adeo ut sicubi infoecunda et sterilis sibique dissimilis aliquibus videatur, ibi tamen multarum virtutum germina semper alat. Quis non miretur initia alta radicesque profundas fructusque perdulces nostrae religionis? Quando visus est Deus dicere: « Producat terra herbam virentem » qua virtute, qua foecunditate, qua promptitudine mandatis obtemperavit divinis? Ibi conspexisses inter medium montium pertranseuntes aquas Deumque emittentem fontes in convallibus, doctores scilicet nostros humillimos, primum protoparentem beatissimum Dominicum, d. Thomam, b. Albertum Magnum ac alios inter montes antiquorum patrum, et ex ipsis crystallinas derivantes aquas populisque propinantes in convallibus humilitatis, humillime de se sentiendo conversantes; ibi excelsos montes refugia cervorum vidisses; innumeros, inquam, exercitus Inquisitorum, qui nec laboribus parcentes nec propriae consulentes vitae, sanguine proprio fidei vexilla veluti roseo colore tingentes, haereticorum rabiem fugientibus sese petras refugii exhibebant; ibi vastissimos campos variarum arborum, mirabilium herbarum, ingentium pascuarum multitudine concitos fuisses contemplatus, videlicet Hyacinthos, Raymundos, Antoninos, Vincentios innumerosque alios, qui pascentes gregem Domini doctrinis caelestibus, eorum corpora et animos infinitis affecerunt beneficiis; ab his illuminatio coecorum, gressus claudorum, effugatio daemonum, verborum loquela, mundicies a lepra, conculcatio undarum, compressio impetus ignis, ac demum resurrectio mortuorum facillime sperabatur nec frustrata spe. Tanta denique ista sancta terra sanctorum congerie sese videbat circumamictam, ut cum propheta posset cantare « Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circundedit me, quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis » (1); sicut enim terra profert germen suum et sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam et laudem coram universis gentibus.

---

(1) *Is.* LXI, 10.

Sed nunquid cum vetustate sterilitatem contraxit ista religio? Nunquid senectus infoecunditatem subministrat? Absit; sicut enim terra in prima sui conditione virtutem generatricem recepit, non solum ut tunc temporis seipsam diversis vestiret plantis, sed ut in perpetuum generaret, sic nostrae contigit religioni. Nunquid enim quae alios parere facit, ipsa non pariet, et quae caeteris generationem tribuit, sterilis erit? Absit; ingemiscit enim et parturit infinitos filios Filio Dei usque adhuc. Vidimus enim nostris oculis et manus nostrae contrectaverunt, multos in nostra nunc florere tempestate. Quot Bertrandos, Micones, Vincentios a s. Stephano, Paulos aliosque tum in Hispaniis tum in Italia aliisque regnis virtutibus emicantes clarisque operibus coruscantes quotidie experimur? Quid referam, quanta Deus per patres nostros in novi orbis remotissimis partibus dignatur operari? Ibi religionem cum fide permiscentes, quotidie imperium Christi ac Sanctae Romanae Ecclesiae ditionem per infinitas regiones dilatant, sermonem eorum sequentibus signis Domino confirmante, ibi coeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt ac denique pauperes evangelizantur. Magnam igitur omnia ista gaudii et laetitiae mihi materiam suppeditant, magnamque gratias agendi Deo obligationem inducunt.

Congaudeo ergo, patres, vobis omnibus, sed superabundarem gaudio, si vos omnes ad istorum patrum speculum et exemplar vitam vestram componeretis. Terra, terra, terra, audi verbum Domini. « Producat terra herbam virentem »; ecce verbum Domini. O mira terrae obedientia, o detestanda hominum inobedientia. Sex ab hinc annorum millibus hoc a Deo recepit praeceptum, quod nunquam est transgressa, sed singulis annis germinat herbam virentem. Audit terra verbum Domini, cor autem hominis saepe surdescit, immo et reluctatur. Non sit ita, patres ac fratres dilectissimi, sed audite verbum Domini, germinet terra cordis vestri herbam virentem, lilia castitatis, rosas patientiae, violas humilitatis ac denique producat fructus charitatis. Quod si inimicus homo aliqua superseminaverit zizania, ecce vobis modo offerimus ligones, quibus ea eradicantes sinatis virtutum semina adolescere; ecce tot tantaque tum a sanctissimo domino nostro tum a religiosissimis vestris patribus proposita statuta, quibus evellentes, destruentes et dissipantes mala gramina vitiorum, sinatis bona virtutum opera crescere usque ad messem, ut sic ab illo, cuius ventilabrum in manu sua, in horreum sempiternae foelicitatis introduci mereamini.

Valete in domino et illum pro me orate.

Romae in nostro conventu sanctae Mariae super Minervam die 20. Iunii 1601.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatae Mariae semper virginis, beati Dominici patris nostri, omnium sanctorum et sanctarum Dei.

Haec sunt acta, quae in eodem capitulo 1601 pro conservanda augendaque religione, Deo dante, proponuntur.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus omnibus fratribus nostri ordinis, fuisse in hoc capitulo generali canonice et legitime electum in generalem magistrum nostri ordinis reverendissimum patrem, sacrae theologiae professorem, fratrem Hieronymum Xavierre Caesaraugustanum (1), ex provinciali Aragoniae assumptum, eundemque sanctissimo domino nostro papae Clementi octavo solemni processione oblatum et ab eo hilari vultu exceptum et acceptatum fuisse.

2. Denuntiamus, ex speciali divina erga religionem nostram benignitate et clementia a ss. d. n. Clemente octavo dominica in octava Paschae, quae fuit 29 aprilis praesentis anni, solemnissime in nova ecclesia s. Petri in Vaticano fuisse relatum inter sanctos beatum Raymundum Barcinonensem, olim tertium nostri ordinis generalem et Gregorii IX poenitentiarium, doctorem eximium mirabiliumque patratorem; eius vero festum 7 ianuarii debere celebrari, a praefato summo pontifice statutum. Quare sub toto duplici a tota nostra religione mandamus celebrari, habeatque sicut caeteri sancti nostri ordinis suas octavas (2).

3. Denuntiamus, ut magis ac magis erga nostrum ordinem pientissimum animum atque amorem idem ss. d. n. ostenderet, facultatem concessisse celebrandi festum b. Agnetis virginis de Monte Politiano, monialis ordinis nostri, in quibuscunque ecclesiis tam virorum quam mulierum eiusdem ordinis in qualibet parte totius orbis 20 aprilis, ut patet per eius breve datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 23 februarii 1601, pontificatus sui anno decimo (3).

4. Denuntiamus etiam omnibus fratribus nostri ordinis, ex indulto eiusdem ss. d. n. Clementis octavi festum sancti Hyacinthi debere celebrari quotannis dominica infra octavas Assumptionis b. Virginis Mariae.

5. Denuntiamus, eundem ss. d. n. vivae vocis oraculo nobis concessisse, ut quotiescunque contingat propter aliquod impedimentum festum alicuius sancti nostri ordinis in alium diem transferri, indulgentias quoque pro eodem festo concessas ad diem eiusdem sancti celebrationis transferri.

---

(1) De fr. Hieronymo Xavierre cf. supra pag. 1.
(2) Cf. BO. V, 580 n. XC.
(3) Cf. l. c. pag. 577 n. LXXXVII.

6. Denuntiamus, servandam esse ad literam constitutionem sanctissimi domini nostri Clementis octavi de largitione munerum utriusque sexus regularibus interdicta, irritam et inanem decernentes ex mandato eiusdem sanctissimi declarationem eiusdem constitutionis, factam in capitulo generali Valentiae celebrato anno 1596 (1).

7. Denuntiamus, ss. d. n. Clementem octavum ordinationem edidisse sequentis tenoris: nullos fratres Romam venire superiores permittant, nisi prius a generali dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire praesumpserit, voce activa et passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu superiorum infligendas poenas. Quae item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint et receperint, sine ulla exceptione locum habeant. Inter poenas autem arbitrarias hanc idem ss. d. n. expressit, ut huiusmodi fratres in carceribus per sex menses detineantur, prohibetque, ne huiusmodi poenae possint ab eorum superioribus remitti, cum earum dispensationem et relaxationem sua sanctitas sibi reservaverit.

8. Denuntiamus, ss. d. n. Clementem octavum concessisse breve quoddam tenoris sequentis: Clemens papa octavus ad perpetuam rei memoriam. Romani pontificis circumspecta benignitas honestis petentium votis, quae personarum sub religionis iugo altissimo famulantium statum et salubrem directionem respiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit et favoribus prosequitur opportunis. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis ordinis fratrum b. Mariae de Monte Carmelo, quod cum in bulla cruciatae sanctae et aliis privilegiis, quae ab apostolica sede concedi solent, detur facultas eligendi confessorem idoneum ab ordinario approbatum, qui possit Christifideles absolvere a casibus ordinario reservatis et a quibusdam etiam, quae dictae sedi reservata sunt, religiosi dicti ordinis seu eorum nonnulli etiam iis facultatibus uti praesumunt et illorum praetextu eligunt confessorem aliquando praeter eos, qui a suis praelatis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum. Quare praedictus procurator generalis humiliter nobis supplicari fecit, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem sanctae cruciatae et aliorum indultorum particularium, quantum ad praedictum articulum eligendi confessorem et absolvendi a casibus reservatis cum fratribus et sororibus monialibus ordinis praedicti ac aliorum quorumcunque ordinum et congregationum, cuiusvis instituti mendicantium et non mendicantium tam provinciae Hispaniae, quam extra eam ubili-

(1) Cf. MOPH. X, 375 sqq.

bet, locum minime habere neque censeri, sed nostrae intentionis existere, quod iidem fratres et moniales quantum ad sacramentum poenitentiae seu confessionis administrationem dispositioni suorum praelatorum subiecti sint, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo declaramus. Eisdem tamen praelatis, uti in usu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos et faciles exhibeant, praecipimus et mandamus, non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis praedicti etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 23 nov. anno 1599, pontificatus nostri anno 8.

M. Vestrius Barbianus.

Romae apud impressores Camerales.

Nos igitur praedictum breve tam utile immo et tam necessarium nostro ordini acceptando recipimus pro omnibus patribus et fratribus et monialibus totius nostri ordinis.

9. Denuntiamus, factam fuisse in hoc capitulo generali incorporationem conventuum provinciae Saxoniae cum provincia Theutoniae, et praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus fratribus illorum conventuum, ut in posterum rev. patrem provincialem provinciae Theutoniae tanquam suum legitimum caput et pastorem agnoscant ac revereantur, ad illumque pertineat de illis conventibus diligentem curam habere.

10. Denuntiamus, conventum s. Petri Martyris del Quiro esse collegium et generale studium, sicut olim iam institutum erat.

11. Denuntiamus, vicariam s. Petri Martyris erectam esse in provinciam, sicut modo de facto erigimus, dantes ei omnes gratias, immunitates et privilegia, quibus caeterae provinciae nostri ordinis gaudere solent, eiusque vicarium reverendum admodum p. fr. Camillum Ballianum (1) magistrum, inquisitorem Derthonensem, provincialis titulo decoramus.

12. Denuntiamus pariter, erectam esse in provinciam congregationem Aprutinam s. Catherinae de Senis cum omnibus gratiis, immunitatibus et privilegiis caeteris provinciis concessis, eiusdemque vicarium in provincialem ei assignamus locumque infra omnes provincias hactenus institutas praefigimus.

---

(1) De fr. Camillo Balliano cf. MOPH. X, 345.

13. Denuntiamus, rev. p. magistrum generalem instituisse in procuratorem generalem totius ordinis nostri admodum rev. patrem magistrum fr. Marcum de Martenisio provinciae Regni.

Et in provincialem Terrae sanctae rev. admodum patrem magistrum fr. Ludovicum Istella provinciae Aragoniae.

Declarationes.

1. Declaramus, constitutionem nostram circa locum, quem tenere debeant patres, qui fuerunt provinciales, omnino debere observari, ita ut, si alicubi propter abusum non observatur, omnino deinceps exequutioni mandetur, consuetudinibus particularibus in oppositum introductis non obstantibus, quibus praesenti statuto derogamus. Declaramus insuper, standum esse declarationi septimae capituli generalis Neapolitani, quam praesenti statuto confirmamus et innovamus.

2. Declaramus, constitutionem illam de mense electionis etc. debere sic intelligi, mensem electionis incipere a die notitiae carentiae prioris, infra quem mensem debent electores canonice aliquem eligere; quod si sic non elegerint, etiamsi actus aliquos electionis, vel ad electionem pertinentes fecerint, statim transacto illo primo mense devolvatur ius ad provincialem. Quod si canonice aliquem elegerint et contigerit cassari electionem, incipiat denuo alter mensis electionis a die, quo canonice constiterit conventui de praedicta cassatione.

3. Declaramus, quod quotiescunque maior pars electorum in aliquo conventu expetierit a suppriore vel vicario, si non adsit supprior, ut congreget capitulum ad electionem, et ipse renuerit, tunc antiquior ex omnibus electoribus poterit congregare capitulum et ad electionem procedere; quod si iste noluerit, alius antiquior post ipsum et sic de caeteris, donec ad electionem procedatur.

4. Declaramus, quod fratres extra ordinem commorantes, etiamsi alicui inserviant cathedrali ecclesiae, vel ibi sint lectores, nec activam nec passivam habent vocem.

5. Ordinationem decimam factam apostolica auctoritate in capitulo Valentino, quod fratres non admittantur in quavis electione canonica, quin duodecimum annum a professione compleverint etc., eadem auctoritate apostolica declaramus, debere etiam intelligi de electione sociorum euntium ad capitulum provinciale et de tertiariis, quae solemniter sunt professae. Quod si in aliquo conventu non reperiantur nisi duo vocales, tunc adiungantur usque ad quinarium numerum ex his, qui habent quatuor annos a professione suntque in sacris, incipiendo ab antiquioribus; quod si tot non suppetant, addantur saltem usque ad numerum ternarium, et sic poterunt ad electionem procedere; si autem tot non reperiantur, tunc devolvitur electio ad reverendos patres provinciales, qui de

consilio quatuor ad minus patrum graviorum maxima cum consideratione providere debebunt, eorumque conscientias super hoc aggravamus.

6. Declaramus, quod quando priores tempus sui prioratus in capitulo provinciali compleverint, tenentur electores praestolari socios et eos, qui ad capitulum provinciale profecti erant, usque ad sabbatum sanctissimi festi Pentecostes exclusive et tunc procedere ad electionem prioris, nisi forte ante talem diem illi, qui ad capitulum provinciale accesserant, reversi fuerint.

7. Declaramus, in provincia Franciae non posse provinciales in suo perdurare officio plusquam per quadriennium, quod etiam in provincia inferioris Germaniae omnino observari volumus.

8. Declaramus, ordinationem 35. capituli Veneti pro congregatione Gallicana extendendam esse ad provinciam Franciae, videlicet magistros in theologia electos in priores aliquorum conventuum teneri acceptare praedictos prioratus.

9. Declaramus, in provincia Tolosana priores titulares, quotquot illi sint, privandos esse tali titulo, sicut de facto eos nunc privamus, decernentes nullo modo in posterum huiusmodi titulos esse dandos vel admittendos.

10. Declaramus, ex mandato ss. d. n. Clementis octavi fratres reformatos Neapolitanos vel quoscunque alios similem vivendi normam in posterum sectaturos ad easdem provincias pertinere, ad quas ante reformationem spectabant et habere vota in capitulis provincialibus et generalibus, sicut alii fratres earundem provinciarum respective, licet provincialibus non sint subiecti, sed suis tantum superioribus, sicut hi reverendissimo patri generali.

11. Declaramus, conventum Bolzanensem pertinere ad provinciam Theutoniae; et praecipimus omnibus patribus et fratribus dicti conventus, ut reverendo patri provinciali Theutoniae obediant tanquam legitimo patri et pastori.

12. Declaramus, rev. p. fr. Vincentium Caucasium de Neapoli magistrum esse filium conventus s. Thomae de Aquino Neapolitani.

Confirmationes.

1. Confirmamus in primis ordinationem factam in capitulo Valentino, quod graduati quilibet ad sequelam chori teneantur, praedicatoribus, lectoribus et magistris in theologia actu legentibus duntaxat exceptis, pro quibus laudabiles consuetudines provinciarum respective servabuntur, iuxta contenta in declarationibus nostrarum constitutionum dist. 1, cap. 1.

2. Confirmamus illam de capitulo habendo de quindena in quindenam, quin etiam mandamus id fieri qualibet hebdomada, in quo inter

reliqua tenebuntur praesidentes culpas subditorum audire, unius chori ad minus.

3. Confirmamus, quod pro voto paupertatis, uti decet, servando et vitio proprietatis penitus eradicando sancte saepe saepius statutum fuit, potissimum quod deposita nonnisi in moderata quantitate ad determinatum idque breve tempus vel usum concedantur. Et quia praefatam ordinationem minus diligenter, quam par sit, a nonnullis observari intelleximus, alios vero sub praetextu determinati usus suam legis inobservantiam palliare, quasi licitum illis sit, longo tempore sub tali praetextu in deposito pecunias habere, quas et pro occurrentibus usibus indifferenter postmodum expendunt, declaramus, quod ubi praelatus determinaverit praesentatis sibi a subditis pecuniis, pro quo usu determinato specialiter in deposito adservari debeant, non licere subdito in alios usus easdem pecunias expendere nec praelato facultatem eidem ad id tribuere, quem virtute praesentis decreti tali potestate privamus. Quare vitium proprietatis incurret subditus huic statuto contraveniens et vitium usurpatae authoritatis praelatus, in cuius poenam ab officio absolvi debebit. Sciant perinde, qui pecunias undequaque habuerint, teneri infra terminum viginti quatuor horarum easdem praelato suo praesentare et de eius licentia in communi deposito ponere, ita enim praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, a qua lege nec praesidentes locorum aut conventuum eximuntur. Declarantes, quod hospites pariter eidem subduntur legi, ita ut, si ultra sex dies in aliquo morabuntur conventu, teneantur quamlibet pecuniarum summam in communi eius conventus deposito reponere nec sine licentia praelati illius conventus, in quo commorantur pro quibuslibet negotiis aut occurrentibus necessitatibus expendere poterunt. Declaramus autem hoc de hospitibus eiusdem provinciae solum debere intelligi.

4. Confirmamus et illam, qua omnibus praesidentibus provinciarum, congregationum et vicariarum in provinciis et conventibus, ubi commode fieri poterit, mandatur, ut curent certam notitiam habere de reditibus tam certis quam incertis omnium conventuum et locorum suae curae subditorum, et conformiter ad ipsos de graviorum patrum consilio ipsis singulis determinatum numerum fratrum praefigant, ultra quem ad praefatos conventus plures fratres ipsi praesidentes non mittant, ut religiosis necessitatibus eorundem fratrum semper provideri possit, et multa vitentur incommoda. Addentes, quod subinde ad reverendissimum p. generalem mittere debeant catalogum omnium conventuum et locorum sibi subditorum, apposito ad ipsorum singulos numero fratrum, quem religiose sustentare possunt, una cum numero omnium fratrum, qui praesentialiter in ipsa sua provincia, congregatione vel vicaria modo repe-

riuntur, ut possit de opportuno remedio iuxta cuiuscunque provinciae necessitatem deliberare.

5. Confirmamus ordinationem illam de examinandis omnibus exponendis ad audientiam confessionum, admittendis ad officium praedicationis et ad sacros ordines, quos omnes per vota secreta approbari volumus. Circa graduandos autem confirmamus ordinationem 15. capituli Valentini, declarantes, non esse intelligendam de baccalaureis et magistris, qui secundum nostras constitutiones tempus praefixum legerint, tollentes etiam a praedicta ordinatione poenam excommunicationis; in provinciis autem Galliarum servandum esse morem earum, quantum ad eos qui rigorose apud saeculares examinantur, decernimus; in aliis vero ordinationem praedictam servari inviolabiliter volumus.

6. Confirmamus ordinationem octavam capituli Valentini, videlicet: Neminem a quacunque religione expulsum ad habitum nostrum recipi posse; quod si receptus fuerit, praeterquam quod graviter punientur recipientes, receptio pro nulla habeatur sicuti et professio, si qua postmodum fuerit subsequuta; et certior factus superior de praefata expulsione, talem religionis nostrae habitu exutum ad saeculum remittat.

7. Confirmamus illam, quod nullus ad sacros ordines suscipiendos mitti possit, nisi ad minus tres annos habeat completos a professione, ad diaconatum nisi quatuor, ad sacerdotium vero nisi quinque; quam ordinationem intelligimus in provinciis et conventibus, ubi sunt plures fratres, debere observari, in aliis autem meliori modo, quo potest, observetur, ita sane ut reverendus p. provincialis cum aliquibus possit dispensare, si sibi conveniens videatur.

8. Confirmamus illam. ut possibilis adhibeatur diligentia, ne in conventus et prioratus erigantur loca, quae postea taxatum numerum fratrum iuxta nostras constitutiones sustentare nequeant. Quare in posterum nulla domus in prioratum erigatur aut erecta intelligatur, quantumcumque concessio quaelibet facta fuerit, nisi per annum integrum ante duodecim fratres religiose aluerit et pro religiosis necessitatibus plene providerit.

9. Confirmamus illam, quod, si aliqui fratres reperti fuerint, qui alicui extra ordinem summam pecuniarum per notabile tempus debeant, vel de quibus debitores conquerantur, activa passivaque voce per superiores privari debebunt et nihilominus carceri, quousque debitum solverint, mancipari.

10. Confirmamus et illam, qua praecipitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae et omnibus poenis quomodocunque in capitulo gravioris culpae contentis districte mandamus, ne quis religionis

negotia, sive fratrum sint sive monialium, quoquomodo deferre audeat directe vel indirecte, per se vel per alios; ad tribunalia extra ordinem. Quod si qui fecerint, id scientes sub eodem formali praecepto et excommunicationis latae sententiae poena admodum reverendo patri provinciali vel priori infra terminum duodecim dierum, hac una pro trina canonica monitione praemissa, quorum quatuor primos pro primo, quatuor secundos pro secundo et quatuor tertios pro tertio et ultimo peremptorio termino assignamus, denuntiare teneantur. Superior vero admonitus sub eodem pariter praecepto et excommunicationis latae sententiae poena infra terminum ut supra, praemissis praemittendis, poenam transgressoribus supra taxatam infligere omnino tenebitur.

11. Confirmamus inchoationem factam in capitulo Neapolitano proxime praeterito, ut fratres redeuntes domum ex civitate post expleta negotia debeant immediate se praesentare coram praesidente conventus, toties quoties exierint, ab eo humiliter benedictionem accepturi.

12. Confirmamus ordinationem factam in capitulo generali Veneto 1592 sub poenis in ea contentis, ne audeat quis aliquam mulierem ad habitum tertii ordinis recipere, quae sit minoris aetatis quam quadraginta annorum, quae non sit bonae famae, honestae familiae, et quae non habeat unde de victu et vestitu sufficienter sibi valeat providere. Haec de his quae seorsum in propriis domibus habitant, intelligimus. Addentes, quod de caetero non admittantur ad habitum, nisi servatis praedictis conditionibus et nisi se obligaverint ad votum solemne, si in una tantum domo vel monasterio simul habitaverint, sub debita viventes clausura.

13. Item confirmamus illam, quod quando contigerit mittere visitatores, commissarios et vicarios generales in aliquam provinciam, vel pro aliqua causa, debeat sibi in litteris patentibus praefigi tempus, ultra quod non poterunt protrahere visitationem. Hi autem, qui mittentur visitatores, nequaquam eligi poterunt in priores vel provinciales illarum provinciarum aut conventuum, quamdiu illarum vel illorum erunt visitatores; quod et de eorum sociis dicimus, irritum et nullum decernentes, quicquid in contrarium factum fuerit. Tenebunt autem praedicti visitatores aut vicarii loca sua iuxta seriem nostrae constitutionis et declarationem eiusdem.

14. Confirmamus illam in quolibet studio vel universitate, quod baccalaurei seu praesentati omnino teneantur legere pro gradu et forma magisterii per quadriennium, alioquin promoveri non possint ad magisterium.

15. Confirmamus illam, qua praecipitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione prae-

missa, omnibus et singulis fratribus, cuiuscunque sint gradus aut conditionis, ne audeant extrahere a bibliotheca communi libros, quicunque sint illi, sine licentia superioris conventus, qui ipsam nullo modo dare poterit nisi in casu alicuius necessitatis et de patrum consilio, praecipue quod a fratre particulariter et ordinarie possideantur in propria vel alterius cella.

16. Confirmamus illam, qua distincte mandatur, quod libri ab aliquo fratre demortuo relicti publicae librariae applicentur, si in ipsa tales libri non erunt; sin autem in communi conserventur deposito, huic vel illi ad tempus pro studio accommodandi, quos in recessu a conventu depositario consignari omnino procurabunt priores.

17. Confirmamus ordinationem illam saepe saepius factam et mandamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, et sub poena excommunicationis latae sententiae, una hac pro trina canonica monitione praemissa, ne quis ordinis nostri divisionem procurare aliquando intentet.

18. Confirmamus ea, quae statuta sunt in capitulo Valentino confirmatione 8., quae obnixe volumus observari, addentes subtractam esse potestatem a provincialibus Europae concedendi licentiam eundi in Indias occidentales. Quae nolumus intelligi de filiis illarum provinciarum studii causa huc permeantibus; declarantes vero poenam excommunicationis sublatam esse a praedicta ordinatione.

19. Confirmamus illam in provincia Aragoniae, ut et aliqua ratio conventuum, qui sunt in insulis Balearibus, Sardiniae et Ivicae, haberi videatur, et graviores et religiosiores patres ad illos regendos se transferant libentius, quod in capitulis provincialibus eiusdem provinciae unius diffinitoris locus eisdem concedatur, ita ut pro uno regno contradistincto contra regnum Aragoniae, Cathaloniae et Valentiae, quibus singulis unus datur diffinitor, in omnibus computetur. Item confirmamus in provincia Aragoniae erectionem in conventus domus nostrae de Albarrazin, cui damus in priorem p. fr. Petrum Gil, et domus Montizonis, cui damus in priorem p. fr. Dominicum Ximeno; et domus de Graus, cui damus in priorem p. fr. Gabrielem Ximenez; et domus de Alfaiarin et domus de Algemesi, quibus reverendus admodum p. vicarius generalis providebit de prioribus; declarantes, omnes istos priores vocem habere in capitulo provinciali proxime celebrando.

20. Confirmamus illam pro insulis Fortunatis, ut vicarii, qui mittuntur ad illos conventus regendos, non durent ultra quadriennium nec possint ab illis insulis discedere aut officium relinquere, nisi prius advenerit vicarius noviter institutus, cui suae administrationis rationem reddere tenebitur, et ipse in conventuum visitatione perquirere, quam bene

suus se habuerit praedecessor in regimine, fidelemque relationem quanto citius ad admodum rev. p. provincialem provinciae Bethicae transmittere. Item cum praedicatoribus verbi Dei indigeant, volumus, ut praedicatores generales pro ipsarum conventibus instituti ad eosdem conventus se transferre omnino debeant, ut illis inserviant, quorum respectu titulis et privilegiis sunt decorati, vel honorem cum onere aliis dimittant.

21. Confirmamus illam, quod cum angustus valde sit noster conventus de la Havana in nostra provincia s. Crucis Indiarum, ita ut difficulter capere possit fratres, ibi ordinarie commorantes, et multo minus hospites a provinciis Indiarum ad Hispaniam transeuntes, qui tamen non possunt ad eundem conventum non declinare et diutius quandoque ibi manere, quod singulae Indiarum provinciae teneantur eidem conventui contribuere sumptus ad unam cellam erigendam. Declarantes, omnes hospites in omnibus et per omnia subdi illius praelatis etiam quantum ad suas licentias, quae, si legitimae non fuerint, statim a praelatis dicti conventus ad suos remittantur.

22. Confirmamus illam pro provincia Mexicana, quod in conventu s. Dominici de Mexico habeatur quotidie lectio sacrorum bibliorum, quam per biennium ad minus audire teneantur fratres, antequam conciones in civitatibus Hispanorum habere possint.

23. Confirmamus concessionem factam provinciae Theutoniae in capitulo Romae celebrato 1583, et eam ad omnes provincias extendimus, ut duo studentes acceptentur in conventu Bononiensi, etiamsi non fuerint assignati per capitulum provinciale, dummodo habeant literas a reverendissimo p. generali vel a suis provincialibus.

24. Confirmamus ordinationem factam a bonae memoriae p. generali circa conventum s. Mariae Gratiarum sanctissimi Rosarii in Villa Barrae.

25. Confirmamus tertiam decimam ordinationem capituli Neapolitani pro provincia utriusque Lombardiae circa examen faciendum de materialibus studentibus conventus Bononiensis, eamque extendimus ad Romanam provinciam pro conventu Perusino et pro collegio Romano.

26. Confirmamus omnes ordinationes factas a bonae memoriae p. generali praeterito easque in suo robore permanere volumus circa collegium Caesaraugustanum s. Vincentii. Quod quidem collegium erigimus in universitatem volumusque illud quibuscunque gratiis et privilegiis caeterarum universitatum ordinis gaudere.

27. Confirmamus in provincia Hispaniae gratiam et facultatem concessam conventibus Triannensi et Segobiensi, ut in ipsis possint recipi gradus tam praesentaturae quam magisterii a reverendo p. priore vel regente eorundem conventuum.

28. Confirmamus et approbamus reformationem iam inceptam in nostra provincia Occitana et committimus admodum rev. p. provinciali pro tempore existenti, ut cum omni diligentia eam promoveat in omnibus conventibus eiusdem provinciae nihilque contra eam intentare audeat sub poena absolutionis ab officio, nulla interim facta divisione eiusdem provinciae.

29. Confirmamus in provincia Mexicana ordinationem factam a bonae memoriae p. generali praeterito, scilicet quod provinciales alternatim eligantur ex filiis Hispaniae et ex filiis provinciae, irritum decernentes, quicquid in oppositum factum fuerit.

30. Confirmamus erectionem conventus s. Dominici de Yanguitlam in provincia s. Hippolyti, supplentes omnes defectus, si aliqui in eius erectione contigerint.

31. Confirmamus omnes conventiones factas inter excellentissimum d. ducem de Lerma et conventum Vallisoletanum s. Pauli, admittentes eum totamque eius domum ad omnes gratias et beneficia ordinis nostri, cum tantum beneficium centum viginti millium nummorum aureorum in eleemosynam praedicto conventui contulerit largaque manu plurima praebeat ac totius nostri ordinis tam singularis patronus et protector existat.

32. Confirmamus in priorem provincialem nostrae provinciae utriusque Lombardiae admodum rev. p. fr. Petrum Martyrem Urceanum magistrum et inquisitorem Bononiensem ac regentem.

33. Confirmamus in priorem provincialem nostrae provinciae Romanae reverendum p. fr. Ioannem Baptistam Aldobrandinum (1).

34. Confirmamus in priorem provincialem provinciae Regni rev. p. fr. Thomam Brandolinum.

Tandem confirmamus in priorem provincialem provinciae Calabriae rev. p. fr. Augustinum de Cosentia (2) magistrum.

Revocationes.

1. Revocamus omnes assignationes perpetuas.

2. Revocamus rev. p. fr. Aquasium de Villa forti a monasterio Pruliano ad suum nativum conventum Massiliensem.

3. Revocamus ordinationem capituli generalis Neapolitani pro provincia Aragoniae, quod non possint eligi in priores illi, qui alterius conventus sunt priores, donec biennium in prioratu iam compleverint.

4. Revocamus ordinationem 23. capituli Valentini 1596, qua prae-

(1) De fr. Ioanne Baptista Aldobrandino cf. Masetti l. c. pag. 123 sq.
(2) De fr. Augustino de Cosentia cf. MOPH. X, 380.

figitur modus, quo subire iudicium tenentur reverendi admodum patres provinciales et vicarii generales congregationum.

Ordinationes.

1. In primis ordinamus, festa ss. Nicolai ac Laurentii celebrari debere sub toto duplici; festum autem s. Antonii de Padua sub duplici et festum translationis s. Dominici patris nostri die 24 Maii sub toto duplici cum proprio officio.

2. Ordinamus, ut in fine antiphonae « Salve regina » dicatur: « o dulcis virgo Maria ».

3. Ordinamus et omnibus concionatoribus praecipimus, ut in omnibus concionibus ea pietate et devotione, qua par est, et ad quam sacer noster ordo tenetur, ad devotionem beatissimae Virginis Mariae et Rosarii eiusdem populos excitent ac beneficia ab ipsa collata omnibus fidelibus sanctissimo Rosario affectis recolant, miraculaque explicent.

4. Ordinamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto mandamus, ut quotiescunque in aliquo conventu aliquem fratrem mori contigerit, praelatus illius conventus infra spatium sex dierum teneatur omnes conventuum suae provinciae praesidentes de morte fratris certiores facere, ut sic consueta religionis suffragia quantocitius fieri possint.

5. Ordinamus et pro nostrarum constitutionum regulari observantia mandamus praelatis omnibus, eorum conscientias in diem Domini aggravantes, ut earum observantiae suarumque provinciarum et conventuum reformationi invigilent, superiores quoque, qui subditis suis bonorum operum exemplum se ipsos praebere debent, curabunt voluntariam amplecti paupertatem, vanitates omnes et superfluitates, quas in aliis approbare non possunt, in vestitu videlicet, in comitatu, in itineribus, in cubiculorum ornamentis, in victu denique a se relegando, quatenus suavius suae curae commissos ad religiosam perfectionem conducere possint. Ipsis itaque ex communibus bonis vel eleemosynis provinciarum aut religionis respective providendum erit, ita ut honestam suoque gradui consentaneam, non excessivam familiam alere et sustentare religiose duntaxat possint.

6. Ordinamus et volumus, ut uniformitas in exteriori habitu in ordine observetur, ita ut caputium neque plicas habeat neque angulos neque magnum admodum neque breve nimium sit, sed in quadam mediocritate. Tunicae sint de panno communi, non pretioso nec subtili, et scapularia etiam, neque de subtili materia neque plicas habentia. Similiter nec cappae sint de materia subtili vel pretiosa. Idem volumus observari in vestibus interioribus, ut sint omnem humilitatem et decentiam monasticam prae se ferentes omnique curiositate carentes.

7. Ordinamus, ut praelati solliciti admodum sint circa novitiorum educationem, et de magistris novitiorum provideant et tales deputari curent, qui verbo et exemplo eos in regulari observantia nutriant; et visitatorem aliquem deputent provinciales, qui bis in anno domos novitiorum visitent, et quae ad eorum curam expedire noverint, diligenter ordinent et provideant; praecipientes omnibus conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, ne ulla ratione novitios et iuvenes per conventum discurrere permittant, nec e domo egredi nisi pro evidenti necessitate.

8. Ordinamus, ut in receptione iuvenum ad habitum et professionem suffragia puplice ferantur, non obstantibus quibuscunque in contrarium.

9. Ordinamus gravissimeque prioribus iniungimus, conscientias eorum aggravantes, ut maxima cum vigilantia studiis attendant, iubeantque lectoribus, ut horis statutis videlicet post primam et vesperas suas lectiones perlegant nec tempora mutent nec desint lectionibus et conferentiis.

10. Ordinamus, quod lectores artium non possint tempore Quadragesimae concionari, ita ut ob conciones ordinaria lectio impediatur, et quod ambo theologiae lectores eodem tempore concionibus non vacent, sed saltem alter eorum semper domi perlecturus remaneat.

11. Ordinamus et inviolabiliter observari volumus, ut quotidie omnium lectionum, quae audiuntur, fiant conferentiae et circuli etiam singulis diebus proponantur, nisi actus superior impedierit; quod si lectores in hoc fuerint negligentes, lectionibus priventur; conscientias praelatorum onerantes, si in promovendis studiis fuerint negligentes.

12. Ordinamus, quod tempus studii formalium studentium sit triennium completum.

13. Ordinamus, ut in conventibus, ubi non sunt lectiones theologiae aut artium, habeatur lectio de casibus conscientiae, cui intererunt omnes fratres non graduati.

14. Ordinamus, quod si concessae fuerint aliquae literae patentes testificantes subreptitie de aliquo, in quibus dicatur, quod legerit vel alia huiusmodi egerit, quarum vigore aliquos gradus consequutus fuerit, eo ipso eius gradus non admittantur a capitulo provinciali. Idem dicimus respectu praedicatorum generalium, extendentes hanc ordinationem ad eos, qui falsam informationem diffinitorio generali vel reverendissimo dederint, quos a suis officiis absolvi debere decernimus et perpetuo inhabiles ad praelaturas esse volumus.

15. Ordinamus, ut concionatores, qui tempore Quadragesimae a carnibus abstinere non valent, per Quadragesimam ad populum concio-

nari non possint, ne plus tanto scandalo offendant quam verbis aedificent.

16. Ordinamus et ordinando praecipimus omnibus et singulis nostrae religionis fratribus extra ordinem commorantibus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, et sub poena excommunicationis latae sententiae, una hac pro trina canonica monitione praemissa, ut infra spatium unius mensis a notitia praesentium ad ordinem revertantur, exceptis S. R. E. cardinalibus et episcopis servientibus, revocantes quascunque licentias super hoc quibuscunque concessas.

17. Ordinamus et committimus admodum rr. pp. provincialibus eorum conscientias aggravantes, ut priores aut conventuum praesidentes, quos invenerint facile absque ulla causa a suis conventibus saepe exire et itinera voluntaria arripere, in poenam a suis officiis absolvant. Expensae autem, quas in huiusmodi itineribus fecerint, nulla ratione ascribantur conventibus, nisi certissime constet in commodum et utilitatem conventuum cedere. Declarantes et statuentes, non licere prioribus ultra dietam conficere iter absque licentia reverendi p. provincialis prius obtenta, nisi tale sit negotium, quod dilationem non patiatur, tuncque etiam tenebuntur priores statim reverendum p. provincialem certiorem facere de itinere, quod fuerint aggressi, exponentes causam illius, et si secus fecerint, expensae omnes non ascribantur conventibus, etiamsi pro negotiis conventuum iter sit confectum, et aliis etiam poenis puniantur.

18. Ordinamus et praecipimus omnium conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, ne facile facultatem tribuant etiam de consilio patrum fratribus vagandi extra conventum vel eundi ad alios conventus seu oppida, etiam praetextu alicuius necessitatis, nisi vera sit et urgentissima, cum constet huiusmodi discursus magna parere incommoda et scandala.

19. Ordinamus et praecipimus omnibus conventuum praesidentibus graviterque eorum conscientias oneramus, ut valde difficiles se praebeant in licentiis e domo egrediendi concedendis, praesertim iunioribus, actu vero studentibus et iuvenibus nulla ratione concedantur; eisdem autem patribus praesidentibus praecipimus sub poena absolutionis ab officio, ut socium nominent pro qualibet vice, quibus licentiam egrediendi concedent.

20. Ordinamus etiam, quod si aliqui fratres in curiam vel curias eundo vel redeundo aliquas pecunias expenderint, nihil omnino de expensis illis solvatur, nisi forte propter bonum commune conventus illas adierint.

21. Ordinamus, ut fugitivi in nulla provincia recipiantur nisi in carceribus; qui postquam taxatas poenas luerint, ad suas provincias vel

conventus statim remittantur; et hoc mandamus sub poena suspensionis ab officio tam rr. admodum pp. provincialibus quam prioribus seu praesidentibus conventuum seu domorum.

22. Ordinamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto mandamus, ut in civitatibus et oppidis, in quibus conventus aut domos habemus, nullus possit pernoctare extra conventum nec in suburbanis sine licentia praelati, cuius conscientiam aggravamus, si in hac concedenda fuerit facilis.

23. Ordinamus et districte inhibemus omnibus fratribus nostri ordinis, ut neque possint secularium negotia litigiosa apud quaecunque tribunalia procurare neque se immergentes negotiis secularibus, mercimoniis aut aliis huiusmodi, quae tam proprietatis vitio sunt vicina, intendant et maxime nutriendis equis et alendis.

24. Ordinamus, ut circa appellandi modum serventur in omnibus nostrae constitutiones, ut scilicet appellatio fiat gradatim secundum easdem nostras leges sub poenis in illis contentis. Et quoniam experientia nos docuit in processibus formandis et causis tractandis, si apices iuris serventur, causas in infinitum protrahi et fratrum imperfectiones et delicta apud saeculares divulgari, ordinamus ex concessione ss. d. n., ut in causis, quae in ordine tractandae occurrunt, sufficiat, ut fiat iudicium secundum regulas a nostris legibus et constitutionibus praescriptas, procedendo summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, solum facti veritate inspecta.

25. Ordinamus etiam ex mandato eiusdem sanctissimi domini nostri Clementis octavi, ut si qui tam temerarii et audaces fuerint nec Deum timentes nec homines reverentes, ut eidem sanctissimo aliqua memorialia exhibere attentaverint, in quibus aliquid falsum contra fratres suos et praecipue contra praelatos sit contentum, severissime puniantur.

26. Ordinamus, quod poenae a constitutione taxatae deficienti in accusatione alicuius fratris addatur, quod haec poena omnino et indispensabiliter infligatur, et quod perpetuo inhabilis sit ad quascunque dignitates et infamis, nec ei in tribunalibus fides aliqua adhibeatur.

27. Ordinamus et in posterum sancimus, ne procurator ordinis possit esse simul vicarius generalis nec econverso, volumusque, quod haec duo officia distinctis patribus conferantur.

28. Ordinamus et stricte prohibemus ex mandato eiusdem ss. d. n., ne titulares provinciales ullo modo creentur, excepto provinciali Terrae sanctae, nec vocales electores; quod si contigerit constituere in aliquibus provinciis quasi desolatis, habentibus tamen aliquos conventus, aliquem provincialem, qui non sit illius provinciae filius, sic volumus providere in hac parte, ne sint duo provinciales harum provinciarum unius eius-

demque provinciae. Idem dicimus de diffinitoribus, si pro illis provinciis constitui debeant, ita denique ut alicuius provinciae ultra tria vota non possit superaddi ex quacunque causa nisi tantum unum votum pro capitulo generali.

29. Ordinamus ex mandato similiter eiusdem sanctissimi domini nostri, ne fiant affiliationes de uno conventu in alium ex quacunque causa, sed tantum maneant filii conventus, qui ibidem professionem emiserunt.

30. Ordinamus ex mandato itidem eiusdem sanctissimi domini nostri, ne duobus mensibus ante tempus electionis prioris ullae fiant assignationes.

31. Item ordinamus et omnibus patribus prioribus conventuumque praesidentibus districte iniungimus, ut qua poterunt brevitate faciant memoralia, quae vocantur inventaria tum in deposito de omnibus scripturis tum annorum redituum, quae censualia vocantur, tum aliorum privilegiorum et similiter in qualibet officina conventus; ad quae inventaria constituatur liber in deposito, in quo primo ponatur inventarium privilegiorum et aliarum scripturarum pertinentium ad fundationem et statum conventus; secundo ponatur inventarium scripturarum censualium perpetuorum et postea scripturarum censualium temporalium per ordinem mensium, cum aliquo signo tam in inventario quam in ipsa scriptura, ut possint facile reperiri; et in alia parte ponatur inventarium omnium scripturarum pertinentium ad annuos reditus frumenti, vini et olei. In alio autem libro ponantur sigillatim inventaria omnium bonorum, quae reperiuntur in qualibet officina conventus, in quibus quaecunque bona, quae de novo ponuntur in qualibet officina, addantur inventario illius officinae; maxime autem in inventario sacristiae ponantur omnia iocalia, et quae offeruntur, vulgo vocata praesentalia, quae teneantur sacristae, quantocius acceperint, praesentare p. priori seu principali praesidenti conventus, ut ponantur in inventario. Ex quibus inventariis dentur transumptus cuilibet officiali talis officinae subscriptus a patre priore seu principali praesidenti, depositariis conventus et officiali officinae.

32. Ordinamus in provincia Tolosana, ut nullo pacto suscipiat regimen provinciae provincialis de novo electus, donec confirmationem a reverendissimo patre generali acceperit; gubernabit autem provinciam provincialis praecedens nomine vicarii generalis, donec confirmatio ad electum perveniat.

33. Ordinamus in provincia Aragoniae ad eius petitionem, id quod iampridem a reverendissimo magistro Iustiniano fuerat ordinatum, ut iustitiae distributivae nullatenus iniuria irrogetur, quod provinciales al-

ternative eligantur, dummodo digni et habiles ibi reperiantur et non alias, ex tribus praecipuis nationibus, incipientes a Catalonia. Declarantes, quod si aliquando mori vel amoveri contigerit aliquem ex eis, non possint reeligi ex eadem natione, sed devolvatur electio ad subsequentem nationem.

34. Ordinamus, quod conventus Illerdae, qui tanto tempore in literis floruit, pristino statui restituatur, videlicet ut sit universitas, sicut de facto restituimus, cum iam nunc alere possit et officiales studii et numerum studentium sufficientem.

35. Ordinamus, quod fratres provinciae Provinciae in aliis provinciis assignati, qui iam cursus literarios peregerunt, statim ad suam provinciam et conventus revertantur.

36. Item ordinamus in eadem provincia, quod priores et suppriores sint tantum triennales, et quod novitii non recipiantur ante duodecimum aetatis annum. Et quod in confessione post b. Dominicum addant: et beatae Mariae Magdalenae.

37. Ordinamus, ut in provincia Lusitana ad eius petitionem magistri a provincia exponendi pro ipsa provincia non excedant numerum duodenarium; concedimus tamen, ut pro congregatione Indiae orientalis duo alii admitti possint ex iis, qui in ipsa congregatione iuxta nostras constitutiones legerint; declarantes, quod qui pro dicta congregatione fuerint admissi vel ad praesentaturam vel magisterium, privilegiis suorum graduum gaudeant in dicta provincia, dummodo tamen non sine speciali licentia reverendissimi p. generalis vel capituli provincialis ex illis partibus discedant, quam in scriptis deferant, in qua huius mentio fiat, alias minime.

38. Ordinamus in provincia Germaniae inferioris, quod priores sint triennales; idemque in provincia Tolosana volumus observari, ita quod nullus, qui per triennium fuerit prior, iterum eligi possit immediate in illo conventu absque particulari licentia reverendissimi p. generalis.

39. Item ordinamus in eadem provincia Germaniae, ut regentes in nostro studio Lovaniensi non sint nisi quadriennales sicut et studium, ita ut absoluto quadriennio sive in praesentiarum sive posthac expiret tempus illorum, et alius vel alii ad hoc idonei succedant et subrogentur.

40. Ordinamus in provincia s. Thomae, ut conventus Ferrandinae solvat contributiones, qualiter solvunt alii conventus eiusdem provinciae.

41. Ordinamus in provincia s. Crucis, ut nulla ratione recipi possint moniales, quae ad suum victum et alia necessaria in dotem seu eleemosynam dotalem non afferant ad minus mille aureos.

42. Ordinamus in provincia Occitana, ut nullus ad aliquem gradum aut praelaturam nec ad simplicem lecturam admittatur, nisi sub refor-

matione et vitae regularis observantia velit vivere, idque mandamus sub poena absolutionis ab officio.

43. Ordinamus in provincia s. Dominici in studio Patavino, ut studentes teneantur comitari lectores Universitatis et eorum lectionibus interesse, mandantes inviolabiliter observari ea, quae in litteris bonae memoriae cardinalis Alexandrini ad hoc missis ordinata sunt.

44. Ordinamus in provincia del Quito, ut nullus de novo illuc adveniens possit eligi intra duos primos annos in priorem, nisi sufficienter constiterit de eius religione et moribus.

45. In provincia s. Hyppoliti ordinamus ad eius petitionem, ut nullus assignetur inter Indos, quin prius per tres annos theologiam audierit.

46. Ordinamus in provinciis Indiarum occidentalium, ut possint seculares admitti testes contra fratres existentes in doctrinis, dummodo sint omni exceptione maiores ; non decet enim ob penuriam testium scandala et delicta remanere impunita.

47. Item in eisdem provinciis ordinamus et praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, omnibus provincialibus Indiarum, ut, quamprimum poterunt, mittant singuli numerum certum omnium conventuum, fratrum et redituum suarum provinciarum ad reverendissimum nostrum generalem.

48. Item ordinamus in eisdem provinciis, ut omnes provinciales teneantur ad minus semel tempore suorum provincialatuum certiorem facere reverendissimum p. generalem de omnibus, quae per manus fratrum nostrorum Deus dignatus fuerit operari circa animarum salutem, miraculorum patrationem, ordinis progressum et christianae fidei augmentum, ut sic possit toti innotescere ordini Deumque proinde uno ore honorificare.

Ordinationes circa regimen monialium editae ex mandato sanctissimi domini nostri.

1. In quolibet monasterio non habeantur nec permittantur plures crates ferreae seu loca colloquiis destinata, quae vulgo parlatoria vocantur, quam una aut ad summum duae, nisi monialium numerus vel loci conditio plures necessario exigeret, quod ordinariorum arbitrio et conscientiae relinquitur, et hae nisi ad audiendum verbum Dei, ubi omnes moniales convenire solent, nullo modo in ecclesiis seu sacristiis sint, sed extra ; et si hucusque non fuerint clausae, quamprimum muro obstruantur ; in sacristiis autem sit una tantum rota apta ad sacram supellectilem introducendam vel emittendam, et quam fieri poterit arcta eademque absque aliquo foramine, ex quo quid cerni possit.

2. In monasteriis vero, in quibus hactenus laminarum usus non est

introductus, ponantur in fenestris collocutorii binae crates ferreae, introrsus altera, altera extrorsus et distantes ab invicem saltem per spatium duorum palmorum vel totius crassitudinis muri, necnon spissae et strictae, adeo ut nec puellae manus per foramina transmitti possit.

3. Collocutorium seu parlatorium interius sit locus seris occlusus, in quem nulla monialium ingrediatur nisi vocata, et venia a sua superiore impetrata, ibique auscultatrices huic muneri designatae semper intersint et assistant, quae quicquid dicatur audire debeant, nisi tale quid tractandum sit, quod secretum postulet; quo casu de abbatissae seu priorissae licentia permittatur de eo cum propinquioribus usque ad secundum gradum consanguineis, remotis arbitris, agere.

4. Cum autem contigerit aliquem secularem vel regularem, sive superior ille sit sive visitator aut quovis munere fungens, in ipsa parlatoria ingredi aut moniales alloquatur, tunc fores ipsius parlatorii seu cubiculi, in quo sunt crates et rotae, omnino pateant nec ullo modo, quamdiu ibi aliquis erit, claudantur.

5. Toto prandii tempore fores monasterii atque adeo parlatoria ipsa et rotae omnes diligenter occludantur, nec ullo modo cuiquam etiam regulari pateant ad alloquendum aliudve quippiam agendum.

6. In fenestellis confessionalibus configantur etiam laminae ferreae, scilicet cum minutis foraminibus, ne inde ipsae moniales spectare quempiam vel a quopiam spectari possint.

7. Fenestella, unde sanctissimum Eucharistiae sacramentum moniales percipiunt, alta sit dimidiato palmo, lata vero integro, quae binis foriculis totidemque seris et clavibus alteris forinsecus occludatur, et ad hanc mensuram et formam quamprimum ubique reducatur.

8. Nulli ex monialibus personas ecclesiasticas, seculares vel regulares, aut laicas etiam consanguineas cuiuscunque sexus ad fores monasterii alloqui, vel in eis apertis sistere quacunque de causa liceat; nec fores huiusmodi aperiantur nisi ad introducendas vel emittendas personas et res necessarias.

9. Nulli religioso, cuiuscunque ordinis, gradus, qualitatis et dignitatis existat, superiore, cui monasterii seu domus cura incumbit, visitatore vel visitatoribus confessarioque ordinario et extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis, liceat absque licentia expressa sacrae congregationis, negotiis episcoporum et regularium in Urbe praepositae, accedere ad monasteria seu domus quarumcunque monialium vel sororum sui vel alterius cuiusque ordinis, etiamsi sit frater germanus sive quovis alio consanguinitatis gradu coniunctus ad colloquendum seu tractandum cum eis sub poenis in decreto eiusdem congregationis contentis, videlicet privationis officiorum ac vocis activae et passivae ipso

facto incurrendis, aliisque eiusdem congregationis arbitrio infligendis. Cuius quidem decreti ipsi locorum ordinarii sint executores, et contra quoscunque regulares transgressores et inobedientes iuxta illius et praesentis constitutionis tenorem procedere omnino possint ac debeant, dummodo prius superiores regulares conventus admonuerint, et ipsi superiores post ordinariorum admonitionem negligentes fuerint. Si autem in fragranti regulares reperti fuerint, possint ordinarii illos carcerare; teneantur tamen suis superioribus tradere et consignare infra tempus ab eisdem ordinariis praefigendum puniendos, ac de punitione eosdem certiores facere iuxta concilii Tridentini decreta.

10. Quod si aliquando mandato superioris contigerit mitti aliquos religiosos ad praedicandum verbum Dei vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium vel sororum ecclesiis sive oratoriis exterioribus vel extra claustra existentibus non possint ipsi religiosi seu regulares, ullo quaesito colore, sub eisdem poenis moniales, sorores aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentem alloqui nec ad parlatoria aut ad rotas vel ad fores accedere.

11. Interdictum sit omnino confessariis et omnibus aliis regularibus, etiam superioribus, in cubiculis, aedibus monasterii seu domibus monialium aut sororum contiguis sub eisdem etiam poenis pernoctare vel alios pernoctare facere vel alias secum retinere. Nec liceat confessariis ordinariis seu extraordinariis sub eisdem poenis apud moniales in cubiculis parlatorii seu aliis aedibus coniunctis comedere aut cibum sumere nec ab ipsis hac de causa aliquid accipere nisi tempore generalium confessionum, cum habitatio eorumdem confessariorum a monialium seu sororum monasterio vel domo nimium distat. Quo casu confessarii praedicti, ubi consueverunt refectionem diurnam accipere, iis debeant servi vel famuli laici monasteriorum, qui factores vocantur, et nullo modo moniales, prandium parare ex cibariis et rebus monasterii factis ex communibus eiusdem expensis; ea autem cibaria nihil superflui habeant, sed uni illi, cui ibi remanere necesse erit, sufficiant unoque aut altero ad summum ferculo constent. Et quoniam hoc modo eximuntur moniales ab ea cura, quae ad fratrum, superiorum seu confessariorum aut aliorum officialium victum pertinet, prohibetur, ne in posterum deputentur speciatim huic muneri ullae moniales, aboleaturque penitus nomen et officium earum, quas hospitalares vulgo vocant.

12. Cum contigerit superiores, visitatores vel etiam confessarios, quibus hoc permissum est, accedere ad monasteria monialium secum ducant socium ex senioribus; cui tamen non liceat alloqui moniales nec se absentare ab oculis ipsius superioris vel socii, et alloquens moniales incidat in easdem poenas.

13. In ingressu monialium seu in habitu regulari vel velo suscipiendo aut in professione emittenda non fiant, nec sub aliquo praetextu permittantur lauta aut sumptuosa convivia, sed sobrie tantum et quae sacras virgines deceat, animi corporisque recreatio concedatur. Superiores vero seu confessarii aut alii officiales regulares occasione huiusmodi ingressus seu professionis nihil prorsus sub quovis titulo seu praetextu a monialibus nec ab aliis accipere possint, non obstante quacunque consuetudine in contrarium.

14. Ubi vero fuerit consuetudo dandi aliquid confessariis seu capellanis pro eorum labore, statuatur ab abbatissis, priorissis vel aliis praefectis monasteriorum aequa et idonea eleemosyna sive provisio, quae aere communi monasterii persolvatur superioribus conventus seu domus virorum, non autem ipsis confessariis seu capellanis, quibus nullo unquam tempore liceat aliquid accipere ; et eisdem omnis vicissitudo munerum quantumvis exigui valoris, quae sibi cum monialibus possint intercedere, omnino interdicta sit ; et in hac materia munerum ab omnibus observetur diligentissime constitutio sanctissimi domini nostri de largitione munerum (1).

15. In cubiculis seu domibus, quae monasteriis contiguae sunt, et in quibus superiores, visitatores, confessarii vel alii regulares aut etiam factores seu alii monasteriorum ministri ingredi vel degere solent, nullae sint inter ipsos et moniales fores, crates, parlatoria, rotae, fenestellae aut quaecunque alia foramina ; et si quae fuerint, omnino muro perpetuo claudantur et obserentur.

16. Non possint moniales singulares seu nomine communi pannos lineos vel alia indumenta cuiuscunque generis seu supellectilem accipere a quocunque regulari, nec etiam nomine monasteriorum, conventuum domorumve quorumcunque virorum ad lavandum seu purgandum aut consuendum vel circa ea aliquid faciendum.

17. Moniales officiales monasterii in suis muneribus obeundis nihil sine licentia abbatissae seu priorissae nisi de re et pecunia monasterii expendant, et praesertim in ordinandis ecclesiis seu oratoriis monasteriorum festivitatum tempore vel alia quacunque occasione.

18. Ubi iuxta decreta sacri concilii Tridentini non est constitutus numerus monialium, quae vel ex reditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari, diffiniatur quamprimum a locorum ordinariis cum interventu superioris regularis vel saltem ipso requisito ex facultatibus et reditibus, quae a monasterio in communi possidentur, habita etiam eleemosynarum ratione, et donec

(1) Cf. MOPH. X, 375, sqq.

huiusmodi numerus non fuerit constitutus, non recipiantur in posterum in illis monasteriis puellae ad habitum regularem. Numerus autem constitutus, sub praetextu etiam quod monasteriorum reditus aucti fuerint, sine eiusdem congregationis expressa licentia nullo modo augeatur.

19. Verum ubi monasterium aliquas moniales supra constitutum numerum recipere voluerit, id non concedatur nisi licentia obtenta a praedicta sacra congregatione cum eleemosyna duplicata et sub aliis conditionibus, quae in huiusmodi licentiis exprimi solent, eaque eleemosyna investiri omnino debeat, nec in aliquem alium usum ullo modo converti possit.

20. Nulla unquam recipiatur in monialem nisi legitime acceptata fuerit per capitulum monialium; quibus renuentibus admitti nullatenus possit etiam intra numerum.

21. Non acceptentur puellae in moniales ante duodecimum annum, nec eis ante lapsum huiusmodi temporis concedantur loca vacantia seu vacatura, nec eleemosynae seu dotes ante emissam professionem solvantur monasterio vel aliqua renunciatio aut obligatio fiat contra decreta eiusdem sacri concilii Tridentini.

22. Nec etiam vestiantur moniales vel admittantur ad habitum regularem, nisi prius parentes, fratres vel ii, ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote vel eleemosyna consueta et illam deposuerint solvendam monasterio post emissam professionem, ipsisque monialibus interim probationis tempore alimenta ab eisdem parentibus praestentur.

23. Monialibus professis ipsisque conversis, quae intra monasterii clausuram degunt, non liceat inde egredi ad quaestuandum sive conquirendas eleemosynas, etiam sub praetextu quantumvis urgentis necessitatis, nisi prius obtenta nominatim eius rei licentia ab ipsa congregatione. Quamdiu autem ipsa quaestuandi necessitas durabit, nulla penitus puella in illis monasteriis ad habitum regularem suscipiendum admittatur etiam cum ipsius congregationis licentia, nisi in ea facta fuerit huiuscemodi necessitatis et quaestuandi licentiae expressa mentio.

24. Nulli sacerdoti sive seculari sive regulari permittatur moniales exorcizare absque expressa dictae congregationis licentia; quae dum concedetur, fiat exorcismus a sacerdotibus idoneis nominatimque ad hoc munus per loci ordinarium approbatis, idque in exteriori monasterii ecclesia, ianuis tamen clausis adhibitisque, si fieri potest monialis exorcizandae nonnullis consanguineis aliisve personis timoratae conscientiae et spectatae pietatis. Peracto autem exorcismo ipsa monialis continuo in clausuram reducatur.

25. Non recipiantur puellae educationis causa nisi cum licentia eius-

dem congregationis, et observatis conditionibus, sub quibus huiusmodi licentia conceditur; et sicubi introductae fuerint sine eadem licentia nec servatis eisdem conditionibus, emittantur omnes, itemque aliae seculares mulieres quavis causa in eis absque eadem licentia morantes non obstantibus quibuscunque.

26. Observetur decretum eiusdem sacrae congregationis, quo prohibetur, ne seculares accedant ad monasteria monialium sine licentia ordinarii et superioris regularis monasterii; a solis superioribus regularibus concedantur huiusmodi licentiae, nec etiam generales pro ministris, servis et aliis personis necessariis ingrediendi monasteria.

27. Moniales nullas prorsus literas ad regulares scribant, praeterquam ad primarium superiorem monasterii, sub cuius regimine existunt, sed neque ad seculares etiam scribant, exceptis tantum primi et secundi gradus propinquis, nisi de licentia abbatissae seu priorissae, neve ullas literas a quocunque missas accipiant nisi ante ab ipsa abbatissa seu priorissa fuerint perlectae.

28. Monialibus et earum ecclesiis non permittantur instrumenta quaecunque musicalia, exceptis organis, ubi in exteriori ecclesia reperiuntur.

29. Nulla monialis vel quaevis alia persona, quae non sit de monasterio, audeat sine licentia superioris monasterii alias privatas sibi missas celebrari facere in ecclesiis monasteriorum monialium, praeter eas quae a capellanis deputatis communibus impensis monasterii celebrandae sunt.

30. Intra septa monasteriorum monialium missa nullo modo celebretur.

31. Ianitrices et quae sacristiae curam habent, ac comitatrices, quae ingressos comitantur, quadraginta annis non paucioribus natae sint.

32. Ipsae comitatrices confessarios, medicos, chirurgos et alios qui ex necessitate intra claustra pro tempore admittendi sunt, ubi ingressi fuerint, semper comitentur.

33. Confessarii ordinarii amoveantur completo quolibet triennio, et alii in locum illorum subrogentur.

34. Confessarius autem extraordinarius omnino assignetur iuxta decretum sacri concilii Tridentini, quem quaevis monialis adire teneatur, monialibus tamen liberum sit illi sua peccata confiteri vel non.

35. Non liceat monialibus nec privato nec communi conventus nomine, etiam si omnes in eo consentirent, lineos pannos, lectulos, stragulas aut aliud quodcunque supellectilis genus extra monasterium cuiquam sub quocunque praetextu etiam regularibus eiusdem ordinis vel ipsis superioribus commodare, nec pecuniam, vinum, granum aut aliud simile mutuo dare.

36. Moniales ullo anni tempore larvas gerere vel vestimenta ad usum virorum pertinentia induere sub quocunque praetextu non audeant.

37. Nulla monialis serico indumento nec palam nec occulte uti praesumat, sed nec alio panni genere, quam quod regulae ordinis praescribunt; caveatur autem maxime, ne caput sanctimonialium ullo profano cultu deformetur.

38. Superiores omnes in eam curam sedulo incumbant, ut bona et iura universa, quae ad monasteria monialium pertinent, qua decet fide et diligentia administrentur, et rationem quotannis vel quoties opus fuerit, exigant ab officialibus seu aliis, qui ad hoc tenentur. Procurent denique, ut in omnibus rite observentur decreta sacri concilii Tridentini caeteraeque constitutiones ordinis, quae ad regimen et regularem disciplinam monialium pertinent; illudque in primis studeant, ut communis vita inter sanctimoniales vigeat, semota penitus illa proprietate, quae iisdem decretis districte prohibetur.

39. Ut autem ad Dei gloriam et monialium in domino profectum ac animarum salutem supradictae ordinationes debita reverentia suscipiantur, praecipiatur in virtute sanctae obedientiae omnibus, ad quos spectat, ut eas sub privationis officiorum, inhabilitatis perpetuae ac vocis activae et passivae aliisque ecclesiasticis poenis et censuris observent et exequantur, ac ab aliis observari et exequi curent.

40. Harum constitutionum exemplar vulgari idiomate descriptum sive typis excusum in quolibet monasterio proponatur, ita ut a singulis monialibus perlegi possit.

Nos igitur tanquam obedientiae filii superiora ad unguem observari cupientes mandamus in meritum obedientiae omnibus praelatis nostri ordinis et patribus curam monialium gerentibus, ut haec omnia, ea qua decet animi promptitudine, observent observarique faciant inviolabiliter, adhibendo poenas et censuras in his ordinationibus contentas, easque exequentes contra earum transgressores. Quae ut melius exequutioni mandentur, praecipimus supradictis praelatis et patribus, ut harum ordinationum exemplum vulgari idiomate cuiuscunque nationis descriptum seu typis excusum in quolibet monasterio proponatur, ita ut a singulis monialibus perlegi facile possit.

Admonitiones.

1. Admonemus reverendum admodum p. totius ordinis procuratorem, ut memor omnium damnorum, quae in multis conventus ob penuriam et carentiam bullarum apostolicarum et privilegiorum quotidie patiuntur, curet ea qua poterit brevitate et diligentia mittere omnia privilegia et gratias et caetera, quae vel ordinem nostrum concernunt vel spectare quoquo modo possunt, ad omnes nostri ordinis provincias et conventus.

2. Admonemus omnes fratres ad provincias Indiarum quomodocumque pertinentes et maxime rr. admodum pp. provinciales in domino exhortamur, ut ea qua decet devotione et animi promptitudine procurent aliquas eleemosynas easque mittant in Hispaniam ad instaurandum conventum monialium s. Dominici patris n. villae Calarogae; dedecet enim, ut locus felici nativitate tanti patris decoratus filiorum suorum neglectu contemptibilis et indecorus appareat.

Commissiones.

1. Committimus reverendissimo patri nostro generali eique supplicamus, ut ea qua poterit brevitate tractet, quae pertinent ad correctionem martyrologii vel mutationem eius et correctionem breviarii et missalis, et praecipue quantum ad evangelia commutanda, denique illa, quae ad haec viderit expedire, peragat aut peragi mandet.

2. Committimus eidem reverendissimo patri nostro, ut, postquam aliquam visitaverit provinciam, ne tanti labores suo frustrentur fine, post sex menses mittat post se visitatores, qui summa vigilantia videant et scrutentur, an exequutioni mandentur ea, quae reverendissimus ordinaverit, et ordinationes capitulorum. Qui visitatores nullam habeant facultatem innovandi vel immutandi quicquam nec aliquid de novo ordinandi.

3. Committimus eidem reverendissimo patri nostro generali, ut de convenienti regente conventui Bononiensi dignetur providere.

4. Committimus reverendissimo p. generali, ut conventui suo s. Thomae de Aquino civitatis Neapolitanae, cum ad ipsum tamquam suae ditionis et curae pertineat, procuret providere de fratribus regulari vitae deditis et de caeteris omnibus ad dictum conventum spectantibus.

5. Committimus reverendissimo patri nostro generali, ut nomine totius ordinis supplicet ss. d. n. et instantissime, quantum fieri poterit, petat canonizationem b. Alberti Magni et b. Ludovici Bertran, et facultatem celebrandi officium per totum ordinem beatae Margaritae civitatis Castelli.

6. Committimus reverendo admodum p. provinciali Bethicae, ut, postquam receperit literas, quas ei remittimus, et examinaverit subscriptiones earum et repererit auctores, condemnet eos, sicut nunc de facto nos condemnamus ad poenas gravioris culpae per quindecim dies indispensabiliter, quia temere ac impudenter de suis praelatis piis et religiosis iam defunctis obloquentes, praedictas literas ad reverendissimum diffinitorium transmittere ausi sint, et haec sit responsio ad eas ex parte capituli generalis facta.

Concessiones.

1. In primis concedimus omnibus conventibus nostri ordinis, ubi

commode fieri poterit, facultatem eligendi quatuor fratres ex his qui sunt a consiliis, qui rosaria benedicere possint.

2. Concedimus provinciae del Quito et quibuscunque aliis hac gratia frui volentibus, ut capitulum intermedium proxime sequens possint intermittere.

3. Concedimus provinciae Tolosanae, ut possit applicare in sumptus studii conventui Agenensi, prout nunc applicamus, reditus conventuum desolatorum, donec spes sit restitutionis eorundem, videlicet conventuum Brageriasensis, Geniasensis, Apamiensis, Orthesiensis et Morlanensis; prohibentes omnino, ne dicti proventus in alios usus convertantur; volentes, quod pecuniae acceptae ex reditibus Brageriasensis et Geniasensis conventuum deponantur in deposito communi, cuius habeant claves pater magister fr. Renatus Faber (1) et pater magister fr. Ioannes Maillardon (2) qui simul recipiant pecunias et simul expendant, ita ut non possit alter sine altero quicquam facere. Qui postea teneantur p. provinciali de eis rationem reddere. Pecuniae autem conventuum caeterorum dispensentur, servato omnino eodem ordine, per reverendos patres fr. Iosephum de Hibreis, priorem nostri conventus Agenensis, et fr. Bertrandum Gaude, priorem conventus Condomiensis.

4. Concedimus omnibus provincialibus ultramontanis, ut possint facultatem dare erigendi confraternitates sanctissimi Rosarii et nominis Dei et eas confirmandi, absque hoc quod mittant pro earum confirmatione.

5. Concedimus provinciae Hispaniae, ut licentiae fratrum a reverendissimo patre generali derivatae non mandentur exequutioni, donec provinciali illius provinciae notificentur; prohibemus tamen quancumque mutationem, innovationem vel impedimentum circa praedictas licentias intentanda.

6. Concedimus reverendo p. provinciali utriusque Lombardiae facultatem exequutioni mandandi de consilio graviorum patrum confirmationem sextam capituli generalis Valentiae celebrati, non expectato capitulo provinciali eiusdem provinciae.

7. Concedimus facultatem et damus auctoritatem faciendi conventiones cum domino Cynthio Calvo, cive Comensi, circa constitutionem cuiusdam conventus reverendo p. fr. magistro Granello de Florenciola (3) et p. fr. Petro Mariae de Urniano (4), inquisitori Comensi, et p. fr. Paulo

(1) De fr. Renato Fabro cf. MOPH. X, 255, 301.
(2) De fr. Ioanne Maillardon (Mailardo) cf. l. c. pag. 249, 301.
(3) De fr. Innocentio Granello cf. supra pag. 1.
(4) De fr. Petro Maria de Urniano (Urgnano) cf. l. c. pag. 2.

de Garetio, priori Mediolanensi (1), cum auctoritate acceptandi dictam domum foederaque paciscendi.

8. Concedimus conventui Bononiensi, ut facta cautione depositariis pecuniae legatae a bonae memoriae generali praeterito committantur rev. admodum p. provinciali Lombardiae expendanturque ad normam a praedicto generali praefixam.

9. Concedimus provinciae Dalmatiae ad eius petitionem, ut provinciales in posterum eligendi non durent plusquam per triennium, et quod priores in posterum etiam eligendi durent iuxta morem provinciae Lombardiae.

10. Concedimus provinciae Bohemiae, et quantum ad nos attinet, prorogamus tempus prioratus patris fr. Ludovici de Normo (2) magistri ad placitum reverendissimi patris generalis; et volumus tempus provincialatus eiusdem provinciae durare per quadriennium.

11. Concedimus provinciae Aragoniae et ordinamus, ut nulla ratione instituantur praedicatores generales nisi secundum regna et nationes, ita ut filius unius nationis non instituatur pro conventu alterius nationis, sed suae solius.

12. Concedimus insulis Balearibus, ut possint etiam dominica prima maii celebrare festum et recitare officium b. Virginis de Rosario; et ut festum s. Christophori, quod est 10 iulii, celebrare valeant sub duplici, cum semper ibidem a maiori parte populi colatur.

13. Concedimus provinciae Germaniae superioris, ut aliquos iuvenes ratione studii mittere in Hispaniam et Italiam possit.

14. Concedimus provinciis Poloniae et s. Dominici ad earum petitionem, ut baccalaurei sint biennales, sicut hactenus observatum est.

15. Concedimus provinciae Occitanae, ut capitulum provinciale sequens prorogetur usque ad dominicam quartam post festum Paschae sequentis anni videlicet 1602.

16. Concedimus eidem provinciae, ut recipiat monasterium sororum nostri ordinis in civitate Tolosana sub nomine s. Catharinae Senensis sitque sub cura reverendi patris provincialis dictae provinciae pro tempore existentis.

17. Concedimus provinciae sanctae Crucis et concedendo praefigimus numerum graduatorum in illa provincia, qui sit magistrorum binarius et praesentatorum quaternarius, praedicatorum autem generalium iuxta numerum conventuum.

18. In eadem provincia concedimus reverendo patri provinciali

(1) De fr. Paulo de Garetio cf. SSOP. II, 428.
(2) De fr. Ludovico de Normo cf. MOPH. X, 313, 339.

fr. Ioanni de las Cabecas magistro (1) et capitulo provinciali, ut possint erigere conventum monialium in civitate de Trugillo, servatis omnibus tam sacri concilii Tridentini quam constitutionum nostrarum ordinationibus, ita tamen ut moniales habeant, unde honeste alantur et sustententur, et non alias. Concedimus etiam praedicto p. provinciali, ut possit transferre tres vel quinque moniales a conventu Reginae Angelorum ad fundationem praedicti conventus.

19. In provincia inferioris Germaniae facultatem damus mittendi duos aut tres fratres in Hispaniam et totidem in Italiam ratione studii.

20. Item in eadem provincia concedimus p. fr. Hieronymo Aresio, conventus s. Marci Florentiae filio nativo, ut possit in supradicta provincia permanere ad vacandum praedicationi in idiomate Theutonico.

21. Concedimus provinciae s. Petri Martyris, ut ad petitionem serenissimi ducis Sabaudiae et reverendissimi archiepiscopi Taurinensis et communitatis oppidi Podiverini possit erigere conventum in eodem loco.

22. Item concedimus eidem provinciae, ut numerus praedicatorum generalium sit octonarius.

23. Concedimus reverendo patri fr. Vincentio Alberto, huius conventus s. Mariae super Minervam priori, ut tempus, quo hoc officio functus est, ei computetur, ac si magister studentium in studio Perusino fuisset, supplentes omnia quae ad id desiderari possint.

24. Item concedimus in provincia Provinciae facultatem conventui Aquensi, ut possit ad censum perpetuum dare possessionem, quae est iuxta conventum intra muros civitatis, nuncupatam Villanova, in domos aedificandas.

Acceptationes.

1. In primis in provincia Hispaniae acceptamus conventum nostrum s. Hyacinthi de Madrilejos et monasterium s. Catharinae Senensis Compluti.

2. In provincia Romana acceptamus institutionem praedicatoris generalis factam a reverendo admodum patre vicario generali totius ordinis in personam fr. Archangeli Collii conventus Lucensis, et p. fr. Ambrosii Brandi de Roma (2).

3. In provincia Theutoniae acceptamus fundationem et erectionem novi monasterii in Kirchem prope Augustam Vindelicorum per generosum dominum Marcum Foggerium cum reditibus duodecim fratribus alendis sufficientibus. Acceptamusque eum una cum coniuge, filiis et filiabus suis ad omnia et singula ordinis nostri beneficia.

---

(1) De fr. Ioanne de las Cabecas cf. supra pag. 2.
(2) De fr. Ambrosio Brandi cf. SSOP. II, 542.

4. In provincia Aragoniae acceptamus in praedicatores generales ab admodum reverendo p. provinciali praeterito, nunc reverendissimo generali magistro, tunc institutos auctoritate sibi ad hoc commissa a b. m. praeterito generali magistro videlicet p. fr. Gabrielem Ximenez pro conventu de Alfaiarin, fr. Damianum de Luna pro conventu Montisonis, fr. Petrum Nogueras pro conventu Albarracin, fr. Gabrielem Martinez pro conventu Illerdae, fr. Franciscum Schola pro conventu s. Francisci Dertusensis, fr. Melchiorem Rodriguez pro conventu Minorissae et fr. Ioannem Galindo institutum ab admodum reverendo p. vicario generalis totius ordinis praeterito pro conventu Benavarrae, p. fr. Franciscum Climent pro conventu de la Olleria. Declarantes omnes istos sic institutos vocem habere in capitulo provinciali proxime celebrando.

In eadem provincia acceptamus domum nostram Saceri in insula Sardiniae sub titulo s. Sebastiani.

5. In provincia Provinciae acceptamus conventum s. Maximini sub obedientia rev. admodum p. provincialis pro tempore existentis eiusdem provinciae, sicut semper antiquitus fuit, et approbamus magisteria p. fr. Michaelis Nielis, p. fr. Francisci Agarratae et p. fr. Baptistae Senes, et baccalaureatum p. fr. Nicolai Garcini et promovemus ad baccalaureatum p. fr. Antonium Garrota, dummodo se prius submittant obedientiae praedicti patris provincialis. Quod si aliquando fratres dicti conventus tentaverint se ab ordinis obedientia subducere, ipso facto nullo modo gaudeant privilegiis magistrorum et baccalaureorum et aliis ordinis privilegiis, prout nunc pro tunc privamus.

6. In provincia Bethica in civitate Hispalensi acceptamus conventum monialium sub titulo s. Mariae de los Reyes auctoritate apostolica erectum, et conventum Angeli custodis noviter erectum a religioso viro Gondisalvo de Villena, presbytero Cartaginensi.

7. In provincia s. Thomae pro subventione hospitum et itinerantium acceptamus loca Martoni, Bisesi, Avillani, Molae et Valii, dummodo sint in itinere ordinario.

8. In provincia s. Dominici acceptamus in praedicatorem generalem p. fr. Danielem Panunsinum.

9. In provincia del Quito acceptamus conventum monialium s. Catharinae Senensis et conventum s. Mariae de la Peña de Francia erectum et fundatum pro patribus recollectis.

10. Acceptamus ad gratias et suffragia ordinis nostri excellentissimum ducem de Sessa, in Romana curia Hispaniarum oratorem, tam bene de nostro ordine meritum eiusque excellentissimam uxorem cum illustrissima eiusdem familia.

11. Item acceptamus ad suffragia nostri ordinis reverendissimum d.

Franciscum Peña, rotae auditorem, a quo tot tantaque beneficia recepimus, qui tantum in canonizatione s. Raymundi insudavit nullique labori ad nostrum condecorandum ordinem quotidie parcit.

Approbationes.

1. Approbamus in provincia Hispaniae praesentaturas p. fr. Garciae Guerra lectoris studii Vallisoletani, p. fr. Gabrielis Rodriguez lectoris Segobiensis, p. fr. Illephonsi de Leon lectoris Complutensis et p. fr. Gondisalvi Martinez lectoris Triannensis, qui iam a sua provincia fuerunt expositi.

2. In provincia Franciae approbamus magisterium p. fr. Eliphi Poireli (1) conventus Tullensis.

3. In provincia Poloniae approbamus magisteria p. fr. Melchioris Borctensis, p. fr. Bartholomaei Praemisliensis, p. fr. Alberti Secovii et p. fr. Nicolai Mosticensis.

4. In provincia Aragoniae approbamus magisteria p. fr. Francisci Chinto, p. fr. Hieronymi Mos, et praesentaturas p. fr. Christophori Mos, p. fr. Francisci Quint et p. fr. Damiani Fonseca (2) et p. fr. Ioannis Guifana.

5. In provincia Germaniae inferioris approbamus magisteria p. fr. Iacobi Guellii conventus Lovaniensis, p. fr. Levinii Meyts, p. fr. Guiliermi de Cambre, p. fr. Dominici Anselmi, et licentias p. fr. Ioannis Rosa et p. fr. Matthaei Mori, et baccalaureatum et licentias p. fr. Francisci Dompsii (3), p. fr. Nicolai de Reux, et p. fr. Iacobi Rocourt. Item baccalaureatum p. fr. Petri de Ruy, p. fr. Ioannis Liropii, p. fr. Theodori Fustingii, p. fr. Philiberti Fabri et p. fr. Andreae Gondani.

6. In provincia Calabriae approbamus magisteria pp. fr. Nicolai de Visiniano, fr. Augustini de Zagarezio, fr. Vincentii Mazza, fr. Gregorii de Agropterea, fr. Dominici de Rosarno et fr. Stephani de Rosarno et fr. Philippi de Mondelio.

7. In provincia s. Crucis approbamus magisterium p. fr. Ioannis de las Cabeças expositi in capitulo Neapolitano.

8. In provincia s. Ioannis Baptistae del Perù approbamus magisterium p. fr. Thomae de Blanes et praesentaturam p. fr. Didaci de Oxeda lectoris in conventu civitatis Regum.

9. In provincia sancti Dominici approbamus magisteria p. fr. Hieronymi de Venetiis et p. fr. Vincentii Pontini de Tarvisio.

10. In provincia Mexicana approbamus magisterium p. fr. Ferdinandi Baçan (4).

---

(1) De fr. Elipho Poirelo cf. SSOP. II, 389.
(2) De fr. Damiano Fonseca cf. l. c. pag. 424.
(3) De fr. Francisco Dompsio cf. l. c. pag. 483.
(4) De fr. Ferdinando Baçan cf. l. c. pag. 407; MOPH. X, 404.

11. In provincia s. Petri Martyris approbamus baccalaureatum p. fr. Bonifacii de Cherio.

Promotiones.

1. In provincia Tholosana promovemus ad gradum magisterii admodum rev. p. fr. Ludovicum de Castes eiusdem provinciae provincialem, p. fr. Bertrandum Gaude priorem Condomiensem, p. fr. Iosephum de Ibreis priorem Agenensem et p. fr. Ioannem Bozsemot, p. fr. Hugonem Chumel, secundum ordinem suarum professionum; primum tamen locum praedicto patri provinciali concedimus et adiudicamus.

2. In provincia Poloniae promovemus ad magisterium p. fr. Martinum Nepersium priorem Siradiensem, p. fr. Hyacinthum Succium priorem Cracoviensem praesentis capituli diffinitorem; ad baccalaureatum p. fr. Andream Mylliservium, fr. Ioannem Evangelistam, p. fr. Ignatium Connatium et fr. Severinum Tarnoviensem, fr. Camillum Samboriensem (1) et fr. Abraham Bzovium (2), ea tamen conditione, ut adepto gradu legat in studio generali Cracoviensi.

3. In provincia Aragoniae promovemus ad magisterium p. fr. Antonium Reus praesentatum et p. fr. Thomam Rocca, p. fr. Dominicum Xavierre et p. fr. Petrum de la Vega et p. fr. Martinum de la Carcel (3), cum tantum laborem pertulerit in legendo in insula Sardiniae; cui etiam iniungimus, ut eo redeat et in lectione perseveret per tres annos, alias eius gradus in provincia non admittatur.

4. Ad praesentaturam p. fr. Franciscum Font, p. fr. Isidorum Aliaga, p. fr. Dominicum Augustin, p. fr. Ioannem Contreras, p. fr. Hieronymum Cucalon et p. fr. Reginaldum Oliver (4) et p. fr. Augustinum Arbel et p. fr. Thomam Olivo.

5. In provincia Provinciae ad magisterium p. fr. Lucam Alemandi; ad baccalaureatum p. fr. Innocentium Berardum, p. fr. Petrum Paulum Passeromes, p. fr. Aegidium Sicardum et p. fr. Petrum Bovetum huius capituli diffinitorem et p. fr. Antonium Vincentium.

6. In provincia Trinacriae promovemus ad baccalaureatum p. fr. Octavium Manganum de Leontino, p. fr. Vincentium de Rocca sicca et p. fr. Thomam Paschalem de Mezana.

7. In provincia Portugalliae promovemus ad praesentaturam p. fr. Didacum Tavera pro congregatione Indiae et p. fr. Ludovicum Suarez praedicatorem generalem, salvis suae provinciae iuribus, concedimusque ei,

---

(1) De fr. Camillo Samborien. cf. SSOP. II, 357.
(2) De fr. Abraham Bzovio cf. l. c. pag. 488.
(3) De fr. Martino de la Carcel cf. l. c. pag. 359.
(4) De fr. Reginaldo Oliver cf. l. c.

ut simul cum gradu praesentaturae gaudeat titulo et privilegiis praedicatoris generalis, non obstantibus quibuscunque ordinationibus capitulorum generalium in contrarium.

8. In provincia Bethicae promovemus ad magisterium p. fr. Franciscum Bello huius capituli diffinitorem et p. fr. Alfonsum Osorio, quem in sua primaria lectione theologiae per tres annos perseverare volumus. Ad praesentaturam p. fr. Ioannem Manuel de Henestrosa et p. fr. Ludovicum Moyana et p. fr. Ludovicum Poncae de Boca negra.

9. In provincia Dalmatiae promovemus ad magisterium p. fr. Evangelistam de Lesina et ad baccalaureatum pro provincia Dalmatiae, si tamen suae provinciae restituatur, fr. Cornelium de Iadra.

10. In provincia inferioris Germaniae concedimus fr. Andreae Gadano et p. fr. Philiberto Fabro baccalaureis formatis licentiam prosequendi studia sua in aliqua universitate usque ad licentias inclusive, obtenta tamen prius facultate a suo provinciali.

11. In provincia s. Thomae promovemus ad magisterium p. fr. Thomam de Grottole, p. fr. Dominicum Castromediano de Leve, p. fr. Petrum de Taranto; ad praesentaturam p. fr. Thomam Rubini de Ruo, p. fr. Marcellum de Gallipoli, p. fr. Carolum de Galatula.

12. In provincia Calabriae promovemus ad magisterium p. fr. Angelum de Gemiliano, ad gradum baccalaureatus p. fr. Antoninum de Scalciatis et p. fr. Thomam de Zagaresio.

13. In provincia s. Crucis promovemus ad praesentaturam p. fr. Ioannem Diaz, p. fr. Ioannem Maldonado, p. fr. Ioannem Mexia et p. fr. Antoninum del Aquila.

14. In provincia Mexicana promovemus ad gradum magisterii p. fr. Ioannem Boorques Cataño provincialem dictae provinciae et p. fr. Gundisalvum de Caravajal et p. fr. Ludovicum Valleio; ad praesentaturam p. fr. Augustinum Carfate.

15. In provincia Occitana et universitate Tolosana promovemus ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii p. fr. Gratianum Simeonis. In universitate Avenionensi ad gradus magisterii p. fr. Petrum de Costa et p. fr. Claudium Dubelli.

16. In provincia del Quito promovemus ad magisterium p. fr. Henricum de Guzman, p. fr. Petrum Bedon; ad praesentaturam p. fr. Ioannem de Cardenas, p. fr. Petrum Ruan et p. fr. Ludovicum de Porto Carrero et p. fr. Marcum de Flores.

17. In provincia Aprutina promovemus ad magisterium, servatis servandis, p. fr. Andream Pennensem.

Provisiones studiorum.

1. In provincia Aragoniae in conventu Barcinonensi damus in re-

gentem p. fr. Thomam Rocca magistrum, et in secundum lectorem theologiae p. fr. Antoninum Burguera loco p. fr. Thomae Rocca magistri, in magistrum studentium p. fr. Gasparem Vincentium, in lectorem artium fr. Hippolytum Barber. In conventu Caesaraugustano in magistrum studentium p. fr. Thomam Venazque. In studio Illerdensi in lectorem theologiae, qui legat pro gradu et forma, p. fr. Franciscum Font praesentatum. In conventu s. Dominici Maioricarum in primum lectorem theologiae p. fr. Reginaldum Oliver praesentatum, qui legat pro gradu et forma magisterii, in lectorem artium pro praesenti anno p. fr. Bartholomaeum Piza, non obstantibus in contrarium quibuscunque etiam capitulorum generalium provisionibus, et pro alio cursu immediate sequenti p. fr. Bartholomaeum Reus, eiusdem conventus magistrum studentium, volumusque in praedicto officio perdurare, quoadusque cursum incipiat, non obstantibus in contrarium quibuscunque.

In conventu Valentino damus in lectorem sacrae theologiae p. fr. Hieronymum Cucalon praesentatum, qui legat pro gradu et forma magisterii. In conventu Luchentino damus in lectores sacrae theologiae, qui legant pro gradu et forma magisterii, p. fr. Antoninum Domenec, peracto prius tempore sui prioratus, et p. fr. Iacobum Pastrana praesentatos. In conventu Gerundensi damus in lectorem theologiae p. fr. Ioannem Guasc. In collegio Dertusensi damus in regentem p. fr. Michaelem Lot (1) magistrum et in magistrum studentium p. fr. Petrum Vilar; de aliis lectoribus et studiorum officialibus in conventu Valentino et tota provincia providebit reverendus admodum p. vicarius generalis, non obstantibus quibuscunque provisionibus capituli Neapolitani et aliorum capitulorum generalium.

2. In provincia Trinacriae in studio s. Dominici Panormi damus in magistrum studentium p. fr. Petrum Benfare.

3. In provincia Bethica in conventu s. Pauli Cordubensis damus in lectorem theologiae p. fr. Ioannem Manuel de Henestrosa praesentatum, qui legat pro gradu et forma magisterii.

4. In provincia Apuliae in studio Andriae damus in regentem studii p. fr. Dominicum de Litzio, in baccalaureum p. fr. Pompeium de Gritolis, in magistrum studii fr. Octavium de Litzio.

5. In provincia Calabriae damus in regentem p. fr. Scipionem de Roblano, in baccalaureum p. fr. Antoninum de Scalceatis, in magistrum studii pro tertio anno p. fr. Vincentium de Lungio et pro quarto anno p. fr. Silvestrum de Zagaresio.

6. In provincia Occitana damus in regentem principalem nostri

(1) De fr. Michaele Lot cf. SSOP. II, 378.

conventus Tolosani p. fr. Sebastianum Michaelis (1) magistrum; de caeteris autem lectoribus providebit reverendus admodum p. provincialis.

7. In studio Avenionensi damus in regentem reverendum p. fr. Spiritum Figuratum magistrum.

8. In provincia s. Petri Martyris in studio s. Eustorgii Mediolani damus in regentem pro annis 1601 et 1602 p. fr. Ioannem Ambrosium Barbavarium (2) baccalaureum, quem ad magisterium promovemus, et pro anno 1603 p. fr. Gregorium de Mediolano baccalaureum, dummodo per sequens biennium theologiam legat. In baccalaureum pro anno 1601 et 1602 p. fr. Ioannem Ambrosium de Alexandria magistrum studentium, et in magistrum studentium pro eisdem duobus annis p. fr. Basilium de Novaria lectorem.

9. In provincia Aprutina damus in magistrum studii p. fr. Dionysium Lucensem, in baccalaureum, servatis servandis iuxta nostras leges, p. fr. Ioannem Colle.

Assignationes.

1. In studio Bononiensi assignamus in studentes formales fr. Thomam Calorum de Anagnia pro provincia Tolosana, fr. Thomam Portenchalium pro rata provinciae Poloniae, fr. Dominicum de Castillione pro rata provinciae Provinciae, fr. Hieronymum de Rosano pro primo loco vacante provinciae Calabriae, fr. Iulium de Gravina pro primo loco vacante provinciae sancti Thomae et fr. Albertum de Terdona provinciae sancti Petri Martyris pro secundo loco.

2. In studio Neapolitano pro rata provinciae Regni Vincentium de sancto Severino primum pro primo loco, Antonium de Camerota pro secundo loco, Vincentium de sancto Severino secundum pro tertio loco, Felicianum de Neapoli pro quarto loco, fr. Hippolytum Mariam de Neapoli secundum pro quinto loco, fr. Thomam de Magdalono pro sexto loco, fr. Ioannem de Ayrola pro septimo loco, fr. Ioannem de Consentia pro primo loco vacante; pro rata provinciae Calabriae fr. Augustinum de Medunio pro primo loco vacante, fr. Antonium de Heritono pro secundo loco pro rata provinciae sancti Thomae, fr. Bartholomaeum de Clarasco pro primo loco vacante provinciae sancti Petri Martyris. In eodem studio pro secundo triennio assignamus fr. Paulum de Messana et fr. Iacobum Flandrensem pro rata suarum provinciarum.

3. In studio Panormitano fr. Augustinum de Litio pro primo loco vacante, pro secundo loco fr. Thomam de Ossano provinciae sancti Thomae, fr. Dominicum de Monteleone pro primo loco vacante provinciae Calabriae.

---

(1) De fr. Sebastiano Michaelis cf. MOPH. X, 269.

(2) De fr. Ioanne Ambrosio Barbavario cf. SSOP. II, 312.

4. In studio Andriensi fr. Vincentium de Suriano et fr. Aloysium de Tropeya pro provincia Calabriae.

5. In studio Consentino fr. Dominicum de Pistilio pro primo loco vacante provinciae sancti Thomae.

6. In studio Patavino fr. Valerianum Lithvanedes (1) pro provincia Poloniae, fr. Franciscum de Taranto pro primo loco vacante et pro secundo fr. Ioannem de Venusio provinciae sancti Thomae, fr. Michaelem de Ferroligo pro rata provinciae Calabriae, fr. Ioannem Antonium de Rippulis provinciae sancti Petri Martyris pro secundo loco.

7. In studio sancti Eustorgii Mediolani fr. Thomam Secovium provinciae Poloniae pro secundo loco.

8. In conventu Salmantino assignamus fr. Xantum de Venetiis provinciae sancti Dominici.

9. In provincia Hispaniae assignamus fr. Damasum Artufel, fr. Iacobum Roberti, fr. Iacobum Reberium ; in provincia utriusque Lombardiae fr. Vincentium Straserra et fr. Petrum Logorda ; in provincia Aragoniae fr. Antoninum Lyonsium et fr. Andream Guerinum omnes ex provincia Provinciae, quibus admodum rr. pp. provinciales providebunt de conventibus, in quibus litteris operam dare possint.

10. In conventu sancti Petri Martyris del Quito assignamus fr. Henricum de Guzman a conventu s. Pauli Hispalensis.

11. In provincia sancti Ioannis Baptistae del Perù assignamus fr. Melchiorem de Monço a quacunque provincia eum removentes.

Institutiones.

1. In provincia Provinciae instituimus in praedicatores generales p. fr. Claudium Bresesium et p. fr. Antoninum Guicaeiardum et p. fr. Ludovicum Tornerium.

2. In provincia Portugalliae pro primis locis vacantibus p. fr. Franciscum de Plagis, p. fr. Leonardum de Angelis et p. fr. Didacum de Azevedo.

3. In provincia Calabriae instituimus praedicatorem generalem p. fr. Marcum Antonium de s. Georgio.

4. In provincia Mexicana instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Raphaelem de Sandoval huius capituli diffinitorem pro conventu sanctae Mariae de Guia civitatis novae Verae Crucis. Item instituimus et erigimus in eadem provincia in conventum eandem domum nostram sanctae Mariae de Guia dictae civitatis novae Verae Crucis, servatis tamen servandis iuxta nostras constitutiones et ordinationes capitulorum generalium, et damus in eius priorem pro hac prima vice p. fr. Fran-

(1) De fr. Valeriano Lithvanede cf. l. c. pag. 484.

ciscum de Feria; quod si ipse modo hoc munus subire non possit, damus p. fr. Dominicum Velazquez.

5. In provincia Occitana in praedicatores generales instituimus p. fr. Georgium Laugerii priorem conventus Clarimontis et p. fr. Raphaelem Codoneli conventus Massiliensis.

6. In provincia sancti Antonini instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Dominicum Gonzales Viera huius capituli diffinitorem.

7. In provincia sancti Dominici instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Rugerium de Portu Gruario.

8. In provincia del Quito loco p. fr. Henrici de Guzman instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Marcum de Flores, et pro primo loco vacante p. fr. Andream Romero. Item supplemus defectum aetatis ad praedicatorem generalem necessariae p. fr. Ioannis de Aagama.

9. In provincia Romana instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Laurentium Monssacrati.

Restitutiones.

1. Restituimus ad gratias ordinis p. fr. Titum de Salerno.

2. In provincia Provinciae restituimus ad gratias ordinis p. fr. Iacobum Turnerium magistrum et p. fr. Dominicum Fabrum, cum primum renuntiaverint beneficiis, quibus inserviunt.

3. In provincia Calabriae restituimus ad vocem passivam p. fr. Dominicum de Polistena magistrum.

4. In provincia s. Dominici restituimus ad vocem activam p. fr. Theodorum Leporinum.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Clemente octavo, qui sacra apotheosi beati Raymundi et beatificatione beatae Agnetis de Monte Politiano nuper ordinem nostrum decoravit, innumerisque beneficiis in hoc generali capitulo ac in dies eum devincit, quilibet sacerdos tres missas.

Pro felici statu sanctae matris ecclesiae catholicae Romanae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico Hispaniarum rege quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege quilibet sac. unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Asculano, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissima infanta Isabella de Austria, archiduce de Austria, duce Sabaudiae et tota eius prole, quil. sac. unam missam.

Pro illustrissimis et excellentissimis dominis d. duce de Sesa, Hispa-

niarum regis catholici in Romana curia oratore, coniuge et filiis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo domino Francisco Peña, rotae auditore, qui multum in sancti Raymundi canonizatione laboravit, qu. sac. un. mis.

Pro omnibus principibus christianis et maxime pro his qui pugnant contra hostes fidei, et pro bono statu totius reipublicae christianae quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis, praesertim ex ordine nostro assumptis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris, illis praesertim qui huic capitulo eleemosynas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione totius nostri ordinis et pro eius capite reverendissimo patre generali et in eius societate laborantibus, quilibet sacerdos unam missam.

Ubi sacerdotibus una missa, clericis aliis litaniae, conversis vero ac laicis decies pater noster et ave Maria semper imponitur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima Philippi secundi Hispaniarum regis catholici, cuius memoria in benedictione est, et qui ordinem nostrum singulari benevolentia et largitate semper prosequutus fuit, quillibet sac. unam missam.

Pro animabus illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini, Alexandrini quondam ordinis nostri protectoris, et Iustiniani et reverendissimi d. f. Iulii Doffi episcopi Alessani ex ordine nostro assumptorum, quorum tres nostro capitulo generali perpetuam eleemosynam testati sunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima bonae memoriae p. fr. Hippolyti Mariae Beccariae, quondam generalis nostri, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium mortuorum, conversis autem ac laicis rosarium imponitur.

Damus reverendissimo patri generali omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, et eisdem addere vel minuere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus et signanter circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus, secundum quod eius prudentiae expedire visum fuerit.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod pro una vice tantum eligere possint aliquem patrem sacerdotem, ad confessionum audientiam in nostro or-

dine expositum, qui potestatem habeat ipsos absolvendi ab omnibus casibus et censuris, in quas ante harum publicationem incurrissent, a quibus ipsemet reverendissimus absolvere posset. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earundem ordinarii confessores.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. pp. provincialibus et diffinitoribus huius capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae damnatum ad gratias omnes ordinis restituere, si tamen sua humilitate et bono exemplo huiusmodi favore dignum se praestiterit.

Capitulum sequens, quod erit provincialium, assignamus in conventu nostro Vallisoletano sancti Pauli provinciae Hispaniae hinc ad tres annos videlicet 1604 in festo sanctissimi Pentecostes.

Praecipimus denique in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quamprimum legere et publicare faciant omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter exequutioni mandentur et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio omnia, nullo praetermisso, legantur; mandantes insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu habeantur acta, alia in communi deposito cum aliis consuantur, altera habeant priores et supprioses, altera magistri novitiorum, nequando fratres ignorantiam eorum, quae in ipsis ordinata sunt, praetendere possint.

Volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Fr. Hieronymus Xavierre generalis qui supra manu propria.

ACTA CAPITULI GENERALIS VALLISOLETI IN CONVENTU SANCTI PAULI ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES ANNO DOMINI ·M°·D°·C°·V°·

Sub reverendissimo p. fr. Hieronymo Xavierre Caesaraugustano (1) sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus communiter reverendis admodum patribus provincialibus et diffinitoribus, videlicet:

fr. Petro de Contreras magistro provinciali Hispaniae,
fr. Ludovico de Castes (2) magistro provinciali Tolosanae,
fr. Simone Bauza Maioricensi (3) magistro, provinciali Terrae Sanctae,
fr. Bernardo Sarrià (4) magistro provinciali Aragoniae,
fr. Michaele Capello Ianuensi lectore, provinciali Bohemiae,
fr. Emanuele Coello magistro provinciali Portugalliae,
fr. Illefonso Romero (5) magistro provinciali Baeticae,
fr. Luca Alemandi (6) magistro provinciali Provinciae,
fr. Iosepho Bourguignon magistro provinciali Occitanae,
fr. Ioanne Saulio (7) magistro pro provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Vincentio Civitella (8) magistro pro provinciali Romanae,
fr. Ioanne Chrysostomo Robcicensi baccalaureo et priore Cracoviensi pro provinciali Poloniae,
fr. Antonino de Veria magistro pro provinciali Trinacriae,
fr. Henrico Greve Conde pro provinciali Germaniae inferioris,
fr. Angelo de Gemiliano (9) magistro pro provinciali Calabriae,
fr. Ferdinando de Cubas pro provinciali sancti Iacobi de Mexico,
fr. Leonardo de Garfias praesentato pro provinciali sancti Antonini de Novo regno,

(1) De fr. Hieronymo Xavierre cf. supra pag. 1.
(2) De fr. Ludovico de Castes cf. l. c. pag. 1, 36.
(3) De fr. Simone Bauza cf. MOPH. X, 402.
(4) De fr. Bernardo Sarrià cf. l. c.
(5) De fr. Illefonso Romero c. l. c. pag. 302.
(6) De fr. Luca Alemandi cf. l. c. et supra pag. 36.
(7) De fr. Ioanne Saulio cf. SSOP. II, 377.
(8) De fr. Vincentio de Civitella cf. MOPH. X, 402.
(9) De fr. Angelo de Gemiliano cf. l. c. pag. 377, 399, 401, supra pag. 37.

fr. Camillo Balliano de Mediolano (1) magistro, inquisitore Alexandriae et priore, pro provinciali sancti Petri martyris,
fr. Francisco Scriva lectore pro provinciali sanctae Catharinae de Senis.

Universis et singulis patribus et fratribus ordinis praedicatorum
Frater Hieronymus Xavierre Caesaraugustanus
totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus salutem.

Quamvis, si humanae vitae naturam consideremus, eam aerumnosam peregrinationem iudicare possimus, varia tamen multorum sors admirationem et terrorem cordatis facile incutere poterit. Vita enim ista misera, caduca, variis undique circumdata laboribus, innumeris circumvallata sollicitudinibus, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, escae inflant, ieiunia macerant, iuventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, moeror deprimit, cuius periodum mensurabiles dies seu potius mensura pugillorum terminatos posuit Omnipotens, quibus malis mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miserae vitae ita finem imponit, ut cum esse desierint, non fuisse putentur. Merito igitur cum Propheta exclamare possemus « Taedet me laboriosae vitae meae (2) ».

Illud tamen animum nostrum maxime vexat, exagitat, pungit et dilacerat, quod utique sine magno tremore recoli, sine multo timore pensari non valet; variam, inquam, eorumdem hominum prospicere sortem. Vidimus enim multos, et a patribus nostris audivimus, ascendisse primitus quodammodo usque ad caelos, postmodum autem descendisse usque ad abyssos et animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de caelo cecidisse ab impetu ferientis cauda draconis. Vidimus vivos morientes, et eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Quare autem omnia ista? Unde ex tanta ad tam miseram et infimam sortem? Quia legem Domini obliti, in latitudine, vel dilatatione cordis in via mandatorum eius currere noluerunt. Unde autem ad tantum malum prolapsi sunt? Si enim mandata Domini dulciora super mel et favum, si pretiosiora super aurum et topazion, quare dulce iudicarunt amarum, verasque divitias et incommutabile bonum in caducas et velut spinas pungentes commutaverunt? Cecidit, cecidit antemurale, et murus pariter dissipatus est. Minima neglexerunt, et paulatim defluxerunt. Sanctas leges, utiles ordinationes, maiorum monitiones, et superiorum consilia parvifecerunt, unde et divinorum mandatorum neglectus facile subsequutus est.

---

(1) De fr. Camillo Balliano cf. supra pag. 8.
(2) Iob X, 1.

Concurrunt igitur ex omnibus provinciis graviores patres, qui velut alter Moyses in confractione vel ruptione muri stent, fulciant, instaurent, reficiant, et tamquam propugnacula antemurale communiant. Ad hoc igitur cum in hoc capitulo undique terrarum confluxerimus, multa ex caeremoniis et sacris constitutionibus firma stabilire, fortia conservare, diruta instaurare, et collapsa erigere renovatis sanctionibus conati sumus. Vos igitur amantissimi patres rogo et obtestor per adventum Domini nostri Iesu Christi, ut memores vocationis vestrae et fidei, quam spopondistis, illa alacri fronte recipere et animo lubenti amplecti velitis nec ea floccipendatis, quibus perfectionem christianam a vobis diu optatam facile poteritis adipisci. Valete et Deum pro me orate.

Vallisoleti in nostro conventu sancti Pauli die 10. iunii anno 1605.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatae Mariae semper Virginis, beati Dominici patris nostri, omnium Sanctorum et Sanctarum Dei.

Acta quae in eodem capitulo 1605 pro conservanda augendaque religione, Deo dante, proponuntur.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus omnibus nostri ordinis fratribus, potentissimum Hispaniarum regem catholicum capitulum hoc nostrum amplissimis favoribus cumulasse, namque nostram solemnem et fratrum multitudine numerosam supplicationem die sanctissimo Pentecostes ab ecclesia nostra s. Pauli ad cathedralem tam in accessu quam in reditu, ipsemet pluribus principibus, et horum regnorum proceribus comitatus condecoravit. Fontem baptismalem, in quo sanctissimus pater noster Dominicus nomen in christianam religionem dedit, ab oppido Calaroga Vallisoletum asportari mandavit, et in eo principem eius filium eodem sacratissimo die a Vesperis solemnissimo ritu ab illustrissimo et reverendissimo d. d. Bernardo de Roias et Sandoval, S. R. E. cardinali archiepiscopo Toletano, in templo nostro baptizari iussit, vocatumque est principis nomen Philippus Dominicus Victorius. Publicas nostras disputationes sua regia praesentia una cum regina uxore cohonestavit. Amplissimam eleemosynam pro alendis fratribus, qui ad capitulum ex diversis orbis terrarum partibus confluxerunt, maxima cum hilaritate tribuit ac permulta alia praestitit, quibus magnam, qua erga nostrum ordinem afficitur, benevolentiam clarissime ostendit. Quapropter praeter suffragia in hoc nostro capitulo praecepta monemus et hortamur omnes utriusque sexus ad dominicanam nostram religionem quavis ratione spectantes, ut quotidianas preces pro eisdem potentissimis regibus et eorum prole Deo optimo maximo devote offerant.

2. Denuntiamus, supremum sanctae inquisitionis Hispaniarum senatum auctoritate apostolica et regia decrevisse, ut in omnibus regnis sibi

subiectis ordo militaris de militia Iesu Christi cruce signatorum militum a patre nostro beatissimo Dominico contra haereticos institutus, et a summis pontificibus approbatus et confirmatus de novo restauretur et, si opus est, instituatur, quorum congregatio in nostris conventibus dumtaxat habeatur, obtenta tamen prius licentia ab inquisitoribus. Quare potentissimus Hispaniarum rex catholicus, fidei zelator et defensor accerrimus, sanctaeque inquisitionis et nostrae religionis protector optimus, instaurationem ordinis militiae Iesu Christi desiderans, suo decreto regio sancivit atque concessit omnibus praedictis sanctae inquisitionis ministris, ut possint nostris praedicatorum insigniis, alba videlicet et nigra cruce, floribus velut liliorum terminata et deaurata super vestes uti, ipsisque decorari in festis beatissimi patris nostri Dominici, beati Petri martyris, beati Raymundi et in solemnitate sacratissimi corporis Christi et in omnibus actibus fidei, propositione et publicatione edicti sanctae inquisitionis et quotiescumque regia maiestas aliquod ingreditur regnum vel civitatem, ut constat ex regesto originali in archivis sanctae et generalis inquisitionis supremi senatus conservato sub dat. Vallisoleti 29. iulii 1603 per manum notarii et secretarii Ferdinandi de Villegas.

Quamobrem ordinamus et mandamus omnibus fratribus nostri ordinis in conventibus sacrae inquisitioni Hispaniae subiectis commorantibus, ubi commode fieri potest, ut summa, qua poterunt, diligentia devotione et solemnitate curent praedicta festa simul cum praefatis militibus et sanctae inquisitionis ministris celebrare, processiones solemnes et pomposas, in quibus reliquiae sanctorum et vexilla sanctae inquisitionis deportentur, ita componere et ordinare, sicut tanti patris sancti Dominici primi inquisitoris, principis et institutoris sancti officii filios et divi Petri martyris invicti fidei propugnatoris commilitones, necnon beati Raymundi totius Hispaniae inquisitoris alumnos decet.

3. Denuntiamus felicis recordationis Clementem octavum motu proprio, et de plenitudine potestatis apostolicae sub annulo piscatoris die 30. iulii 1601 provinciam sancti Hyacinthi ac nomen, titulum et essentiam illius omnino extinxisse et in locum eiusdem congregationem novam in Russia ex conventibus Leopoliensi, Camenecensi, Kioviensi, Rubeicastri, Iasloviensi et Mosticensi a provincia Poloniae separatam erexisse. Conventus vero alios, qui in capitulo generali Valentiae a provincia Poloniae separati et provinciae sancti Hyacinthi assignati fuerant (1), una cum privilegiis eorundem conventuum, in conventu Leopoliensi depositatis, restitui decrevisse, silentiumque perpetuum in virtute spiritus sancti

(1) Cf. MOPH. X, 363 sqq.

et sanctae obedientiae necnon sub poena excommunicationis latae sententiae et aliis de nihil innovando in posterum utrique parti imposuisse, non obstantibus ordinationibus capitulorum generalium Valentiae et Neapoli (1) immediate celebratorum et aliis tam litteris apostolicis Pii secundi et Sixti quarti pro societate peregrinantium, quam etiam quibusvis decretis ab ordine emanatis in contrarium. In quorum omnium exequutionem r. p. magister fr. Dominicus Landius, ab eodem Clemente octavo et reverendissimo patre generali executor et visitator missus est, eaque in conventu Praemisliensi provinciae Poloniae, assistente illustrissimo et reverendissimo episcopo loci illius in praesentia utriusque partis citatae et comparentis publicavit et exequutus est. Patres vero et fratres tam provinciae Poloniae, quam congregationis in Russia huiusmodi diffinitionem et exequutionem laudarunt, approbarunt et subscripserunt, prout clare constat per acta Ioannis Crosnensis, sacra auctoritate apostolica publici notarii prima die iulii 1602 facta. Quae omnia praedictus pontifex Clemens octavus videlicet tam decretum quam exequutionem illius per litteras sub plumbo datas Romae apud sanctum Petrum 1604 nono kalendas maii, itemque per alias litteras sub annulo piscatoris datas Romae die 23. aprilis eiusdem anni confirmavit, non obstantibus litteris suis in forma brevis, quibus inhibetur, ne provincialis Poloniae praetendat iurisdictionem super conventus in Russia, et etiam capitulo generali Romae 1601, in quo ex mera gratia sedis apostolicae fratres Rutheni pro rata suae provinciae voces, loca et diffiniendi auctoritatem cum aliis provinciis habuerunt. Nos igitur cum omni reverentia dictas litteras, decreta et diffinitiones apostolicas, earumque exequutionem acceptamus, praecipientes sub poenis a sede apostolica taxatis omnibus fratribus ad provinciam Poloniae et congregationem in Russia pertinentibus, ne directe vel indirecte praefatae ordinationi apostolicae contradicere vel aliquid circa hoc in posterum innovare audeant.

4. Denuntiamus in conventu nostro praedicatorum Valentiae provinciae Aragoniae gloriose obiisse r. p. fr. Dominicum Anadon, virum sane religiosum, simplicitatis et humilitatis exemplar, qui in humilitate vivere volens, tota fere vita sua ostio praefuit, pauperum amator et eorundem evangelizator, qui clarens multis miraculis tam in vita quam in morte, migravit ad Dominum anno 1602 die 28. decembris.

Declarationes.

1. Declaramus, ordinationes et praecepta a visitatoribus facta manere in suo robore durante auctoritate eorum, a quibus missi sunt.

2. Declaramus, vicarios congregationum et vicariarum expleto tem-

(1) Cf. MOPH. X, 384.

pore sui officii habere locum in sua congregatione vel vicaria super omnes, qui non fuerunt vicarii, sicut provinciales in suis provinciis.

3. Declaramus, posse fratres institui suppriores, quamvis non habeant duodecim annos a professione, et sic institutos posse electiones dirigere, non tamen in electionibus votum habere.

4. Declaramus, quod diffinitor tam capituli generalis quam provincialis etiam praesente aliquo priore debet dicere « fidelium ».

5. Declaramus, quod patres, qui fuerunt priores, tantum sunt patres a consiliis in illis conventibus, in quibus fuerunt priores, ut etiam alias declaratum fuit. Concedimus autem omnibus patribus, qui in aliqua provincia fuerunt provinciales, ut sint patres a consiliis in quibuscumque conventibus, in quibus fuerint assignati, etiam si sint alterius provinciae ab illa, in qua fuerunt provinciales.

6. Declaramus, quod, si contingat aliquem conversum professum admitti ad habitum clericalem, habeat vocem in electionibus canonicis post duodecim annos a susceptione habitus clericalis.

7. Declaramus, pro provincia Poloniae concessionem et declarationem felicis recordationis magistri generalis Iustiniani de reeligendis provincialibus in eadem provincia auctoritate apostolica factam in suo robore permanere, non obstante declaratione capituli generalis Romae celebrati 1589.

Confirmationes.

1. Confirmamus in primis illam de capitulo habendo ad minus de quindena in quindenam, in quo inter reliqua tenebuntur praesidentes culpas subditorum audire, unius saltem chori, et pp. provinciales, quos in hoc invenerint negligentes, a suis officiis absolvant.

2. Confirmamus illam de depositis, ut videlicet qui pecunias undequaque habuerint, teneantur sub poenis proprietariis debitis infra terminum vigintiquatuor horarum easdem praelato suo praesentare, et de eius licentia in communi deposito ponere; quod in moderata pecuniarum quantitate permitti poterit, attenta tamen personarum et occasionum qualitate; tempus vero et usum priorum arbitrio relinquimus, quorum conscientiam in diem Christi aggravamus, ut invigilent, ne fratres pecunias aliter expendant, quam eorum religiosa necessitas vel commoditas tulerit.

3. Confirmamus illam de examinandis omnibus exponendis ad audientiam confessionum, admittendis ad officium praedicationis et ad sacros ordines, quos omnes per vota secreta approbari volumus. Circa graduandos autem confirmamus ordinationem quintam decimam capituli Valentini, declarantes non esse intelligendam de baccalaureis, et magistris, qui secundum nostras constitutiones tempus praefixum legerint, tollentes etiam a praedicta ordinatione poenam excommunicationis. In

provinciis autem Galliarum decernimus servandum esse morem earum, quantum ad eos, qui rigorose apud saeculares examinantur. In aliis autem ordinationem ipsam inviolabiliter servari volumus.

4. Confirmamus illam, ut nullus a quacumque religione expulsus ad habitum religionis nostrae recipi possit, quod si receptus fuerit, praeterquam quod graviter punientur recipientes, receptio pro nulla habeatur, sicuti et professio, si qua postmodum subsequuta fuerit, sed talis statim ad saeculum remittatur; declarantes hoc esse intelligendum de professis in aliis religionibus.

5. Confirmamus illam, quod in provinciis et conventibus, ubi sunt plures fratres, nullus ad sacros ordines suscipiendos mitti possit, nisi adminus tres annos habeat completos a professione, ad diaconatum nisi quatuor, ad sacerdotium vero nisi quinque. Concedimus autem rr. pp. provincialibus, ut cum aliquibus benemeritis de consilio patrum possint dispensare. In aliis autem provinciis, ubi est maior indigentia sacerdotum, eo meliori modo, quo fieri poterit, observetur.

6. Confirmamus illam, ut possibilis adhibeatur diligentia, ne in conventus et prioratus erigantur loca, quae postea taxatum numerum fratrum iuxta nostras constitutiones sustentare nequeant. Quare in posterum nulla domus in prioratum erigatur aut erecta intelligatur, quantumcumque concessio facta fuerit, nisi per annum integrum ante duodecim fratres religiose aluerit et pro religiosis necessitatibus plene providerit.

7. Confirmamus illam, quod si aliqui fratres reperti fuerint, qui alicui extra ordinem summam pecuniarum per notabile tempus debeant, vel de quibus debitores conquerantur, activa passivaque voce per superiores privari debebunt, et nihilominus carceri mancipari, iudicio praelatorum, habita ratione debitorum; addentes etiam sub eadem poena, ne fratres debita contrahant maxime cum saecularibus absque licentia sui praelati, cui tenebuntur suae necessitatis causam prius significare.

8. Confirmamus illam, qua praecipitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae et omnibus poenis quomodocumque in capitulo gravioris culpae contentis, ne quis religionis negotia, sive fratrum sint sive monialium, quoquomodo deferre audeat directe vel indirecte, per se vel per alios ad tribunalia extra ordinem. Quod si qui fecerint, id scientes sub eodem formali praecepto et excommunicationis latae sententiae poena admodum rr. provinciali vel priori infra terminum duodecim dierum, quorum quatuor primos pro primo, quatuor secundos pro secundo, quatuor tertios pro tertio et ultimo peremptorio termino assignamus, denuntiare teneantur. Superior vero admonitus sub eodem pariter praecepto et excommunicationis latae sententiae poena infra terminum ut supra, praemis-

sis praemittendis, poenam transgressoribus supra taxatam infligere omnino tenebitur.

9. Confirmamus illam, quod quando contigerit mittere visitatores, commissarios et vicarios generales in aliquam provinciam vel in aliquem conventum, debeat sibi in litteris patentibus praefigi tempus, ultra quod non poterunt protrahere visitationem; hi autem, qui mittentur visitatores, nequaquam eligi poterunt in priores vel provinciales illarum provinciarum aut conventuum, quamdiu illarum vel illorum erunt visitatores. Quod et de eorum sociis dicimus, irritum et nullum decernentes, quidquid in contrarium factum fuerit. Tenebunt autem praedicti visitatores aut vicarii loca sua iuxta seriem nostrarum constitutionum et declarationum earundem.

10. Confirmamus illam, qua praecipitur in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, omnibus et singulis fratribus, cuiuscunque sint gradus aut conditionis, ne audeant extrahere a bibliotheca communi libros, quicumque illi sint, sine licentia superioris conventus; qui ipsam nullo modo dare poterit nisi in casu alicuius necessitatis et de patrum consilio.

11. Confirmamus illam, qua districte mandatur, ut libri ab aliquo fratre demortuo relicti publicae librariae applicentur, si in ipsa tales libri non erunt, addentes et praelatis mandantes, ut singulis annis aliquos libros ex modernis et gravibus auctoribus pro communi bibliotheca emant.

12. Confirmamus illam saepe saepius factam et mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sententiae, una hac pro trina canonica monitione praemissa, ne quis ordinis nostri divisionem procurare aliquando intentet.

13. Confirmamus omnes conventiones factas inter excellentissimum ducem de Lerma et conventum Vallisoletanum sancti Pauli, admittentes eum totamque eius domum ad omnes gratias et beneficia ordinis nostri, cum tot beneficia praedicto conventui contulerit et quotidie conferat. Cuius etiam singularem protectionem pro provincia Hispaniae et singulis eius conventibus cum pactis et conventionibus inter ipsum excellentissimum dominum et eandem provinciam factis laudamus, acceptamus et confirmamus.

14. Confirmamus ordinationem in praecedenti capitulo factam sub praecepto formali, ut quotiescunque in aliquo conventu aliquem fratrem mori contigerit, praelatus illius conventus infra spatium sex dierum teneatur omnes suae provinciae praesidentes de morte fratris certiores facere, pro cuius anima quilibet sacerdos illius provinciae dicet unam

missam, iuvenes septem psalmos, conversi rosarium beatissimae virginis Mariae.

15. Confirmamus illam, ut uniformitas in exteriori habitu in ordine observetur, ita ut caputium neque plicas habeat neque angulos neque magnum admodum neque breve nimium sit, sed in quadam mediocritate; tunicae sint de panno communi, non pretioso nec subtili, et scapularia etiam neque de subtili materia neque plicas habentia; similiter nec cappae sint de materia subtili vel pretiosa. Idem volumus observari in vestibus interioribus, ut sint humilitatem et decentiam monasticam prae se ferentes omnique curiositate carentes.

16. Confirmamus illam, ut praelati soliciti sint circa novitiorum educationem et de magistris novitiorum provideant et tales deputari curent, qui verbo et exemplo eos in regulari observantia nutriant, et visitatorem aliquem deputent provinciales, qui bis in anno domos novitiorum visitet, et quae ad eorum curam expedire noverit, diligenter ordinet et provideat; praecipientes omnibus conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, ne ulla ratione novitios et iuvenes per conventum discurrere permittant, neque e domo egredi nisi pro evidenti necessitate.

17. Confirmamus illam, ut in iuvenum receptione ad habitum et professionem suffragia publice ferantur, non obstantibus quibuscunque in contrarium.

18. Confirmamus gravissimeque prioribus iniungimus, conscientias eorum aggravantes, ut maxima cum vigilantia studiis attendant iubeantque lectoribus, ut horis constitutis videlicet post primam et vesperas suas lectiones praelegant nec tempora mutent nec desint lectionibus et conferentiis.

19. Confirmamus illam, quod lectores artium non possint tempore quadragesimae concionari, ita ut ob conciones ordinaria lectio impediatur; et quod ambo theologiae lectores eodem tempore concionibus non vacent, sed saltem alter eorum semper domi praelecturus remaneat.

20. Confirmamus et inviolabiliter observari volumus, ut quotidie omnium lectionum, quae audiuntur, fiant conferentiae, et circuli etiam singulis diebus proponantur, nisi actus superior impedierit; quod si lectores in hoc fuerint negligentes, lectionibus priventur, conscientias praelatorum onerantes, si in promovendis studiis fuerint negligentes.

21. Confirmamus illam, quod tempus studii formalium studentium sit triennium completum; quo finito non possint amplius in eodem studio permanere, ut detur locus aliis; addentes, ut ad studia generalia Italiae non possint mitti studentes formales nisi a provinciali et diffinitoribus capitulorum provincialium, quorum conscientias aggravamus, ut magis idoneos eligant et morigeratos.

22. Confirmamus, quod in conventibus, ubi non sunt lectiones theologiae aut artium, habeatur lectio de casibus conscientiae, cui intererunt omnes fratres non graduati.

23. Confirmamus, quod si concessae fuerint aliquae litterae patentes testificantes surreptitie de aliquo, in quibus dicatur, quod legerit vel alia huiusmodi egerit, quarum vigore aliquos gradus consequutus fuerit, eo ipso eius gradus non admittantur a capitulo provinciali. Idem etiam dicimus respectu praedicatorum generalium, extendentes hanc ordinationem ad eos, qui falsam informationem diffinitorio generali vel reverendissimo dederint, quos a suis officiis absolvi debere decernimus et perpetuo inhabiles ad praelaturas esse volumus.

24. Confirmamus, ut concionatores, qui tempore quadragesimae a carnibus abstinere non valent, per quadragesimam ad populum concionari non possint, ne plus tanto scandalo offendant quam verbis aedificent.

25. Confirmamus illam, qua praecipitur singulis nostrae religionis fratribus extra ordinem commorantibus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sententiae, una hac pro trina canonica monitione praemissa, ut infra spatium unius mensis a notitia praesentium ad ordinem revertantur, exceptis sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus et episcopis servientibus; revocantes quascumque licentias super hoc quibuscumque concessas.

26. Confirmamus illam, qua committitur rr. admodum patribus provincialibus, eorum conscientias aggravantes, ut priores aut conventuum praesidentes, quos invenerint facile et absque urgenti causa a suis conventibus saepe exire et itinera voluntaria arripere, in poenam a suis officiis absolvant; expensae autem, quas in huiusmodi itineribus fecerint, nulla ratione adscribantur conventibus, nisi certissime constet in commodum et utilitatem conventuum cedere. Declarantes et statuentes, non licere prioribus ultra dietam conficere iter absque licentia r. admodum p. provincialis prius obtenta, nisi tale sit negotium, quod dilationem non patiatur; tuncque etiam tenebuntur priores statim r. admodum p. provincialem certiorem facere de itinere, quod fuerint aggressi, exponentes causas illius; et si secus fecerint, expensae omnes non adscribantur conventibus, etiam si pro negotiis conventuum iter sit confectum, et aliis etiam poenis puniantur.

27. Confirmamus illam, qua praecipitur omnium conventuum praesidentibus sub poena absolutionis ab officio, ne facile facultatem tribuant, etiam de consilio patrum, fratribus discurrendi extra conventum vel eundi ad alios conventus seu oppida, etiam praetextu alicuius necessitatis, nisi vera sit et urgentissima, cum constet huiusmodi discursus magna parere incommoda et scandala.

28. Confirmamus et praecipimus omnibus conventuum praesidentibus graviterque eorum conscientias oneramus, ut valde difficiles se praebeant in licentiis e domo egrediendi concedendis, praesertim iunioribus. Actu vero studentibus et iunioribus nulla ratione concedantur; poterunt tamen iuvenes studentes semel in mense recreationis gratia egredi domum, ita tamen ut omnes simul vel ad campum vel vineam tendant cum licentia et benedictione sui praelati, quibus praecipimus sub poena absolutionis ab officio, ut socium nominent pro qualibet vice, quibus licentiam egrediendi concedent.

29. Confirmamus, quod si aliqui fratres in curiam vel curias eundo vel redeundo aliquas pecunias expenderint, nihil omnino de expensis illis solvatur, nisi forte propter bonum commune conventus illas adierint.

30. Confirmamus, quod fugitivi in nulla provincia recipiantur nisi in carceribus; qui postquam taxatas poenas luerint, ad suas provincias vel conventus statim remittantur. Et hoc mandamus sub poena suspensionis ab officio tam reverendis admodum patribus provincialibus quam prioribus seu praesidentibus conventuum seu domorum.

31. Confirmamus et in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto mandamus, ut in civitatibus et oppidis, in quibus conventus aut domos habemus, nullus possit pernoctare extra conventum nec in suburbanis sine licentia praelati, cuius conscientiam aggravamus, si in hac concedenda fuerint faciles.

32. Confirmamus et districte inhibemus omnibus fratribus nostri ordinis, ut neque possint saecularium negotia litigiosa apud quaecumque tribunalia procurare, neque se immergentes negotiis saecularibus, mercimoniis aut aliis huiusmodi, quae tam proprietatis vitio sunt vicina, intendant, et maxime nutriendis equis et alendis.

33. Confirmamus illam ex mandato felicis recordationis domini Clementis octavi factam, quod si qui tam temerarii et audaces fuerint nec Deum timentes nec homines reverentes, ut sanctissimo aliqua memorialia exhibere attentaverint, in quibus aliquid falsum contra fratres suos et praecipue contra praelatos sit contentum, severissime puniantur.

34. Confirmamus illam, quod poenae a constitutionibus taxatae deficienti in accusatione alicuius fratris addatur, quod haec poena omnino et indispensabiliter infligatur, et quod perpetuo inhabilis sit ad quascumque dignitates et infamis, nec ei in tribunalibus fides aliqua adhibeatur; quod tamen volumus intelligendum, quando delictum, de quo alium accusat, erit grave et non aliter.

35. Confirmamus et omnibus prioribus conventuumque praesidentibus districte iniungimus, ut qua poterunt brevitate faciant memorialia, quae vocantur inventaria, tum in deposito de omnibus scripturis tum

annuorum redituum, quae censualia vocantur, tum aliorum privilegiorum et similiter in qualibet officina conventus; ad quae inventaria constituatur liber in deposito, in quo ponatur primo inventarium privilegiorum et aliarum scripturarum pertinentium ad fundationem et statum conventus. Secundo ponatur inventarium scripturarum censualium perpetuorum et postea scripturarum censualium temporalium per ordinem mensium cum aliquo signo tam in inventario quam in ipsa scriptura, ut possint facile reperiri, et in alia parte ponatur inventarium omnium scripturarum pertinentium ad annuos reditus frumenti, vini et olei. In alio autem libro ponantur sigillatim inventaria omnium bonorum, quae reperiuntur in qualibet officina conventus, in quibus quaecumque bona, quae de novo ponuntur in aliqua officina, addantur inventario illius officinae, maxime autem in inventario sacristiae ponantur omnia iocalia, et quae offeruntur; quae teneantur sacristae, quantotius acceperint, praesentare patri priori seu principali praesidenti conventus, ut ponantur in inventario; ex quibus inventariis dentur transumptus cuilibet officiali talis officinae subscriptus a patre priore seu principali praesidenti, depositariis conventus et officiali officinae, quae omnia teneantur adimplere praelati sub poena absolutionis ab officiis eorum. Addentes, quod nullo modo extrahantur aliquae scripturae a deposito nisi in praesentia praelati taliter, quod in deposito maneat aliquod memoriale semper ipsius scripturae, donec restituatur.

36. Confirmamus illam in provincia Aragoniae, qua ad eius petitionem ordinatum fuit, ut provinciales alternative eligantur, dummodo digni et habiles reperiantur, et non alias, ex tribus praecipuis nationibus, incipientes a Catalonia. Declarantes, quod si aliquando mori vel amoveri contigerit aliquem ex eis, non possint reeligi ex eadem natione, sed devolvatur electio ad subsequentem nationem. Declarantes conventus regni Maioricarum et Ebusii pertinere ad nationem Valentinam, conventus autem Sardiniae ad nationem Cataloniae in electionibus provincialium.

37. Confirmamus in eadem provincia, id quod in duobus capitulis decretum est, ut in capitulis provincialibus eiusdem provinciae unius diffinitoris locus insulis detur.

38. Confirmamus illam, qua praecipitur in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto omnibus provincialibus Indiarum, ut, quam primum poterunt, mittant singuli numerum certum omnium conventuum, fratrum et redituum suarum provinciarum ad reverendissimum patrem nostrum generalem.

39. Confirmamus conventiones factas circa impressionem librorum videlicet missalium, breviariorum etc. inter reverendissimum patrem nostrum generalem magistrum et Alfonsum Ciacconum, quae omnes de

verbo ad verbum in diffinitorio huius capituli generalis lectae et approbatae fuerunt, ut constat in posse Manuelis Trigo notarii apostolici Valisoleti sexta die iunii 1605.

40. Confirmamus unionem factam et incorporationem in capitulo generali praeterito conventuum provinciae Saxoniae cum provincia Teutoniae.

41. Confirmamus in priorem provincialem provinciae Tolosanae admodum r. p. magistrum fr. Iosephum de Ibreys, absolventes eum ab officio prioratus Agenensis.

42. Confirmamus, quod alias ordinatum fuit, ut videlicet detur fratribus conversis specialis magister, qui eos instruere possit in cultu divino et caeremoniis ordinis et de aliis, quae ad eorum statum et officium pertinent.

43. Confirmamus in provincialem provinciae Provinciae fr. Lucam Alemandi magistrum.

Ordinationes.

1. In primis ordinamus et obnixe hortamur omnes fratres nostri ordinis, ut, quanta poterunt diligentia, curent divinum officium uniformiter persolvere et recitare; quapropter districte iubemus omnibus praelatis, ut, quam primum fieri poterit, libros chorales corrigant et emendent ad exemplar et normam breviarii noviter summa diligentia impressi.

2. Festum beatae Virginis ad nives quinta die augusti sub toto duplici celebretur cum officio de nativitate eiusdem, mutato nomine nativitatis in solemnitatis. Festum autem beati Francisci sub toto duplici sicut festum cathedrae sancti Petri sub duplici volumus celebrari.

3. Cum antiquorum patrum nostrorum studium semper fuerit eos filios enutrire, qui intellectum proprium obsequio divinae legis et fidei catholicae humiliter subiicerent, et ab eis omnem arrogantiam et temeritatem adversus doctrinam sanctorum patrum amputare conati sint, eorum piis vestigiis inhaerentes omnibus patribus regentibus, baccalaureis et quibuscumque lectoribus sub poena privationis graduum mandamus, ne inter legendum teneant, affirment vel tueantur quamcumque singularem opinionem, quae sit communi sanctorum patrum sententiae contraria vel dissona, nec ipsam quovis modo referant et proponant nisi ad confutandum et eiusdem argumentis respondendum. Invigilent igitur omnes in sanctorum patrum voluminibus evolvendis suasque opiniones eorumdem sententiis corroborare nitantur, quas in fonte perspicere maxime desideramus et districte iubemus.

4. Nullus gradum baccalaureatus vel magisterii neque apud nos neque apud saecularium scholas ante professionem fidei emissam iuxta formam in nostris constitutionibus contentam ullo modo suscipere audeat.

5. Nullus deinceps liber typis mandetur, quin prius examinatus et approbatus fuerit a duobus vel tribus patribus, in unaquaque provincia a provinciali et diffinitoribus capituli provincialis nominandis; quibus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae mandamus, ut totum librum diligenter videant et examinent, quo stylo, gravi an humili constet, de qua materia, magni an parvi momenti, nec sufficiat nihil contra fidem et bonos mores continere, sed talis sit, qui honori et decori religioni esse possit. Libros autem sic examinatos et approbatos nolumus excussioni mandari in Italia, antequam Romam ad reverendissimum vel eius eius vicarium generalem mittantur approbandi; praecipientes sub eodem formali praecepto, ne postquam, ut dictum est, liber correctus fuerit, possit ei quidquam addi vel subtrahi.

6. Lectores artium triennio ad summum cursum suum perficiant nullaque ratione eorum nec aliorum lectorum intermittantur lectiones nec litteraria exercitia a festo sanctae Crucis usque ad festum sanctae Mariae Magdalenae exceptis hebdomada ante adventum et duabus hebdomadibus ante Quadragesimam, in quibus exercitia intermitti poterunt, dummodo singulis diebus una lectio habeatur. A dominica autem in ramis palmarum usque ad dominicam in Albis cessare poterunt omnia. Quod si contingat in aliquo studio generali regentem vel baccalaureum aliquo legitimo impedimento legere non posse, tunc magister studii loco impediti lectiones habeat.

7. In provisionibus studiorum faciendis non attendant praelati ad solam professionis antiquitatem, sed personarum sufficientiam, eruditionem et bonos mores, ut possint non solum verbis, sed exemplis discipulos docere.

8. Nullus ad professionem admittatur, quin prius admoneatur de decreto sancti concilii Tridentini circa renuntiationem bonorum vel iurium suorum faciendam infra duos menses ante professionem, nec ab ea facienda ullo modo deterreatur.

9. Interdictum sit omnibus prioribus in posterum suis superioribus vel vicariis licentiam committere recipiendi quemquam ad habitum vel professionem sine licentia reverendi admodum patris provincialis; et qui contra fecerint, a suis officiis absolvantur.

10. Ad tollenda varia inconvenientia neminem praeter magistrum novitiorum et eorum paedagogum volumus habere clavem domus novitiorum, nec etiam eorum lectores, non obstante quacumque consuetudine seu potius corruptela in contrarium.

11. Libertati electionum, quam tantopere sacra Tridentina synodus commendavit, consulere volentes, strictissime mandamus observari, quod in capitulo generali Bononiae celebrato 1564 statutum fuit, ne videlicet

provinciales in singulis electionibus aliquos eligendos electoribus proponant, nisi ubi specialis et urgens necessitas id postulaverit, et non alias, quando non pauciores quam tres proponantur.

12. In provinciis, in quibus hactenus patentes litterae confirmationis priorum in capitulo legi non consueverunt, deinceps legantur coram fratribus in refectorio vel capitulo, notando in eisdem litteris diem et horam, quibus fuerint intimatae.

13. Ne multa a reverendis admodum patribus provincialibus provisa memoria labantur, utque falsificationibus litterarum ostium omnino occludatur, mandamus omnibus provincialibus, ut librum habeant, regestum nuncupatum, in quo praecipue res et acta eorum annotari debeant.

14. Deputationes fratrum ad breve dumtaxat tempus fiant, intra quod teneantur fratres deputati hebdomadarii munus exercere, chorum sequi ac alia onera subire, ac si essent ibidem assignati.

15. Mandamus omnibus fratribus, ut constitutionem illam oblivioni iam traditam omnino servent, ut videlicet nomen frater proprio nomini et cognomini aliorum semper praeponant, dicentes « pater frater N. » vel « pater magister frater N. ».

16. Ordinamus et strictissime mandamus omnibus rr. admodum pp. provincialibus, ut unusquisque in sua provincia unum vel plures conventus iuxta qualitatem et numerum fratrum deputet, in quibus regula et constitutiones ordinis nostri cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad unguem observentur, nec cum aliquo ibi commorante in carnibus vel aliis regulari vitae repugnantibus quoquomodo aut quovis praetextu vel colore, nisi propter actualem infirmitatem dumtaxat, dispensari possit. In quibus conventibus et locis nemo invitus cogatur manere nec aliquis nolens a suo retrahatur fervore, nisi quem iam arrepti propositi et ceptae observantiae poenituerit. Ne vero contingat, sicut plerumque maligni spiritus suggestione solet evenire, ut qui spiritu ceperunt, postmodum carne consumantur, et qui ad meliora accendi videbantur, aliquando superba elatione et aliorum contemptu ad deteriora trahantur, et unde quaerunt meliores fieri, inde inobedientes et suis superioribus rebelles efficiuntur, volumus et praesenti statuto in perpetuum ordinamus, quod omnes in praefatis conventibus commorantes in omnibus et per omnia suis provincialibus censeantur et sint subditi; qui visitare, assignare et removere possint, sicut antea consueverunt et omnia alia tam in dictis conventibus quam fratribus facere valeant, quae dicto vivendi modo et regulari observantiae non repugnent. Districte etiam mandamus, ne fratres in talibus conventibus commorantes quovis modo possint habitum vel formam eius transmutare, sed tali uti, quali in ca-

pitulo Romano proxime praeterito et in hoc capitulo fuit decretum. Nec possessiones ceteraque immobilia et pretiosa absque speciali reverendissimi licentia alienare audeant. Hortamur nihilominus dictos rr. admodum pp. provinciales, ut praefatos patres foveant et adiuvent, neque illis in suo fervore sint impedimento curentque, ne domini spiritus in aliquo extinguatur, moneantque eos, qui in tali observantiae arctitudine morantur, ne ceteros de sua provincia spernant nec alicui detrahant nec aliis se esse meliores iudicent, sed animadvertant, quod quanto quis perfectior est, tanto humilior esse debet et tanto magis superioribus obedientior, illius exemplo, qui usque ad mortem factus est obediens et mortem nostram sua morte destruxit, ut in omnibus humilitatem et obedientiam nos doceret. Quare reverendissimum patrem generalem obnixe rogamus, ut in provinciarum visitationibus omnia, quae huiusmodi vivendi modum adiuvare iudicaverit, pro sua singulari providentia et sollicitudine curet ordinare.

17. Quicumque praelati sui iudicium recusaverit, severissime puniatur, super quo conscientiam praelatorum aggravamus; qui nec se recusatos iudicent, sed reos poenitentiam sibi iniunctam subire cogant et interim superiores de omnibus certiores faciant.

18. Nulli umquam dentur aliquae licentiae absque temporis designatione, intra quod eas executioni mandare possit, quo praeterito ipso facto sint nullae nulliusque roboris.

19. Cum singularitates, quae spiritum superbiae parere solet, execrabiles apud antiquos patres semper fuerint, ordinamus, ut nulla umquam domus vel conventus tam fratrum quam monialium deinceps construatur, etiam ad petitionem cuiuscumque principis, in quibus novae caeremoniae, leges, ordinationes, poenae, poenitentiae, modus vivendi vel vestiendi vel alia quaevis, quae ab ordine nostro videantur aliena, contraria vel dissona vel praeter nostras constitutiones observari debeant, sed constitutiones nostrae, quae adeo a sanctis pontificibus fuerunt commendatae et approbatae, ut earum perfecti observatores merito veniant canonizandi, ad unguem et ad amussim rigorose custodiantur. Quod si secus recipiatur, ipso facto receptio sit nulla nulliusque valoris, sicut de facto nunc pro tunc nullam decernimus et declaramus.

20. Nullus monialibus confessor assignetur, nisi sit sufficientis aetatis et vitae exemplaris, cui omnes ordinarie peccata sua confiteantur; praeter ordinarium autem confessorem iuxta decretum concilii Tridentini extraordinarius bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat; quod si aliquando alicui moniali ob peculiarem et spiritualem necessitatem aliquis detur confessarius, id tamen servata antiqua ordinis nostri consuetudine fieri mandamus.

21. In omnibus conventibus, maxime praecipuis, semper ad ostium custos assistat aliquis sacerdos vel conversus simul cum aliquo iuniore discretus et maturus, qui saeculares adventantes benigne recipiat et de rebus spiritualibus colloquendo eos destineat, donec frater ab eis petitus et a iuniore ostiario vocatus adveniat; nec permittat saeculares per conventum discurrere nec ad cellas fratrum accedere, nisi esset persona gravis. Ostium autem ita introrsus sit occlusum, ut nulla ratione a foris venientes possint aperire. Ut vero facilius ostiario innotescat, qui fratres sint foris, qui vero domi, mandamus sub poena gravis culpae, ne quis extra conventum egredi audeat per fores ecclesiae vel per alias, sed solum per commune ostium, in quo tabula collocetur nomina et cognomina omnium fratrum conventus continens, in qua aliquo signo notet fratrem domum egredientem vel regredientem, ut sic ostiarius de quaesitis fratribus rationem reddere queat.

22. Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sententiae, una hac pro trina canonica monitione praemissa, patribus prioribus seu principalibus praesidentibus et depositariis conventuum vel locorum, qui pensiones, census, reditus vel alia bona solutioni quindennii obnoxia possident, ut singulis annis trigesimam partem census vel reditus vel pensionis in deposito communi in quadam capsula ad hoc destinata deponant et conservent, donec quindennio completo absque conventus gravamine solvant, qui solvere tenebuntur. Mandamus autem sub eodem praecepto et censura omnibus supradictis, ne praedictam coacervatam pecuniam quovis titulo vel quaesito colore, etiam ratione mutui, possint tollere vel expendere in alios usus praeterquam ad solutionem quindenii.

23. Omnes pecuniae et alia quavis ratione fratribus nostri ordinis, maxime praedicatoribus et confessariis elargita, quam primum praelatis suis realiter et vere consignentur et tradantur sub poena proprietariis debita. Ex quibus poterit praelatus, si iustum iudicaverit, aliquam partem praedicatori vel confessario iuxta eius indigentiam dare. Qui vero ad pauperiem parentum vel propinquorum sublevandam maiori eleemosyna indiguerint, a patribus provincialibus facultatem petant, qui liberales erga indigentes se exhibeant, praecavendo semper, ne fratres nomine parentum petita in suos usus expendant.

24. Circa depositum ordinamus, ut in quolibet conventu et loco designetur aliquis locus fortis et securus, quod depositum commune appelletur; eius clavem habeat semper pater prior vel principalis praesidens conventus; in quo deposito constituatur arca fortis, quae tribus seris claudatur; huius claves habeant singuli singulas, videlicet pater prior

vel praesidens principalis conventus et duo patres depositarii, moribus et fidelitate probati, quos maior pars patrum a consiliis ad hoc munus aptiores esse iudicantes elegerint; et in praedicta arca omnes conventus pecuniae deponentur et asservabuntur lege et modo inferius praefigendis.

25. Singulis hebdomadibus vel mensibus ad praedictum depositum conveniant pater prior et duo depositarii, quibus syndicus, procurator, sacrista et alii, ad quos ratiocinia conventus quoquomodo spectant, rationem reddant de receptis hebdomadae vel mensis praeteriti. Praecipimus autem in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sacristis, ut nihil eorum, quae recipiunt, expendere audeant, neque etiam sub praetextu adornandae ecclesiae vel musicae vel alia occasione absque licentia patris prioris. Insuper sub eodem formali praecepto mandamus omnibus fratribus, ut quascumque eleemosynarum pecunias tam ad missas celebrandas quam quavis alia ratione, praetextu tamen eleemosynae conventus erogatas, eis traditas infra spacium 24 horarum patri sacristae consignent nec apud se retineant.

26. Quoniam longa syndicorum in suo officio perduratio conventibus damnosa saepe esse solet, mandamus, ut nullus syndicus possit in eodem officio perdurare plusquam per biennium; quo completo ipso facto a praedicto officio sit absolutus nec ad illud ante biennium eligi possit sine licentia reverendi admodum patris provincialis, et praemissa nova electione maioris partis vocalium conventus. Cui quidem syndico numquam concedatur facultas acceptandi pecunias, quae ad extinctionem censuum erogari solent. Qui etiam teneatur singulis hebdomadibus vel mensibus ad summum rationem reddere patri priori et depositariis de omnibus receptis et pecunias omnes deferre ad depositum, ut ibi in arca deponantur et custodiantur, unde non poterunt extrahi nisi in praesentia patris prioris et depositariorum, et statim in libro maiori scribatur, in quos usus expendantur. Volumus autem, quod syndicus nullas pecunias expendere possit, nisi prius importatae fuerint ad depositum et inde sibi fuerint consignatae a patre priore et depositariis; quod si aliter fecerit, poenae proprietarii ipso facto subiaceat. Liber maximus in arca depositi custodiatur, a qua non possit abstrahi nisi in praesentia patris prioris et depositariorum, nec inde alio asportetur ullo tempore praeterquam visitationis r. admodum p. provincialis, et tunc ad eius cellam poterit deportari, ut omnia ratiocinia possit intueri. In quo libro ex una parte scribantur omnia recepta tam syndici quam sacristae quam aliorum, ita ut nihil in conventu recipiatur, quod in praedicto libro non scribatur; ex alia autem parte omnes expensae referantur, ut sic tempore ratiocinii collatio fiat recepti et expensi, et cognoscatur, an bona conventus recte fuerint administrata.

27. Cum saepe numero in grave conventuum detrimentum soleant priores facile licentiam alienandi bona temporalia petere, volumus et praecise mandamus, ut nulli domui vel conventui umquam liceat a superioribus licentiam petere alienandi vel commutandi quaevis bona stabilia, quin prius in visitatione provincialis vel visitatoris, habito praematuro patrum consilio et assensu duarum partium fratrum conventus, ita expedire iudicatum fuerit.

28. Nulli in posterum dentur vestes in pecunia numerata, sed secundum fratris indigentiam et conventus possibilitatem de vestibus provideatur. Praesidentes vero conventuum sub poena absolutionis ab officio infra sex menses a notitia praesentium de tunicellis et linteaminibus laneis suis fratribus provideant.

29. Districte praecipimus sub poenis in nostris constitutionibus contentis, ne fratres cartis vel taxillis ludant, omnibus praesidentibus mandantes sub poena absolutionis ab officio, ut quos culpabiles invenerint, dictas poenas subire cogant.

30. Quoniam ex mandato felicis recordationis Clementis octavi in solemnissima sancti Raymundi canonizatione, utpote quae prima in ecclesia nova sancti Petri pomposissime adornata facta est, multa fuerunt expensa et debita necessario contracta, quorum interesse adhuc currit, visum est inter omnes provincias debita dumtaxat distribuere iuxta uniuscuiusque possibilitatem; omne autem interesse discursum et in posterum discursurum imponimus conventui sanctae Catherinae Martyris Barcinonensis civitatis; quare in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus omnibus rr. admodum pp. provincialibus infrascriptis, nam alias provincias tamquam desolatas et pauperes a tali solutione relevamus, ut infra spatium duorum annorum quolibet videlicet anno dimidium solvant et mittant, quod infra dicetur, ad r. admodum vicarium generalem nostrum, vel ad quem ipse iniunxerit.

31. Cumque rev. p. magister fr. Thomas Maluenda (1) ex mandato reverendissimi summa diligentia universalem nostri ordinis historiam, cuius tantopere religio nostra indiget, magnis apparatibus auspicetur, iustum est, ut ad eius sustentationem aliquid provideatur; quare sub eodem praecepto formali mandamus omnibus eisdem provincialibus, ut Romam ad ipsum mittant singulis annis, donec perficiatur historia, contributiones infrascriptas:

---

(1) De fr. Thoma Malvenda cf. SSOP. II, 454.

	Ad debita pro canonizatione solvenda scuta auri in auro.	Pro historia ordinis construenda scuta auri in auro.
Provincialis Hispaniae	200	15
Lombardiae	200	15
Romanae	110	7
Regni	176	11
Poloniae	88	6
Aragoniae	187	12
Trinacriae	180	14
Portugalliae	132	8
Bethicae	190	14
Sancti Thomae	165	10
Calabriae	165	10
Sancti Iacobi de Mexico	250	10
Sancti Ioannis Baptistae del Perù	338	20
Sancti Vincentii de Chiapa	150	10
Sancti Antonini de novo Regno	150	10
Sancti Dominici	104	7
S. Catherinae Martyris del Quito	140	6
Occitana	88	6
S. Hippolyti Martyris de Oaxaca	250	10
Sancti Petri Martyris	70	5
Aprutina	70	4
Congreg. Indiarum orientalium	55	4

Praecipimus igitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto rr. pp. priori et depositariis conventus sanctae Catherinae Martyris Barcinonensis, ut, quam primum poterunt, solvant creditoribus omnia debita et interesse eorum, quae ob rationem supradictam fuerunt contracta; quae ut melius et promptius exequi possint, concedimus praedicto conventui licentiam suscipiendi ad censum illam pecuniarum summam quam extinguendis debitis iudicaverint sufficere. Mandantes eisdem patri priori et depositariis pro tempore existentibus sub eodem praecepto formali et sub poena excommunicationis latae sententiae, ut pecunias a provinciis suo tempore receptas in nullo alio expendant nisi in redimendis et extinguendis eisdem censibus.

32. In provincia Franciae ad eius petitionem ordinamus, ne novitii commorentur in dormitorio sacerdotum, sed separatum locum habeant, ubi simul religiose sub cura magistri novitiorum educentur; nec recipiantur ad habitum nisi in certo numero determinato iuxta domus facultatem. Nec liceat in omnibus Galliae provinciis cuicumque fratri, cu-

iusvis sit gradus et conditionis, eos vel eorum aliquem in propriis cameris retinere et ad particularia obsequia deputare.

33. In provincia Lombardiae ordinamus, ut studentes eiusdem, qui in studio Bononiensi non sunt assignati, ad lectoratum promoveri minime possint, nisi sacram theologiam saltem per quadriennium audierint; qui vero ad praedicandum erunt admittendi, ad minus per triennium. In eadem provincia ordinamus, ut in posterum lectores quicumque ac praedicatores extra studium Bononiense sive in conventibus eiusdem provinciae sive in studiis generalibus aliarum provinciarum facti, nullis titulis ac privilegiis gaudere possint, nisi prius fuerint in studio Bononiensi rigorose examinati et approbati.

34. In provincia Romana ad eius petitionem ordinamus, ut in posterum numerus magistrorum in provincia receptorum sit denarius et numquam possit hic numerus augeri nisi occasione magistrorum, qui in futurum fient in studio Perusino secundum consuetos studiorum gradus et non aliter. Et hi omnes magistri in provincia recipiendi non recipiantur, nisi prius per decennium perlegerint tam artium cursus quam etiam theologiam per quatuor annos in aliqua universitate, computando in hoc decennio duos annos magisterii studii, et a maiori parte diffinitorum et patrum provinciae in capitulo provinciali existentium acceptari debeant. Et qui aliter quocumque modo directe vel indirecte ad hunc gradum assumptus fuerit, nisi statim renuntiaverit, sit ipso facto privatus omnibus gradibus et officiis et sit omnino inhabilis in perpetuum ad hunc gradum obtinendum. Nullo modo in eadem provincia in posterum instituantur vel assignentur lectores pro futura lectione, ut dicunt, et si huiusmodi assignationes fiant, sint omnino invalidae; fiant igitur lectores, qui ad minus quatuor discipulos habeant, et non aliter. Non assignentur studentes formales tam in studio Romano quam Perusino nisi secundum peritiam et litterarum sufficientiam nec inde amoveantur, ut fiant lectores ante expletum triennium in altero vel utroque studio; utrumque autem studium tam capitulo provinciali quam provinciali quam etiam prioribus suis sit subiectum.

35. Ordinamus et mandamus omnibus fratribus provinciae Theutoniae extra ipsam quomodocumque commorantibus, ut ad suam provinciam statim revertantur, exceptis illis qui nondum tempus sui studii perfecerunt.

36. Pro provincia Poloniae ordinamus, ut nulla umquam petitio a quibuscumque in praeiudicium eiusdem provinciae aut conventus vel alicuius personae impetrata valeat, nisi fuerit a capitulo provinciali proposita et approbata.

Item ordinamus in eadem provincia, ut studentes formales, qui ad

alias provincias mittuntur, expleto tempore sui studii non discurrant per conventus aliarum provinciarum, sed statim ad suam revertantur sub poena inhabilitationis ad gradus in ordine consequendos.

In eadem provincia ad suam petitionem ordinamus, ut deinceps capitulum provinciale celebretur dominica « Deus qui errantibus », iuxta morem plurium provinciarum; quare prorogamus tempus provincialatus p. magistri Alberti Secovii usque ad praedictam dominicam anni 1607, et prioratum prioris conventus Lublinensis, in quo celebrandum est capitulum electionis futuri provincialis, usque ad dictum capitulum inclusive etiam prorogamus.

37. In provincia Mexicana, cum paucissimus sit numerus filiorum Hispaniae, ordinamus, ut electio provincialis alternative fiat ex natis in Hispania, sive sint filii provinciarum Hispaniae sive filii provinciarum Indiae, et ex natis in Indiis; quod si aliter fiat, ipso facto electio sit nulla et inanis non obstante ordinatione capituli generalis Romae proxime celebrati.

Item in eadem provincia ordinamus ad petitionem eiusdem, quod qui fuerint vicarii unius domus vel plurium per spatium quatuor annorum, vacent per duos annos vel saltem per unum integrum ad minus. Item ordinamus ad petitionem eiusdem provinciae, quod diffinitores capituli provincialis vel intermedii non sibi assumant vel accipiant vicarias, praeter illas quas habebant, antequam in diffinitores eligerentur, dummodo quatuor anni non fuerint completi; quod si contrarium factum fuerit, totum sit irritum et inane. Ordinamus etiam ad petitionem eiusdem provinciae, quod vicariis vacantibus et vocem habentibus ante celebrationem capituli non possit rev. admodum p. provincialis assignare vicarios nisi de consilio sex patrum provinciae et ex assensu maioris partis eorum.

38. In provincia sancti Petri Martyris ordinamus, ut nullus lector tam eiusdem quam alterius provinciae possit in ea habere lectionem actualem, nisi prius examinatus et approbatus fuerit per moderatores studii sancti Eustorgii Mediolani.

39. Ordinamus in provinciis Indiarum et inprimis mandamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus fratribus curam Indorum habentibus, quos doctrinantes vocant, ne permittant quascumque mulieres ingredi domos suas; quod si necesse fuerit eas alloqui, id in ecclesia et publice solum fiat.

40. Item ordinamus sub poenis proprietariis debitis, ne fratres ludant cartis, tabulis neque perinolis nummos vel pecunias maxime in praesentia saecularium.

41. Item mandamus sub poena suspensionis ab officio per tres men-

ses rr. admodum pp. provincialibus, ne in illis partibus, in quibus doctrinantes soli commorari consueverunt, quemquam minoris aetatis quam quadraginta annorum in doctrina Indorum permanere vel habitare permittant.

42. Item mandamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus rr. admodum pp. provincialibus, prioribus et aliis quibuscumque, ad quos quoquomodo pertinere poterit, ut singulis annis dimidium synodorum, quas dicunt, investiant et expendant ad census perpetuos emendos vel possessiones ad sustentationem conventuum, prout melius iudicaverint expedire; alteram autem dimidiam partem expendant in aedificatione et fabrica conventuum magis indigentium.

43. Mandamus, quod patres diffinitores capituli provincialis proxime celebrandi cum aliis quatuor patribus antiquioribus eiusdem capituli assignent et taxent iuxta necessitatem illarum regionum contributiones provincialibus necessarias, ut se sustentare valeant ea moderatione, qua decet religiosos et maxime praelatos, qui paupertatis et bonorum omnium exemplum se praebere tenentur; declarantes et volentes, quod eleemosynae, quae a maiestate regia quotannis dantur pro vino ad celebrationem missarum et oleo pro lampadibus, ad conventus omnino pertineant, pro quibus dantur, et in eorum necessitatibus expendantur, sicut nos quoque ita fieri et non aliter mandamus.

44. Quia radix omnium malorum est cupiditas, quam radicitus e fratrum nostrorum cordibus evellere cupimus, mandamus et praecipimus omnibus fratribus, qui doctrinis Indorum et Aethiopum quoquo pacto inserviunt, in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub praecepto formali necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica admonitione praemissa, ne quis ipsorum audeat sub quovis praetextu per se vel per alium aut alios, directe vel indirecte mercaturam facere nec ad hunc finem aliquid emere vel vendere praeter proprio victui vel vestitui necessaria praecise et non aliter; statuentes et declarantes sub eodem praecepto et poena, quod ex reditibus et oblationibus fratribus in talibus doctrinis occupatis tantum dentur victui et vestitui necessaria, de quibus habeant librum rationis, quam et reddere teneantur suis particularibus praelatis, et etiam ad emendum libros, quae omnia eam mensuram metamque suscipiant, quam sibi praefiniet uniuscuiusque proprius praelatus. Reliquum autem regiae provisionis vel oblationum, quod supererit, totum instruendae fabricae conventuum et emendis censibus praesenti hac nostra sanctione applicamus et applicatum esse decernimus et determinamus iuxta piissimam mentem sacrae catholicae regiae maiestatis; auferentes omnem auctoritatem a rr. admodum pp.

provincialibus et omnibus aliis conventuum praelatis pro tempore existentibus concedendi licentiam fratribus quibusvis ad habendam in deposito magnam nummorum quantitatem, vel aliter quam in hoc capitulo ordinatum est.

45. Mandamus insuper in eisdem provinciis, ut nullo pacto duo carnales fratres sibi invicem succedant in prioratibus tam provincialibus quam conventualibus; quod si oppositum fiat, electio sit nulla et irrita, sicut de facto irritam et nullam decernimus et declaramus.

46. Interdictum sit eisdem provincialibus mittere fratres suos carnales procuratores in Hispaniam vel diffinitores capitulorum generalium, irritam et nullam decernentes talem fratrum electionem, si contra hanc nostram ordinationem fiat.

47. Mandamus omnibus provincialibus eorum conscientiam aggravantes in diem Christi, ut in tempore suorum provincialatuum bis ad minus suos visitent conventus.

48. Ordinamus, quod si in insulis Fortunatis mori contigerit vicarium provincialem ante completum tempus sui vicariatus, tres antiquiores patres ex commorantibus in omnibus insulis, qui in conventu, in quo ipse e vita decesserit, tunc se repererint, statim eligant aliquem ex gravioribus patribus in dictis insulis degentem in vicarium provincialem, qui vices demortui in omnibus habeat, donec provincialis provinciae Bethicae aliter providerit.

49. Ordinamus, quod si in regno Sardiniae mori contigerit vicarium generalem ante completum tempus sui vicariatus, tres antiquiores patres, qui in conventu Castri Calleris se repererint, sive sint assignati in illo conventu sive in aliis eiusdem regni, eligant aliquem ex gravioribus patribus in dicto regno commorantem in vicarium generalem, qui vices demortui in omnibus habeat, donec provincialis provinciae Aragoniae aliter providerit, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Admonitiones.

1. Admonemus inprimis omnes verbi Dei praedicatores, ut inter alia devotionis exercitia commemorationem sanctissimi Rosarii fidelium auribus saepissime ingerant, quantum fieri poterit, pium hoc institutum foventes, ad devotionem beatissimae Virginis Mariae populos excitantes ac beneficia ab ipsa collata omnibus fidelibus sanctissimo Rosario affectis recolentes, miracula explicantes; et qui in hoc fuerint negligentes, per unum vel duos menses priventur officio praedicationis arbitrio suorum praelatorum, qui in capitulis quotidianis sibi subditos de praedictis admonere teneantur. Concedentes ad devotionem eiusdem beatissimae Virginis Mariae augendam, ut societas sanctissimi Rosarii possit erigi et fundari in omnibus oppidis, quae fuerint inter se distincta, quamvis ab in-

vicem per milliarium non distent; quod etiam concedimus de societate sanctissimi nominis Dei.

2. Admonemus omnes patres provinciales et praelatos ordinis nostri eorum conscientiam in diem Christi aggravantes, ut suarum provinciarum et conventuum reformationi diligentissime invigilent, totis viribus procurando, ut constitutiones nostrae serventur praecipue vero de sequela chori, de carnibus non comedendis, de lineis ad carnes non utendis, de ieiuniis, de silentio, debitis poenis transgressores puniendo secundum tenorem earundem nostrarum constitutionum; quare admonemus omnes, ut in conversationibus maxime cum saecularibus, in gestu, habitu et in omnibus aliis motibus nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vero patris nostri sanctissimi Dominici filios deceat.

3. Admonemus omnes patres provinciales pro tempore, ut ad capitula generalia provincialium personaliter se conferant, nisi legitime fuerint impediti; de cuius impedimenti causis tenebuntur reverendissimum patrem nostrum generalem, quamprimum poterunt, certiores facere sub poena suspensionis ab officio per tres menses.

4. Admonemus omnes verbi Dei concionatores et illis districte mandamus, ut summorum pontificum decreta circa sanctificationem vel conceptionem beatae Virginis Mariae inviolabiliter observent et in concionibus eiusdem festivitatis a quaestionibus de peccato originali abstineant caveantque, ne inter concionandum quidquam dicant, quod pias aures offendere possit, sed fiant conciones de laudibus eiusdem sanctissimae Virginis.

5. Admonemus reverendum admodum patrem provincialem Aragoniae pro tempore existentem, ut saltem semel in suo provincialatu ad insulam Maioricarum visitandam pro fratrum ibi degentium consolatione personaliter se transferat.

Revocationes.

1. In provincia Aprutina revocamus, rescindimus et annullamus conventionem factam inter conventum sancti Vincentii et Iesu Mariae et fr. Angelum Horabona circa legatum factum a patre suo conventui, in quo ipsum morari contigerit, utpote contra dispositionem testatoris factam.

2. Revocamus ad provinciam Poloniae ex studio Parisiensi p. fr. Andream Radauecium de conventu Cracoviensi, p. fr. Lucam de conventu Posnaniensi et fr. Gregorium Sarnicium ex Neapoli ad suam provinciam.

Acceptationes.

1. Acceptamus ordinationem factam in praecedenti capitulo ex mandato felicis recordationis papae Clementis octavi, qua prohibetur, ne titulares provinciales ullo modo creentur, excepto provinciali Terrae san-

ctae, nec vocales electores; quod si contigerit constituere in aliquibus provinciis quasi desolatis, habentibus tamen aliquos conventus, aliquem provincialem, qui non sit illius provinciae filius, sic volumus providere in hac parte, ne sint duo provinciales harum provinciarum unius eiusdemque provinciae. Idem dicimus de diffinitoribus, si pro illis provinciis constitui debeant, ita denique ut alicuius provinciae ultra tria vota non possit superaddi ex quacumque causa, nisi tantum unum votum pro capitulo generali.

2. Acceptamus item illam ex mandato eiusdem Clementis octavi, ne fiant affiliationes de uno conventu in alium ex quacumque causa, sed tantum maneant filii conventus, qui ibidem professionem emiserunt. Item illam ne duobus mensibus ante tempus electionis prioris ullae fiant assignationes vel revocationes, addentes, quod si factae fuerint, fratres sic assignati non habeant vocem in quavis electione illius conventus, donec aliquis fuerit confirmatus.

3. Acceptamus ordinationem ab eodem pontifice editam sequentis tenoris: nullos fratres Romam venire superiores permittant, nisi prius a generali dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint; si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire praesumpserit, voce activa et passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu superiorum infligendas poenas, quae etiam omnia adversus eos, qui supradictos admiserint et receperint, sine ulla exceptione locum habeant. Inter poenas autem arbitrarias hanc idem sanctissimus pontifex expressit, ut huiusmodi fratres in carceribus per sex menses detineantur; prohibetque, ne huiusmodi poenae possint ab eorum superioribus remitti, cum earum dispensationem et relaxationem sua sanctitas sibi reservaverit.

4. Acceptamus in provincia utriusque Lombardiae filiationem fr. Francisci de Genua conversi, proprium conventum non habentis, pro conventu sancti Dominici de Genua de consensu filiorum dicti conventus.

5. Acceptamus ad omnes et singulas gratias ordinis nostri singularem benefactorem eiusdem et nostri ordinis illustrissimum d. d. archiepiscopum Senonensem, primatem Galliarum, magnum Franciae eleemosynarium.

6. Acceptamus pro provincia Occitana breve felicis recordationis Clementis octavi datum Romae die 15. novembris 1604 pro reformatione conventuum, quo praecipitur, ut omnes fratres illius provinciae debitam obedientiam praestent tam magistro generali quam provinciali illius provinciae modernis et pro tempore existentibus, et ut studium Tolosae pro universa provincia denuo instituatur.

7. Acceptamus in provincia Hispaniae domum Iesus Mariae de Valverde, et ad petitionem eiusdem provinciae erigimus in prioratum; cui

praeficimus et priorem instituimus p. fr. Ioannem Sayner, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

8. Acceptamus in eadem provincia conventum monialium in oppido de Pinto ab illustri admodum domino Petro Pacheco fundatum, maxime laudantes et approbantes eius zelum et desiderium, quo optat constitutiones nostras adamussim et rigorose in eodem conventu a monialibus observari; quare mandamus praedictis monialibus, ut eas in toto rigore et eo modo, quo a beatissimo p. n. Dominico fuerunt factae, custodiant nec dispensationem admittant, nullis tamen novitatibus et singularitatibus contra vel praeter easdem constitutiones admissis.

9. Acceptamus in provincia Poloniae conventus Ionoviensem, Seynensem, Varsaviensem et eorum erectiones in prioratus et loca Mereez et in Zarlicin.

10. Acceptamus in provincia Aragoniae prioratum b. V. Mariae de Loreto oppidi de Sineu, et prioratum s. Illefonsi in civitate Caesaraugustana, concedentes dicto conventui, ut possit celebrare festum s. Illefonsi sub toto duplici et cum octavis solemnibus, et domum s. Magini et domum s. Raymundi et domum b. Dominici oppidi de Inca.

11. Acceptamus in civitate Mexicana fundationem collegii s. Dominici de Portacaeli et instituimus in studium generale; post cuius absolutam erectionem et sufficientem sustentationem studentium et lectorum committimus rev. admodum provinciali et diffinitoribus, ut possint nominare, instituere et creare primum rectorem, qui habeat vocem in electionibus. Item erigimus in conventus et prioratus secundum privilegia illius provinciae domos nostras b. Mariae Pietatis de Atlexuca, sancti Ioannis Baptistae de Cuyoacan, s. Dominici de Yzucan, sanctorum apostolorum Petri et Pauli de Tepozcolula. Acceptamus etiam in eadem provincia in civitate Guadalaxarae fundationem conventus b. Mariae de Rosario eumdemque erigimus in prioratum.

12. Acceptamus ad beneficia et gratias totius nostri ordinis tam in vita quam in morte illustrissimum ac reverendissimum d. d. Ioannem de Azevedo episcopum Vallisoletanum, supremum fidei inquisitorem in regnis Hispaniarum, ac supremi senatus consiliarios omnesque apostolicos inquisitores et eorum milites cruce signatos ordinis militiae Iesu Christi.

Concessiones.

1. Concedimus reverendissimo patri confessori potentissimi Hispaniarum regis catholici pro tempore existenti locum super omnes fratres etiam provinciales, excepto provinciali provinciae, in qua se repererit.

2. Concedimus in provincia Hispaniae studio nostri conventus sancti Pauli Vallisoleti, ut sit universitas, sicut de facto in universitatem eri-

gimus cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus aliae universitates eiusdem provinciae gaudere solent.

3. Concedimus provinciae Tolosanae, Theutoniae, Bohemiae, Provinciae propter indigentiam patrum ad regimen idoneorum, ut priores possint ultra triennium in officio prioratus perseverare, si tamen patribus provincialibus ad reformationem id conducere visum fuerit, quorum conscientias super hoc aggravamus.

4. Concedimus in provincia Franciae patri priori conventus Santonensis, ut possit concedere aliquam terrae portionem iuxta dictum conventum cuidam domino ad constructionem cuiusdam collegii seu studii, accedente tamen prius consensu rev. p. provincialis Franciae, cum praedictus dominus velit lectores eiusdem collegii vel studii ex ordine nostro dumtaxat assumi.

5. Concedimus provinciae utriusque Lombardiae ad eius petitionem, ut baccalaurei studii Bononiensis possint esse biennales, dummodo eligantur hi, qui sacram theologiam sex annos antea legerint, sintque eruditiores et in moribus et religione magis conspicui.

6. Concedimus provinciae Romanae, ut sequens capitulum sit biennale et non fiat dieta intermedia.

7. Concedimus provinciae Poloniae ad eius petitionem, quod possit modernum provincialem magistrum videlicet fr. Albertum Secovium expleto sui provincialatus officio ad idem munus reeligere, quem et capituli pro electione celebrandi vicarium instituimus et praefatam provinciam regere volumus, quousque provincialis eligendus a reverendissimo patre generali fuerit confirmatus, et hoc pro hac vice tantum. Concedimus etiam provinciae, ut numerus magistrorum sit denarius, cum multa de novo studia consurgant in illa provincia. Cui etiam concedimus, ut octavas s. Hyacinthi, nisi aliter impediantur, possit solemniter celebrare.

8. Concedimus provincia Aragoniae, ut electio provincialis ad solitum tempus reducatur, quare prorogamus tempus provincialatus admodum rev. p. fr. Bernardi Sarria usque ad dominicam « Deus qui errantibus » anni 1606. Item concedimus in eadem provincia conventibus regni Valentiae, ubi festum pretiosissimi sanguinis Christi colitur, ut possint illud sub toto duplici celebrare.

9. Concedimus admodum r. p. prov. nostrae provinciae Trinacriae, ut iterum recipere possit ad habitum eos, qui propter delicta illo privati fuerunt, habitis tamen prius debitis de eorum emendatione informationibus.

10. Concedimus provinciae Germaniae inferioris, ut possit erigere collegium in conventu nostro Antverpiae. Cui etiam ad eius humilem petitionem concedimus, ut per decennium contributiones reverendissimo debitas non solvat praeter summam eius inopiam.

11. Concedimus provinciae Calabriae, ut numerus baccalaureorum sit denarius.

12. Concedimus provinciae s. Iacobi de Mexico, ut eius provincialis, postquam officium provincialatus expleverit, perseveret in regimine dictae provinciae usque ad dominicam quartam post octavas paschae immediate sequentem titulo vicarii generalis. Eidem etiam concedimus provinciae, ut conventus civitatis Angelorum erigatur in universitatem, sicut de facto erigimus.

Concedimus etiam domui nostrae s. Dominici de Tepexic eiusdem provinciae vocem in electionibus habere.

13. Concedimus provinciae s. Catharinae de Senis, ut numerus magistrorum sit quinarius, baccalaureorum quaternarius et praedicatorum generalium sit binarius.

14. Concedimus provinciae Provinciae, ut possit applicare pro erectione studii generalis in conventu Aquensi, prout nunc applicamus, reditus conventuum desolatorum videlicet conventuum Nemausensis, Alesti, Mariologii, Diensis, Millaudi et Arausicani, et hoc per spatium dumtaxat decem annorum.

15. Concedimus vicario provinciali insularum Fortunatarum locum et « fidelium » super omnes fratres et praelatos illarum durante dumtaxat suo officio.

16. Concedimus eisdem insulis, ut ex earum filiis possint fieri duo praesentati, servatis tamen servandis iuxta nostras constitutiones et ordinationes.

Commissiones.

1. Committimus reverendissimo patri magistro ordinis omnia negotia provinciarum Indiarum, ut ipse auditis patribus, qui sunt per aliquot annos in illis partibus commorati, pro sua prudentia et religionis zelo remedia opportuna secundum earumdem provinciarum necessitatem adhibeat.

2. Committimus eidem reverendissimo patri nostro magistro generali, ut reformationem in provincia nostra Occitana inceptam foveat et omni favore prosequatur mittatque ad illam visitatorem et aliquos patres ex aliis provinciis in regulari observantia bene instructos, qui opus laudabiliter coeptum ad Dei gloriam promoveant.

3. Committimus etiam reverendissimo p. nostro generali, ut ad provincias desolatas sublevandas mittat aliquos patres graves, religiosos et doctos ex aliis provinciis tam Hispaniae quam Italiae, qui illas iuvare possint in studiis et regulari observantia promovendis. Qui vero ad hoc electi et deputati ire recusaverint, inhabiles omnino reddantur ad officia ordinis; qui vero libenter profecti fuerint et in illis provinciis legerint

et aliquos gradus consequuti fuerint, volumus eos omnes in suis provinciis acceptari.

4. Committimus et mandamus admodum rev. p. provinciali utriusque Lombardiae, ut termino trium mensium ab horum notitia consignet admodum rev. p. provinciali provinciae s. Petri martyris conventum Salutiarum aut alium illi aequalem, eidem provinciae s. Petri martyris commodum, loco conventus burgi Vallis Tarri secundum dispositionem litterarum patris generalis bonae memoriae magistri Sixti Fabri Lucensis.

5. Committimus et praecipimus omnibus rr. admodum pp. provincialibus, ut quamprimum solvi procurent expensas factas a provincialibus vel sociis in itinere ad capitulum generale.

6. Committimus rr. admodum pp. provincialibus, ut in suis visitationibus inquirant, an in suis conventibus factae fuerint reductiones missarum et obligationum secundum decreta concilii Tridentini, et ubi executioni hoc mandatum non fuerit, quamprimum exequantur.

7. Committimus et districte mandamus omnibus et singulis provincialibus et vicariis respective sub poena suspensionis ab officio per tres menses, ut infra spatium duorum mensium a notitia praesentium mittant unum aut plures patres idoneos ad singulos conventus suae provinciae, qui diligenter, iuxta litteras a reverendissimo missas scrutentur omnia, quae ad historiam universalem ordinis deservire possint et eorum copias authenticas Romam ad patrem magistrum fr. Thomam Maluenda, quamprimum poterint, transmittant. Praecipue autem inquirant de erectionibus conventuum, a quibus et quomodo fundati, qui viri in sanctitate, doctrina, verbi Dei praedicatione excellentes fuerint vel scripserint; qui ad episcopalem, archiepiscopalem, patriarchalem et cardinalitiam dignitatem ex tali conventu evecti fuerint, quot annis praefuerint et quomodo obierint; quot inquisitores habuerint, quo tempore, quid quisque illorum praeclare gesserit, quomodo mortui sint; quae corpora extent eorum, qui gloriose et cum opinione sanctitatis migraverint, quibus in rebus praesertim excelluerint, quae eorum vita, quae mors; quae praecipua miracula contigerint ob devotionem Rosarii b. Mariae aut per intercessionem alicuius sancti nostri ordinis vel alterius aut contra haereticos aut alias quomodolibet. Quot monasteria monialium ordinis fuerint et modo sint in civitate vel loco, quot sub ordinis et quot sub episcopi iurisdictione; quo tempore quodlibet eorum fundatum fuerit et a quo vel quibus, quae sanctitate vitae, virtutum exemplis et miraculorum gloria in quolibet eorum claruerint.

Procurabunt tandem intelligere, sintne aliqui religiosi etiam alterius ordinis, qui cognitionem habeant aliquam rerum, quae religionem nostram quoquo modo illustrare et celebrem reddere peramplius possint,

ut sunt miracula virorum illustrium, vitae laudabiles, gloriosi obitus. Et omnia in unum diligenter congesta ad praenominatum magistrum fr. Thomam Maluenda fideliter transmittere studebunt.

8. Cum provincia nostra Styriae et Karinthiae ferme desolata ad sui instaurationem maxime indigeat filiis terrae et linguae illius, qui in regularis vitae observantia educati et in fide et theologia instructi conventus alios possint restaurare et proximos docere et adiuvare, maxime instante pro suo fidei zelo serenissimo archiduce Ferdinando, decernimus et mandamus, ut in civitate Graecensi collegium construatur, in quo fratres illius nationis recipiantur et religiose educentur; ad cuius aedificationem et collegarum sustentationem volumus contribuere omnes eiusdem provinciae conventus, maxime vero conventum Novi Claustri. Committimus igitur rev. admodum patri provinciali, ut quamprimum de graviorum patrum suae provinciae consilio determinet et designet et imponat contributiones unicuique conventui pingues et sufficientes ad superiora exequenda iuxta desiderium et voluntatem serenissimi archiducis, cui valde satisfacere desideramus.

Approbationes.

1. In provincia Hispaniae approbamus magisteria reverendorum patrum fr. Didaci Alvarez (1) et fr. Thomae de Lemos (2) et fr. Alfonsi de Leon.

2. In provincia Tolosana approbamus magisteria fr. Ludovici de Castes, fr. Bertrandi Gaude, fr. Hugonis Chaumel et fr. Iosephi Hybreis

3. In provincia Franciae approbamus lecturam bibliorum rev. p. fr. Bartholomaei Graeces.

4. In provincia utriusque Lombardiae approbamus magisteria reverendorum patrum fr. Camilli de Colurno inquisitoris Vicentini, fr. Cornelii Tiraboschi, fr. Petri Mariae de Urgnano inquisitoris Faventiae, fr. Innocentii Ghisii Genuensis, fr. Pauli de Garresio, fr. Dominici de Francavilla, fr. Vincentii Fantutii Bononiensis, eiusdem provinciae provincialis, fr. Pauli Carrariae Casalensis (3) prioris Comensis, fr. Ioannis Baptistae Ghedi inquisitoris Ferrariensis, fr. Archangeli de Ripalta, fr. Marci Tartesii de Cremona, fr. Sigismundi Gonzaghae, fr. Michaelis Angeli de Lauda inquisitoris Cremonensis, fr. Augustini de Ripalta inquisitoris Veronensis, fr. Pauli de Francis de Neapoli (4), salvis semper iuribus eiusdem prov.

5. In provincia Romana approbamus magisteria rr. pp. fr. Vincentii

---

(1) De fr. Didaco Alvarez cf. SSOP. II, 481.
(2) De fr. Thoma de Lemos cf. l. c. pag. 461.
(3) De fr. Paulo Carraria cf. l. c. pag. 414.
(4) De fr. Paulo de Francis de Neapoli cf. l. c. pag. 391.

de Civitella huius capituli diffinitoris, fr. Angeli Cortesii et fr. Sanctis Nerlii cum omnibus gratiis et privilegiis illius provinciae. Item magisteria fr. Dominici Landii, fr. Vincentii Alberti, fr. Petri Martyris Lutii, fr. Francisci Lermae (1), fr. Petri Iustiniani et fr. Andreae Iustiniani (2), salvis tamen iuribus et consuetudinibus illius provinciae. Item approbamus baccalaureatum rev. p. fr. Antonini Berti, magisterium studii fr. Zenobii de Acciaiolis, fr. Thomae Marguttini et fr. Zenobii Bonaccursii, cui concedimus, ut tempus quo fuit magister studii in collegio Romano ei admittatur, ac si Perusii illud officium exercuisset. Item approbamus praedicaturas generales rr. pp. fr. Laurentii Sordini (3), fr. Amantii Comparotti, fr. Ambrosii de Urbe, fr. Vincentii a Villa, fr. Archangeli Baldini, fr. Hieronymi Rosati, fr. David de Casulis, et fr. Hyacinthi de Tassis, salvis illius provinciae iuribus et consuetudinibus.

6. In provincia Regni approbamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis a Monte Corvino (4) et fr. Thomae Miglionici, et bacchalaureatus rr. pp. fr. Thomae Brandolini (5), fr. Thomae Manuel et fr. Dominici de Magdalono.

7. In provincia Poloniae approbamus magisteria rr. pp. fr. Severini Tarnoviensis et fr. Camilli Samboriensis; item baccalaureatum fr. Ioannis Chrysostomi Robcicensis huius capituli diffinitoris. In eadem provincia approbamus provisionem conventuum factam in capitulo provinciali Posnaniensi anno 1603 pro fratribus Russiae, manentibus in ea provincia post decretum apostolicum, exceptis duobus videlicet fr. Blasio lectore, cui conventum Gedanensem et fr. Thoma Sencovia lectore, cui conventum Varsaviensem damus ad petitionem et instantiam provinciae.

8. In provincia Aragoniae approbamus magisteria rr. pp. fr. Thomae Roca, fr. Petri dela Vega, fr. Ludovici Aliaga et fr. Isidori Aliaga; et in eadem provincia approbamus praesentaturas rr. pp. fr. Ioannis Contreras, fr. Hieronymi Cucalon, fr. Reginaldi Oliver et fr. Thomae Olivo.

9. In provincia Provinciae approbamus magisteria rr. pp. fr. Lucae Alemandi provincialis eiusdem provinciae, fr. Innocentii Berardi, fr. Petri Pauli Passeroni et praesentaturam fr. Blasii Ferrerii de Tolono. Approbamus etiam omnes contractus factos et approbatos in capitulo provinciali eiusdem provinciae hoc anno 1605 celebrato Sedenae.

10. In provincia inferioris Germaniae approbamus magisterium rev. p. fr. Francisci Doomptii; licentias rr. pp. fr. Andreae Goudain, fr. Filiberti

(1) De fr. Francisco Lerma cf. l. c. pag. 471.
(2) De fr. Andrea Iustiniani cf. l. c. pag. 405.
(3) De fr. Laurentio Sordini cf. l. c. pag. 362.
(4) De fr. Ioanne a Monte Corvino cf. l. c. pag. 358.
(5) De fr. Thoma Brandolini cf. l. c. pag. 487.

Fabri, fr. Petri de Ruy; bacchalaureatum rr. pp. fr. Petri Woestyne, fr. Ioannis Renardi (1), fr. Adriani Matthaei, fr. Ioannis Courtini; approbamusque in regentem primarium Lovaniensem r. p. fr. Stephanum Ione.

11. In provincia Calabriae approbamus magisteria rr. pp. fr. Angeli de Gemeliano, fr. Alphonsi de Sibari, fr. Scipionis de Lobrano, et bacchalaureatus rr. pp. fr. Hieronymi de Speciano Magno et fr. Petri de Neocastro.

12. In provincia s. Ioannis Baptistae del Perù approbamus magisterium r. p. fr. Didaci de la Torre et praesentaturam r. p. fr. Petri de Paredes (2) praedicatoris generalis.

13. In provincia Occitana approbamus magisterium rev. p. fr. Hyacinthi de Plana conventus Carpentoracensis, baccalaureatum rev. p. fr. Thomae Saurimont conventus Tolosani, lecturam artium et baccalaureatum rev. p. fr. Petri Bouquier conventus Altivilaris.

14. In provincia s. Petri martyris approbamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis Ambrosii Barbavarii regentis studii s. Eustorgii Mediolani, fr. Gregorii Marini inquisitoris Novariensis et fr. Ioannis Ambrosii de Alexandria. Item approbamus baccalaureatus rr. pp. fr. Cypriani Calphurnii et fr. Tiberii Bermigoti.

15. In congregatione Gallicana approbamus lecturam bibliorum rev. p. fr. Gasparis Cornuel.

16. Tandem approbamus magisteria et praesentaturas tum a capitulo generali Romano praeterito promotorum tum collata a reverendissimo patre nostro generali a dicto capitulo usque ad praesens.

Promotiones.

1. In provincia Hispaniae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Garciam Guerra priorem huius conventus et fr. Antonium de Sotomayor (3). Ad praesentaturam vero rr. pp. fr. Franciscum de la Cueva, fr. Didacum de la Peña, fr. Ioannem de Espila, fr. Ioannem de Pereda, fr. Ioannem de la Puente et fr. Iosephum Gonzales.

2. In provincia Tolosana promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Renatum Bolinum, fr. Benedictum Vaquerium et fr. Ioannem Bernianum; ad bacchalaureatum vero rr. pp. fr. Bertrandum Alianum, fr. Blasium Blandinum, fr. Stephanum Ducors et fr. Guillielmum Syeres.

3. In provincia utriusque Lombardiae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Angelum Buzaccarinum de Pizauro priorem sanctae Mariae de Castello, fr. Celsum Ponzonum de Brixia, fr. Michaelem Capellum Ge-

(1) De fr. Ioanne Renardo cf. SSOP. II, 553.
(2) De fr. Petro de Paredes cf. l. c. pag. 431.
(3) De fr. Antonio de Sotomayor cf. l. c. pag. 555.

nuensem provincialem Bohemiae et fr. Aurelium de Lauda, salvis iuribus eiusdem provinciae.

4. In provincia Regni promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Petrum de Neapoli et fr. Alphonsum de Aversa; ad baccalaureatum autem rev. p. fr. Innocentium de Madalono.

5. In provincia Theutoniae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Udalricum Goczonium et fr. Balthasarem Buchnerum.

6. In provincia Poloniae promovemus ad magisterium rev. p. fr. Abraham Bzovium, ad bacchalaureatum rr. pp. fr. Martinum Mlodavium de conventu Posnaniensi, fr. Albertum Secovium de conventu Lublinensi, fr. Adamum Zaremba et fr. Erasmum Konuscium de conventu Cracoviensi.

7. In provincia Aragoniae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Augustinum Garcia, fr. Petrum Ioannem Guasch, fr. Franciscum Diago, fr. Antoninum Domenec, fr. Thomam Maluenda, fr. Ioannem Hieronymum Cenedo (1) et fr. Franciscum Quint. Ad praesentaturam vero rr. pp. fr. Ioannem del Valle, fr. Ioannem Foix, fr. Blasium Verdù (2), fr. Vincentium Gomez (3), fr. Michaelem Font, fr. Garciam Aldovera, fr. Ioannem Biescas (4), fr. Antoninum Burguera, fr. Franciscum Salinas, fr. Honofrium Ferrer, fr. Dalmatium Amat (5), fr. Narcisum Ribes, fr. Michaelem Nadal, fr. Bartholomaeum Reus, fr. Petrum Selorga et fr. Iosephum Spi.

8. In provincia Bohemiae promovemus ad magisterium rev. p. fr. Dominicum Stolhofer de Nimburgo.

9. In provincia Provinciae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Antonium Vincentium de Tarascona et fr. Petrum Bovetum de Barchinona; ad baccalaureatum rr. pp. fr. Cornelium de Monte (6), fr. Philibertum Portanum de Buyx, fr. Raphaelem Cotta et fr. Benedictum Neco.

10. In provincia Trinacriae promovemus ad magisterium r. p. fr. Vincentium Ismargium, ad baccalaureatum rr. pp. fr. Decium de Genua et fr. Petrum Benfari.

11. In provincia Portugalliae promovemus ad praesentaturam rr. pp. fr. Ioannem Aranya, fr. Ioannem Daspovoas, fr. Athanasium de Fonseca, fr. Thomam de sancto Dominico. In eadem provincia pro congregatione Indiarum fr. Antonium de s. Dominico et fr. Didacum Madeyra.

12. In provincia Baetica promovemus ad presentaturam rev. p. fr. Ludovicum de la Oliva (7).

(1) De fr. Ioanne Hieronymo Cenedo cf. l. c. pag. 450.
(2) De fr. Blasio Verdù cf. l. c. pag. 436.
(3) De fr. Vincentio Gomez cf. l. c. pag. 455.
(4) De fr. Ioanne Biescas cf. l. c. pag. 523.
(5) De fr. Dalmatio Amat cf. l. c. pag. 358.
(6) De fr. Cornelio de Monte cf. l. c. pag. 415.
(7) De fr. Ludovico de la Oliva cf. l. c. pag. 422.

13. In provincia Germaniae inferioris promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Iacobum Roucourt et fr. Nicolaum de Reux.

14. In provincia s. Thomae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Thomam Rubinum de Rubis, fr. Stephanum de Vico, fr. Thomam de Litio et fr. Pompeium Panerelum; ad praesentaturam rev. p. fr. Thomam Calo de Biteto.

15. In provincia Calabriae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Antoninum de Scalciatis et fr. Franciscum de Serris; ad baccalaureatum fr. Vincentium Robinum de sancto Georgio, fr. Philippum de Gemiliano, fr. Marcum Antonium de Balnearia et fr. Silvestrum de Zagaresio.

16. In provincia Mexicana promovemus ad praesentaturam rr. pp. fr. Andream Ximenez, fr. Illefonsum de Armeria, fr. Antonium de Hinojosa, fr. Bartholomaeum Garcia, fr. Nicolaum Ortuño et fr. Franciscum de Villanueva.

17. In provincia sancti Ioannis Baptistae del Pirù promovemus ad praesentaturam rev. p. fr. Ferdinandum Davalos.

18. In provincia sancti Petri martyris promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Bonifacium de Kerio baccalaureum et fr. Basilium de Novaria baccalaureum, inquisitorem Dertonensem.

19. In provincia s. Catherinae de Senis promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Thomam de Castellis de Tocco et fr. Antonium Fontanam de Neapoli.

20. In provincia s. Laurentii de Chile promovemus ad praesentaturam rr. pp. fr. Franciscum de Riveras et fr. Antonium de Victoria.

Provisiones studiorum.

1. In provincia utriusque Lombardiae in studio Bononiensi damus in regentes pro sequentibus annis rr. admodum pp. fr. Petrum Martyrem Lucatellum de Bononia magistrum et fr. Augustinum de Brisighela magistrum et commissarium generalem sancti officii in Urbe.

2. In provincia Romana in studio Perusino servatis servandis damus in regentem rev. p. fr. Antoninum Bertum baccalaureum, quem in praesenti capitulo ad magisterium promovemus; in bacchalaureum p. fr. Vincentium Albertum, in magistrum studentium pro anno 1605 damus p. fr. Thomam Marguttinum et pro anno 1606 et 1607 damus fr. Iacobum Samminiatum Lucensem.

3. In prov. Regni in studio s. Dominici de Neapoli damus in regentem rev. p. fr. Alphonsum de Aversa in hoc capitulo ad magisterium promotum.

4. In provincia Poloniae damus in regentem studii Cracoviensis rev. p. fr. Camillum Samboriensem; in baccalaureum rev. p. fr. Adamum Zaremba ad talem gradum in hoc capitulo promotum. De magistro studentium providebit rev. admodum pater provincialis.

5. In provincia Aragoniae in conventu Barcinonensi damus in regentem rev. p. fr. Raphaelem Riphoz magistrum, in primum lectorem theologiae, qui legat pro gradu et forma magisterii fr. Antoninum Burguera praesentatum; in magistrum studentium pro aliis duobus annis fr. Chrysostomum Bonamic. In studio sancti Dominici Maioricarum damus in regentem rev. p. fr. Franciscum Quint magistrum, in lectorem theologiae fr. Michaelem Nadal praesentatum, qui legat pro gradu et forma magisterii, in magistrum studentium fr. Andream Serra; in collegio Dertusensi damus in lectores theologiae, qui legant pro gradu et forma magisterii, fr. Blasium Verdù et fr. Franciscum Salinas praesentatos.

6. In provincia Trinacriae damus in regentem rev. p. fr. Antoninum de Veria, quem in praesenti capitulo ad magisterium promovemus; in baccalaureum ordinarium p. fr. Thomam Paschali, in magistrum studentium pro primo anno p. fr. Matthaeum Duranti, pro secundo p. fr. Petrum Martyrem de Catania, pro tertio p. fr. Franciscum de Aydore lectores.

7. In provincia sancti Thomae damus in regentem rev. p. fr. Stephanum de Vico magistrum, in baccalaureum ordinarium p. fr. Ioannem Donatum de Castellaneto et in magistrum studii et baccalaureum extraordinarium p. fr. Iulium Nicastrum de Manfredonia.

8. In provincia Calabriae damus in regentem studii Cosentini rev. p. fr. Angelum de Gemiliano magistrum, in baccalaureum p. fr. Philippum de Gemiliano, in magistrum studentium pro hoc anno p. fr. Hieronymum de Tropea, pro secundo p. fr. Ioannem Baptistam de Altomonte, pro tertio p. fr. Antonium de Speciano Magno.

9. In provincia Occitana promovemus ad lectorem sententiarum p. fr. Vincentium Lecler conventus Avinionensis et p. fr. Marcum Circulum conventus Altivilaris.

10. In provincia s. Catharinae de Senis damus in regentem rev. p. fr. Thomam de Castellis de Tocco, in baccalaureum p. fr. Ioannem Baptistam de Antonellis ab Aquila; de magistro studentium providebit rev. admodum p. provincialis eiusdem provinciae.

11. In congregatione Gallicana promovemus ad lecturam sententiarum in universitate Nanetensi p. fr. Franciscum Lauriol.

Institutiones.

1. In provincia Tolosana instituimus praedicatores generales p. fr. Bertrandum Labat et p. fr. Ioannem Dugerium. In patres a consiliis p. fr. Ioannem Dalbie, p. fr. Bertrandum Gurranna et fr. Ioannem Duynian.

2. In provincia Romana instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Cosmam Valduynum, fr. Desiderium Gonsalvum et fr. Hieronymum Beger, salvis suae provinciae iuribus et consuetudinibus.

3. In provincia Aragoniae instituimus et erigimus in prioratum domum sancti Magini, cui damus in priorem p. fr. Dominicum Lledo. Item instituimus et erigimus in prioratum domum s. Hieronymi de Busaqui, cui damus in priorem fr. Andream de Pantoxa. Pro conventu sancti Dominici Maioricarum instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Franciscum Febrer; et pro conventu Oscae fr. Gasparem Ludovicum Serra; pro conventu de Ayerbe fr. Dominicum Montañes; pro conventu Montis Albani fr. Ioannem Garralda; pro conventu de Caspe fr. Petrum Gil; pro conventu de Monzon fr. Ioannem Portillo; pro conventu sancti Ilefonsi Caesaraugustae fr. Salvatorem Baños: pro conventu de Xativa fr. Franciscum Compost; pro conventu sancti Magini fr. Alexandrum de Vilanova, et pro conventu sancti Hieronymi de Busaqui fr. Michaelem Palerm.

4. In provincia Provinciae instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Ludovicum Cabrerium de Nizia et fr. Guillermum Hycart de Aquis.

5. In provincia inferioris Germaniae instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Ottonem Caulier.

6. In provincia Calabriae instituimus in lectorem p. fr. Vincentium de Catanzaro.

7. In provincia Aprutina instituimus in praedicatores generales p. fr. Petrum Martyrem Bonetti de Villamagna et fr. Vincentium Mezzara de Sulmona.

8. In provincia Mexicana instituimus in praedicatores generales rr pp. fr. Ferdinandum de Cubas huius capituli diffinitorem pro conventu b. Mariae Pietatis de Atlexuca, fr. Petrum de Buyca pro conventu s. Dominici de Yzucan, fr. Dominicum de Contreras pro conventu s. Ioannis Baptistae de Cuyoacan, fr. Petrum del Monte pro conventu sanctorum apostolorum Petri et Pauli de Tepozcoluca, et fr. Gabrielem Cupin pro conventu s. Mariae de Rosario Guadalaxarae.

Restitutiones.

1. In provincia Tolosana restituimus ad gratias ordinis fr. Augerium de Guillem, fr. Antonium Desmunt et fr. Ioannem Xetener.

2. In provincia Lombardiae restituimus ad omnes gratias ordinis p. fr. Hippolytum de Quintiano eiusdem provinciae.

3. Provinciae Poloniae restituimus conventus in Silesia videlicet Wratislaviensem, Glogoviensem, Svidnicensem, absolventes ab officio prioratus Wratislaviensis et vicariatus dictorum conventuum fr. Marcum Freihinger de Carniola.

4. In provincia Trinacriae restituimus in prioratus loca sancti Spiritus civitatis Politii, sancti Sebastiani Mirti, sanctae Mariae de Scala Terrae Veriae.

5. In provincia s. Petri martyris restituimus ad omnes gratias ordinis p. fr. Archangelum Carcanum de Mediolano, lectorem eiusdem provinciae.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Paulo V quil. sac. unam missam.

Pro felici statu sanctae Romanae ecclesiae quil. sac. unam missam.

Pro augustissimo imperatore quil. sac. unam missam.

Pro potentissimis Hispaniarum rege et regina catholicis quil. sac. tres missas.

Pro christianissimo Francorum rege quil. sac. unam missam.

Pro serenissimo Hispaniarum principe et infanta quil. sac. un. miss.

Pro illustrissimo cardinali Asculano ex ordine nostro assumpto quil. sac. unam missam.

Pro collegio illustrissimorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium quil. sac. unam missam.

Pro serenissimis Isabella de Austria, archiduce de Austria, duce Sabaudiae et eius filiis et filiabus quil. sac. unam missam.

Pro excellentissimo duce de Lerma de ordine nostro optime merito et munificentissimo benefactore huius conventus sancti Pauli et totius provinciae Hispaniae patrono quil. sac. unam missam.

Pro illustrissimis dd. dd. episcopis Legionensi et Asturicensi, ex ordine nostro assumptis, et Cordubensi et Conchensi quil. sacerdos unam missam.

Pro omnibus principibus christianis maxime pro his, qui pugnant contra hostes fidei, et pro bono statu totius reipublicae christianae quil. sac. unam missam.

Pro illustrissima civitate Vallisoletana quil. sac. unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris et maxime pro his, qui huic capitulo eleemosynam contulerunt, quil. sac. unam missam.

Pro statu et reformatione totius nostri ordinis et pro eius capite reverendissimo patre nostro generali et in eius societate laborantibus quil. sac. unam missam.

Pro magnatibus et amplissimis huius curiae proceribus quil. sac. un. missam.

Ubi sacerdotibus una missa, clericis aliis litaniae, conversis vero et laicis decies pater noster et ave Maria semper imponitur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima bonae memoriae Clementis VIII quil. sac. unam missam.

Pro anima felicis recordationis Leonis XI quilib. sac. unam missam.

Pro animabus illustrissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium Ursini et Iustiniani ex ordine nostro assumptorum, qui per-

petuam eleemosynam nostro generali capitulo in suis testamentis reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima excellentissimae ducissae de Lerma huius conventus sancti Pauli patronae quil. sac. unam missam.

Pro anima bonae memoriae Alfonsi Villalpandi, qui amplissimam eleemosynam sex millium aureorum annui reditus pro fundatione conventus s. Illefonsi in civitate Caesaraugustana donavit, quil. sac. un. miss.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri quil. sac. un. miss.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri quil. sac. un. miss.

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium defunctorum, conversis autem ac laicis rosarium imponitur.

Damus reverendissimo patri nostro generali omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, et eisdem addere vel minuere omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, praecipue vero circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus, secundum quod eius prudentiae expedire visum fuerit.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subditis, quod pro una vice tantum eligere possint aliquem patrem sacerdotem, ad confessionum audientiam in nostro ordine expositum, qui potestatem habeat ipsos absolvendi ab omnibus casibus et censuris, in quas ante harum publicationem incurrissent, a quibus ipsemet reverendissimus absolvere posset. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earumdem ordinarii confessores.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. admodum pp. provincialibus et diffinitoribus huius capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae damnatum ad gratias omnes ordinis restituere, si tamen sua humilitate et bono exemplo huiusmodi favore dignum se praestiterit.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum primum, ad instantiam christianissimi Francorum regis assignamus in conventu nostro sancti Iacobi Lutetiae Parisiorum hinc ad tres annos videlicet anno millesimo sexcentesimo octavo in festo sanctissimae pentecostes.

Praecipimus denique in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quamprimum legere et publicare faciant omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter exequutioni mandentur et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio omnia, nullo praetermisso, legantur, mandantes insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu habeantur acta, alia in com-

muni deposito cum aliis consuantur, altera habeant priores et suppriores, altera magistri novitiorum, ne quando fratres ignorantiam eorum, quae in ipsis ordinata sunt, praetendere possint.

Volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda. In nomine Patris et Flii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Hieronymus Xavierre generalis qui supra manu propria.

Fr. Ludovicus Ystella
magister et vicarius generalis totius ord. praed.

ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES ANNO DOMINI ·M°·D°·C°·VIII°· DIE XXV. MAII.

Sub reverendissimo patre fr. Augustino Galaminio Brisichellensi (1) sacrae theologiae professore magistro generali totius ordinis praedicatorum in eodem capitulo electo, diffinientibus pariter rr. admodum pp. provincialibus et diffinitoribus nempe:

fr. Petro Poillovost (2) magistro provinciali Franciae,
fr. Angelo Buzzacharino de Pisauro mag. prov. utriusque Lombardiae,
fr. David de Casulis Lucensi (3) praedicatore generali provinciali Romano,
fr. Thoma Margottino magistro provinciali Regni,
fr. Servatio Iungheling magistro provinciali Theutoniae,
fr. Alberto Secovio magistro provinciali Poloniae,
fr. Petro de la Vega magistro provinciali Terrae sanctae,
fr. Isidoro Aliaga magistro provinciali Aragoniae,
fr. Dominico de Barberano praedicatore generali provinciali Bohemiae,
fr. Luca Alemandi magistro provinciali Provinciae,
fr. Placido Equitio praedicatore generali provinciali Dalmatiae,
fr. Decio Luisi magistro provinciali Trinacriae,
fr. Petro Vostino magistro provinciali Germaniae inferioris,
fr. Donato Santesio de Arigliano magistro provinciali Appuliae,

---

(1) De fr. Augustino Galaminio Brisichelen. cf. MOPH. X, 297, 376, 402; supra pag. 78; SSOP. II, 364.

(2) Idem esse videtur ac Petrus Polibert, de quo supra pag. 2.

(3) De fr. David de Casulis cf. Masetti l. c. pag. 126.

fr. Augustino Caballo de Consentia magistro provinciali Calabriae,
fr. Matthaeo Donzello magistro provinciali Occitano,
fr. Iacobino Tursio praedicatore generali provinciali s. Dominici,
fr. Ioanne Baptista Porcello de Albinga magistro inquisitore Astensi provinciali s. Petri Martyris,
fr. Francisco Scriva lectore provinciali Aprutino,
fr. Nicolao Coffeteau (1) magistro et regis christianissimi Francorum ordinario concionatore, vicario congregationis Gallicanae, qui concessione apostolica pro hac vice tantum diffinivit.
fr. Felice de Plaça magistro priore Toletano diffinitore Hispaniae,
fr. Iuguo Chaunel magistro diffinitore provinciae Tolosanae,
fr. Pietro de Amore (2) magistro priore Aurelianensi diffinitore Franciae,
fr. Hieronymo Capredono Soncinate (3) mag. dif. utriusque Lombardiae,
fr. Dominico Landio (4) magistro diffinitore Romano,
fr. Thoma Brandolino magistro diffinitore Regni,
fr. Gisberto Specchtio magistro priore et inquisitore Coloniensi diffinitore Theutoniae,
fr. Erasmo Coniusovio magistro diffinitore Poloniae,
fr. Thoma Maluenda magistro diffinitore Aragoniae,
fr. Matthaeo Laville diffinitore Provinciae,
fr. Alberto Fertilio magistro diffinitore Dalmatiae,
fr. Thoma Alvacar magistro diffinitore Trinacriae,
fr. Simone de Pavia magistro diffinitore Portugalliae,
fr. Ioanne Montero magistro priore Hispalensi diffinitore Bethicae,
fr. Thoma Rubino de Rubis magistro diffinitore Appuliae,
fr. Hieronymo a Spentiano magistro diffinitore Calabriae,
fr. Alphonso de Armeria magistro diffinitore s. Iacobi de Mexico,
fr. Petro de Paredes magistro diffinitore Peruano,
fr. Andrea de s. Petro Docampo mag. dif. s. Antonini de Novo Regno,
fr. Vincentio Leclerc magistro diffinitore Occitano,
fr. Ioanne Petro Astorio de Venetiis magistro diffinitore s. Dominici,
fr. Balthassare Verdugo praed. gen. diffinitore s. Laurentii de Chile,
fr. Antonio de Riposo de Alexandria magistro diffinitore s. Petri Martyris,
fr. Cypriano Ursono magistro diffinitore Aprutino,
fr. Gentiano Billaud (5) magistro diffinitore congregationis Gallicanae, qui concessione apostolica hac tantum vice diffinivit.

(1) De fr. Nicolao Coffeteau (Coeffeteau) cf. SSOP. II, 434.
(2) De fr. Petro de Amore cf. l. c. pag. 496.
(3) De fr. Hieronymo Capredono cf. l. c. pag. 381.
(4) De fr. Dominico Landio cf. Masetti l. c. pag. 125, 129.
(5) De fr. Gentiano Billaud cf. SSOP. II, 437.

Universis ordinis praedicatorum patribus et fratribus
fr. Augustinus Galaminius Brisichellen. sacrae theologiae professor,
ac eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus,
salutem in domino.

Eximia quadam animi laetitia perfusi sumus, patres charissimi, cum tot viros doctrina, et probitate praestantes, nempe primarios ordinis proceres in capitulo generali congregatos aspeximus. Sic enim in sancta ista, ac Deo dilecta urbe, ubi Christus sedem imperii sui, et arcem divinae religionis fundavit, gloriosa quadam, et pia ostentatione praeclara nostrae religionis ornamenta spectanda christiano orbi, veluti in amplissimo theatro proposuimus: unde favor, amor, admiratio, consensus, veneratio generis humani in nos mirifice conciliari possint. Negandum quidem non est illustriora fuisse maiorum nostrorum decora et clariores virtutes; at non eo, Dei benignitate, prolapsae sunt res nostrae, quin hac quoque aetate ingentia, tum sanctitatis, tum doctrinae merita e dominicana familia in totam Christi ecclesiam abunde proficiscantur. Quamvis enim religio nostra in quibusdam provinciis ob haereses, ob bella, ob alios casus gravia incommoda senserit: at viget, floretque in aliis, insigni ecclesiae bono. Sed ea est rerum humanarum conditio, ut etiam solide fundata, tempore labescant, et in pravum laxentur, nisi novis munimentis fulciantur. Ergo ut integra ordinis conserventur, et collapsa denuo erigantur, subiicienda fuere fulcra, et valida pietatis retinacula, quibus tota haec regularis disciplinae fabrica sustineri, et firme subsistere queat: nempe sanctissimas leges, et instituta adhibuimus, quibus, si ea observaverimus, pristinus ille religionis nitor in nos restitui et instaurari possit. Ea igitur quae hic damus salutaria documenta, tota mente, patres amantissimi, complectamur, et innovabimus proculdubio in nobis patrum nostrorum antiqua mirabilia: nimirum, altissimum illum rerum terrenarum despectum, divinarum vero ardentissimum amorem, mirabilem pietatem, religionem, charitatem, humilitatem profundam, salutis animarum zelum accensum, continuata ieiunia et plerumque solo pane, et aqua soluta, vigilias infatigabiles, iuges ad deum preces, quibus saepissime diem cum nocte coniungebant, promptos ad omnes obedientiam animos, et totos e superiorum nutu pendentes, studia sacrarum litterarum nunquam intermissa, officia divina summa cum devotione celebrata, itinerum pedestrium indefessos sudores, inviolabilem silentii legem, tam sancte cultam, durum, et difficilem victum, vestitum asperum, et corpori molestum, somnum parcissimum et intermissum, carnis severas afflictiones, et disciplinas saepius ad sanguinis usque rivulos, calidos lacrymarum imbres, conciones frequentissimas, mirabiles peccatorum ad seriam poenitentiam conversio-

nes, dissidentium hominum, et populorum ad pacem, et concordiam reductiones, propagationem fidei apud varias barbaras et infideles nationes, et innumera alia pietatis officia, in quibus maiores nostri tantopere excelluere: unde ordo noster in eam magnitudinem evasit, quam omnes nunquam satis pro dignitate, et admirantur, et laudant. Fiant igitur in nobis duplices illi, et opimi parentum nostrorum spiritus et corda patrum reducantur in filios: viam illam virtutis quam ipsi tam recto pede incessere, nos quoque eorum vestigiis insistendo, summa alacritate teramus. Christus optimus maximus vos servet incolumes.

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam celebrati, in festo sanctissimi Pentecostes 25 Maii, anno domini MDCVIII sub reverendissimo p. fr. Augustino Galaminio Brisichellensi, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper Virginis, et b. p. n. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus omnibus nostri ordinis fratribus, illustrissimum et reverendissimum d. fr. Hieronymum Xavierre Caesaraugustanum, ex magistro generali ordinis praedicatorum, assumptum a sanctissimo d. nostro Paulo papa V. ad amplissimam cardinalatus dignitatem, ob idque tantum beneficium et honorem, ordinem nostrum ingentes, et immortales eidem sanctissimo d. n. gratias egisse.

2. Denuntiamus, vacante magisterio generali ordinis, ob assumptionem praefati illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis Xavierre ad cardinalatus dignitatem, in hoc generali capitulo electum in magistrum ordinis summo omnium consensu reverendissimum p. fr. Augustinum Galaminium Brisichellensem sacrae theologiae professorem, et sacri palatii apostolici magistrum; eundemque ipso electionis die solemni processione totius generalis capituli ad sanctissimum d. n. Paulum papam V. fuisse deductum, ab eodemque sanctissimo benevole et amanter exceptum.

3. Denuntiamus rev. admodum p. fr. Seraphinum de Papia magistrum, ex inquisitore Mantuano creatum et institutum a reverendissimo p. n. generali vicarium generalem simul et procuratorem generalem totius ordinis praedicatorum. Item rev. admodum p. fr. Angelum Brixium Caesenatem magistrum, institutum ab eodem reverendissimo magistro ordinis provincialem Terrae sanctae.

4. Denuntiamus, sacram illustrissimorum cardinalium, rituum sacrorum congregationem amplissimo decreto 19 aprilis huius anni 1608 statuisse, decretumque a sanctissimo d. n. Paulo papa V. apostolica auctoritate coram cardinalium consistorio approbatum et confirmatum, ut bonae memoriae fr. Ludovicus Bertrandus Valentinus, provinciae Aragoniae, qui maxima cum sanctitatis et miraculorum opinione ante 27 annos obiit, beatus ab omnibus vocetur, de eoque in conventibus fratrum ac sororum regni Valentini missa et divinum officium, sicuti de uno sancto confessore publice celebretur (1).

5. Denuntiamus, post varias controversias saepius agitatas, tam in praecedentibus capitulis generalibus, quam coram sede apostolica inter patres provinciae Poloniae ex una parte, et patres congregationis Russiae ex alia, de iure conventuum et terminorum, tandem scitu et beneplacito sanctissimi d. n. Pauli papae V. in hunc modum conventum, et transactum inter patres fuisse, ut patres Rutheni possint intra terminos suae congregationis, videlicet a Mosticia versus Kiioviam, et ultra versus Valachiam, Moschoviam et Moldaviam absque ullo impedimento novos conventus fundare, iam erectos, nempe Mosticensem, Leopoliensem, Rubei Castri, Iaslovicensem, Camenecensem, Kiioviensem, Buscensem, Potocensem, Iesupoliensem, Barensem, Laticzoviensem, Scharafcensem pacifice habere et possidere, ac etiam dirutos et desolatos instaurare et restituere, scilicet Trebovoliensem, Colomiensem et Smotriczensem, quos patres Poloni quieti et paci perpetuae studentes, dictis patribus Ruthenis in praesentia reverendissimi magistri generalis ordinis donarunt et donant in perpetuum sponte et ex gratia, iuri suo cedentes in hac parte tantum, ita ut aliis conventus provinciae, scilicet Praemisliensis, Samboriensis, Belzensis, Luceoriensis, Hrodlensis, Wlodimiriensis et Hrubiessoviensis, quos de facto praefati patris Poloni possident, sint etiam in perpetuum ad dictam provinciam Poloniae cum omnibus iuribus suis spectantes. Insuper patres Ruthenos vicissim sponte se obligasse et promisisse, quod etiam subinde impositum illis et praeceptum fuit, nullo se unquam tempore intra terminos provinciae Poloniae aedificaturos, neque tentaturos aedificare conventus aut loca pro sua congregatione. Similiter denuntiamus, eisdem patribus Ruthenis ex voluntate eiusdem sanctissimi d. n. Pauli papae V. inhibitum esse, ne in posterum de erigenda sua congregatione in provinciam agant, aut ea de re lites moveant, cum iam per felicis recordationis Clementis VIII. decreta provincia sancti Hyacinthi in Russia omnino extincta fuerit, cum suo titulo et essentia, ut etiam ex actis capituli generalis Vallisoletani proxime praecedentis apparet;

(1) Cf. BO. V, 660 n. XXIII, 666 n. XXXVIII.

quae sane decreta iam exequutioni mandata, per sanctissimum d. n. Paulum papam V. sub gravissimis censuris confirmata sunt. Atque in hanc formam, ut praefertur, ad communem pacem et quietem pactum et conventum inter ambas partes fuisse, necnon in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto et poena excommunicationis latae sententiae silentium perpetuum utrique parti impositum, ut amplius in hac causa nulla lis, aut controversia agitetur, aut ullum verbum deinceps fiat; ambas quoque partes sponte, ac libere in hanc conventionem et concordiam venisse, consensisse, subscripsisse; ut constat etiam ex authentico instrumento manu publici notarii confecto. Nosque auctoritate sanctissimi d. n. Pauli papae V. vivae vocis oraculo nobis concessa, et nostra etiam eandem conventionem et concordiam partium approbasse, ratam, firmamque in perpetuum haberi voluisse, quibuscunque in contrarium non obstantibus (1).

6. Denuntiamus omnibus nostri ordinis fratribus sanctissimum d. n. Paulum papam V. concessisse indulgentiam ducentorum dierum omnibus, tam religiosis, quam saecularibus, qui intererunt in ecclesiis nostris, dum cantatur antiphona « Salve Regina » post completorium.

7. Denuntiamus etiam a sanctissimo d. n. Paulo papa V. emanasse breve apostolicum in hunc modum: Paulus papa V. Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Caelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Deus, libenter iis impartimur, quos pro sua in Deum et in proximos charitate, et christianae religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in numero cum ordinis praedicatorum religiosos habeamus, eosque in primis, quos dilectus filius Augustinus Galaminius eiusdem ordinis magister generalis hoc ipso, et consequentibus annis in diversas christianae reipublicae provincias mittere constituit, nos sane eorundem religiosorum pietatem, atque operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem, ac devotionem spiritualibus gratiis fovere, atque augere cupientes, eiusdem Augustini magistri generalis precibus humiliter Nobis super hoc porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantum cum domino possumus, promovere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus et singulis dictae religionis religiosis mittendis et aliis utriusque sexus Christi fidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impartimur. Necnon eisdem vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui pro sanctae Romanae ecclesiae exaltatione,

(1) Cf. BO. V, 639 n. XIV.

principum christianorum unione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, pro una vice dumtaxat concedimus et elargimur. Hortantes venerabiles fratres nostros patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos et alios ecclesiarum Dei praelatos et rectores, ac verbi Dei praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis apud populum praesentes litteras, ac omnia in eis contenta publicent, et publicari faciant, ac omnem illis favorem et auxilium in praemissis praestent. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus, quod praesentium transumptis manu alicuius notarii publici, seu dicti ordinis secretarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu magistri generalis dicti ordinis obsignatis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Praesentibus ad triennium proximum valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 7 iunii MDCVIII pontificatus nostri anno quarto.

Scipio Cobellutius.

8. Denuntiamus ab eodem sanctissimo d. n. Paulo papa quinto occasione instantis novae electionis magistri ordinis, quae facta est in praesenti capitulo generali, emanasse litteras apostolicas in forma brevis, quibus etiam confirmavit constitutiones praedecessorum suorum felicis recordationis Gregorii XII. et Clementis VIII. de gratiis per mendicatos favores personarum extra obedientiam nostri ordinis non quaerendis vel concedendis, ubi inter alia, haec habentur expressa: Paulus papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Admonemur pastoralis officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosis ad dignitates et officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Alias siquidem felicis recordationis Gregorius papa XIII. praedecessor noster per suas in forma Brevis litteras die prima iunii MDLXXX pontificatus sui anno nono datas magistro generali, ac provincialibus et reliquis ordinis fratrum praedicatorum praelatis, nunc, et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae mandavit, ne ad instantiam et requisitionem quarumcunque personarum, tam laicarum, quam ecclesiasticarum extra supradictum ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore et quacunque saeculari dignitate et excellentia etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, cuivis dicti ordinis religioso ullam gratiam concedere, vel poenas aliquas remittere auderent, quinimmo quoscumque dicti ordinis fratres et religiosos, qui contra decreta suarum constitutionum, hac via et his mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia et similia,

ac etiam maiora in eodem ordine consequenda perpetuo inhabiles etiam declaravit; et subinde cum a nonnullis ambigeretur, an sub gratiarum vocabulo gradus, honores, dignitates, officia et munia ordinis praedicti comprehenderentur, similis memoriae Clemens papa octavus etiam praedecessor noster per alias similes litteras die 23. maii 1592 pontificatus sui anno primo datas, priores litteras praedictas et in eis contenta quaecunque approbavit et confirmavit, ac praedictam Gregorii de gratiis, ut praefertur per mendicatos favores minime concedendis prohibitionem ad quoscumque gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, praelaturas eiusdem ordinis, perpetuo extendit et extendi debere decrevit: et propterea dilectis filiis magistro generali, provincialibus et aliis praelatis, ac superioribus eiusdem ordinis, ne in posterum aliquod praemissorum cuiquam ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem superius expressarum personarum quarumcunque quovis modo concedere; religiosis vero, ac fratribus eiusdem ordinis quibuscumque, non solum in praemissis omnibus saecularium favorem minime procurare, sed nec etiam sponte oblatum, aut ab eis minime procuratum recipere; et similiter ne ad hunc effectum munera aliqua saecularibus impendere, vel exhibere auderent, vel praesumerent, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in dictis Gregorii praedecessoris litteris contentis praecepit et expresse interdixit, ac prohibuit, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur etc. Nos etc. Motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine dictorum Gregorii et Clementis praedecessorum praedictas litteras et in eis contenta quaecumque, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque etc. Volumus autem, quod praesentium litterarum exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides ubique adhiberi debeat, quae praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 7. ianuarii MDCVIII pontificatus nostri anno tertio.

Scipio Cobellutius.

9. Denuntiamus, quod etiam in capitulo generali Romae 1601 iam denuntiatum fuit, felicis recordationis Clementem papam VIII. edidisse ordinationem sequentis tenoris: nullos fratres Romam venire superiores

permittant, nisi prius a generali dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire praesumpserit, voce activa et passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu superiorum infligendas poenas. Quae item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint et receperint, sine ulla exceptione locum habeant. Inter poenas autem arbitrarias, hanc idem felicis recordationis papa Clemens expressit, ut huiusmodi fratres in carceribus per sex menses detineantur, prohibuitque, ne huiusmodi poenae possint ab eorum superioribus remitti, cum earum dispensationem et relaxationem idem pontifex sibi reservaverit.

Declarationes.

1. Declaramus, quod suppriores conventuum, qui sunt praedicatores generales, habent vocem in capitulo provinciali et possunt ire ad capitulum provinciale.

2. Declaramus, quod lectores examinati et approbati in aliquo studio generali, non teneantur iterum in propria vel aliena provincia examinari.

3. Declaramus iuxta declarationem 10. factam in capitulo Romano 1589, quod magistris in theologia, qui statim in sua provincia gaudere solent loco, et voce et aliis privilegiis magisterii, quamprimum promoventur, antequam etiam acceptentur a sua provincia, computanda est eis antiquitas loci et magisterii, tam in sua provincia, quam in toto ordine a die promotionis eorum. Magistris vero, qui in sua provincia non gaudent loco, et voce, et aliis privilegiis magisterii, antequam acceptentur a provincia, etiam si ante fuerint promoti, non est computanda in sua provincia antiquitas loci et magisterii eorum, nisi a die acceptationis in sua provincia, in aliis vero provinciis computabitur ipsis a die promotionis eorum. Nec in ordine loci magistrorum attendenda est antiquitas professionis, vel habitus, sed promotionis, vel acceptationis respective, uti dictum est, quomodocunque gradum magisterii cum voce et loco in provincia sua obtinuerint, sive per acceptationem, sive per promotionem ad regentatum in studio generali provinciae. Sic tamen, ut qui simul promoti, vel simul acceptati fuerint, habeant locum secundum antiquitatem suae professionis. Idem prorsus servari volumus in baccalaureis sive praesentatis.

Confirmationes.

1. Confirmamus illam sanctissimam ordinationem olim a b. Raymundo de Capua magistro ordinis factam et a felic. recordat. Bonifacio papa VIII. approbatam et in multis generalibus capitulis, praesertim proxime antecedente Vallisoletano innovatam, atque in pluribus provinciis iam executioni mandatam, ut rr. admodum pp. provinciales unusquisque in sua provincia unum, vel plures conventus deputent, in quibus regula

et constitutiones nostri ordinis in omni rigore et quam exactissime, sive ad unguem observentur. In quibus tamen conventibus fratres non nisi spontanei et voluntarii assignentur. Nec eis ullo pacto liceat consuetum ordinis habitum, vel formam eius immutare, seu alias caeremonias et observantias quam in ordine receptas et approbatas inducere, nec possessiones, ceteraque immobilia, et pretiosa bona conventus absque speciali magistri ordinis licentia alienare audeant, nec se ab obedientia provinciae praesidentis subducere ullo pacto praesumant. Hortamur nihilominus eosdem provinciarum praesidentes, ut fratres in praedictis conventibus commorantes omni charitate foveant, adiuvent, neque eis in suo fervore sint impedimento, sed susceptam ab illis arctioris observantiae viam diligenter conservare et augere procurent.

2. Confirmamus illam ordinationem 20. in capitulo Valentino 1596 factam, et in Romano 1601 et Vallisoletano 1605 approbatam et confirmatam, qua praecipitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae et omnibus poenis quomodocunque in capitulo gravioris culpae contentis, ne quis religionis nostrae negotia, sive fratrum, sive monialium, quoquomodo deferre audeat directe vel indirecte, per se vel per alios ad tribunalia extra ordinem. Quod si qui sciverint, id aliquem vel aliquos fecisse, sub eodem formali praecepto et excommunicationis latae sententiae poena, priori provinciali, vel conventuali infra terminum duodecim dierum, quorum quatuor primos pro primo, quatuor secundos pro secundo, quatuor tertios pro tertio et ultimo termino peremptorio assignamus, denuntiare teneantur. Superior vero admonitus, sub eodem pariter praecepto et excommunicationis latae sententiae poena, intra terminum ut supra, praemissis praemittendis, poenam transgressoribus supra taxatam infligere omnino tenebitur.

3. Confirmamus ordinationem 18. capituli generalis Vallisoletani proxime praeteriti, ut nulli umquam dentur aliquae licentiae absque temporis certi designatione, intra quod eas executioni mandare possit; quo elapso, ipso facto sint nullae nulliusque roboris.

4. Confirmamus ordinationem 9. capituli generalis Neapolitani 1600, quae confirmata est in duobus proxime praecedentibus capitulis generalibus, Romano 1601, Vallisoletano 1605, qua praecipitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, omnibus et singulis fratribus cuiuscumque sint gradus, aut conditionis, ne audeant extrahere a bibliotheca communi libros, quicumque illi sint, sine licentia superioris conventus, qui ipsam nullo modo dare poterit, nisi in casu alicuius necessitatis et de patrum consilio.

5. Confirmamus ordinationem quintam capituli praecedentis Vallisoletani, qua statuitur, ut nullus deinceps liber typis mandetur, quin prius examinatus et approbatus fuerit a duobus vel tribus patribus in unaquaque provincia, a provinciali et diffinitoribus capituli provincialis nominandis. Quibus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae mandamus, ut totum librum diligenter videant et examinent, quo stylo, gravi an humili constet, de qua materia seu argumento, magni an parvi momenti, nec sufficiat, ut nihil contra fidem, aut bonos mores contineat, sed talis sit qui honori et decori religioni esse possit. Libros autem sic examinatos et approbatos nolumus excusioni mandari in Italia, antequam Romam ad magistrum ordinis, vel eius vicarium mittantur approbandi. Praecipientes sub eodem formali praecepto, ne postquam, ut dictum est, liber examinatus et correctus approbatusque fuerit, possit ei quidquam addi, vel detrahi, nisi id iterum examinatoribus et superiori, ab eis approbandum vel reprobandum, ostendatur.

6. Confirmamus, quod in duobus praecedentibus capitulis Romano et Vallisoletano, aliisque saepe saepius sancte statutum fuit, ut qui pecunias undecumque habuerint, teneantur sub poenis proprietariis debitis, infra terminum vigintiquatuor horarum easdem praelato suo praesentare et de eius licentia in communi deposito ponere; quod in moderata pecuniarum quantitate, attenta tamen personarum et occasionum qualitate permitti poterit, ad breve tempus, et ad certum usum. Praelatique graviter punientur, qui fratres permiserint pecunias aliter expendere, quam eorum religiosa necessitas vel commoditas tulerit.

7. Confirmamus ordinationem illam capituli Vallisoletani immediate antecedentis de his, quae pertinent ad commune depositum conventus, nimirum ut in quolibet conventu vel domo deputetur aliquis locus fortis et securus, quod depositum commune appelletur, cuius clavem habeat semper prior, vel principalis praesidens conventus; in quo deposito constituatur arca fortis et valide compacta, quae tribus seris claudatur, quarum claves habeant singuli singulas, videlicet prior, vel principalis praesidens conventus et duo patres depositarii, moribus et fidelitate probati, quos maior pars patrum a consiliis ad hoc munus aptiores esse iudicantes, elegerint. Et in praedicta arca omnes pecuniae conventus deponentur et custodientur. In administrando autem deposito hae leges servabuntur: I. Singulis hebdomadibus, vel mensibus ad praedictum depositum conveniant prior et duo depositarii, quibus syndicus, procurator, sacrista et alii ad quos ratiocinia conventus quoquomodo spectant, rationem reddant de receptis hebdomadae, vel mensis praeteriti. II. Praecipimus autem in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, et sub formali praecepto sacristis, ut nihil eorum quae recipiunt, expendere audeant, neque

etiam sub praetextu adornandae ecclesiae, vel musicae, vel alia occasione absque licentia prioris. III. Insuper sub eodem praecepto formali mandamus omnibus fratribus, ut quascumque eleemosynarum pecunias, tam ad missas celebrandas, quam quavis alia ratione pro conventu eis traditas, infra spatium vigintiquatuor horarum sacristae consignent, nec apud se retineant. IV. Quoniam longa syndicorum in suo officio perduratio conventibus damnosa saepe esse solet, ordinamus, ut nullus syndicus possit in syndicatus officio perdurare plusquam per biennium ; quo completo, ipso facto a praedicto officio sit absolutus, nec ad illud ante biennium eligi possit sine licentia prioris provincialis et, praemissa nova electione, maioris partis vocalium conventus consensu accedente. V. Syndico numquam concedatur facultas acceptandi pecunias, quae ad extinctionem censuum erogari solent. Qui etiam teneatur singulis hebdomadibus vel mensibus ad summum, rationem reddere priori et depositariis de omnibus receptis, et pecunias omnes deferre ad depositum, ut ibi in arca deponantur et custodiantur, unde non poterunt extrahi nisi in praesentia prioris et depositariorum, et statim in libro maiori scribatur distincte et clare, in quos usus expendantur. Volumus autem, quod syndicus nullas pecunias expendere possit, nisi prius importatae fuerint ad depositum et inde sibi fuerint consignatae a priore et depositariis. Quod si aliter .fecerit, poenae proprietarii ipso facto subiaceat. VI. Liber magnus in arca depositi custodiatur, a qua non possit extrahi nisi in praesentia prioris et depositariorum, nec inde alio ullo modo, vel per breve tempus asportetur, praeterquam tempore visitationis prioris provincialis, et tunc ad eius cellam poterit deportari, ut omnia ratiocinia possit intueri. In quo libro ex una parte scribantur omnia recepta, tam syndici, quam sacristae, quam aliorum, ita ut nihil in conventu recipiatur, quod in praedicto libro non scribatur, ex alia autem parte omnes expensae referantur, ut sic tempore ratiocinii collatio fiat recepti et expensi et cognoscatur, an bona conventus recte fuerint administrata. Praedictas autem in administrando deposito leges et ordinationes districte et inviolabiliter praecipimus observari.

8. Confirmamus ordinationem 21. eiusdem capituli Vallisoletani, ut in omnibus conventibus, maxime in praecipuis semper ad ostium coenobii custos assistat aliquis sacerdos, vel conversus discretus et morum probitate insignis, qui saeculares adventantes benigne recipiat et, de rebus spiritualibus colloquendo, eos detineat, interim dum frater ab eis postulatus, ab alio iuniore ostiario, quem socium senior ille et primarius ostiarius in eo officio semper habebit, vocatus adveniat. Nec permittat saeculares per conventum discurrere, nec ad cellas fratrum accedere, nisi fuerint personae graves. Ostium autem ita introrsus semper sit occlu-

sum, ut nulla ratione a foris venientes possint aperire. Ut vero facilius ostiario innotescat, qui fratres sint foris, qui vero domi, mandamus sub poena gravis culpae, ne quis extra conventum egredi audeat per portas ecclesiae, vel per alias, sed solum per unicum commune ostium domus. Ad ostium vero introrsus tabula loco apto affigatur, nomina et cognomina fratrum conventus continens, in qua ostiarius aliquo signo notet fratrem domo egredientem vel regredientem, ut sic de quaesitis fratribus rationem reddere queat. Praelati vero, qui in horum cura fuerint negligentes, a suis officiis absolvantur.

9. Confirmamus etiam, quod saepius ordinatum fuit, ut cuique fratri e domo exeunti nominatim socius assignetur a praelato, nec ulli detur licentia prodeundi, nisi designando ei socium. Fratres vero cum in domum redierint, quamprimum se sistere debeant praesidenti conventus, ut accepta ab eo benedictione, ipse sciat, quid de eis actum sit.

10. Confirmamus ordinationem 14. capituli generalis Romae 1601, quae confirmata est in capitulo Vallisoletano 1605, ut si concessae fuerint aliquae litterae patentes testificantes surreptitie de aliquo, in quibus dicatur, quod legerit, vel alia huiusmodi egerit, quarum vigore aliquos gradus consequutus fuerit, eo ipso eius gradus non admittantur a capitulo provinciali. Idem dicimus respectu praedicatorum generalium; extendentes hanc ordinationem ad eos, qui falsam informationem diffinitorio generali, vel magistro ordinis dederint, quos a suis officiis absolvi debere decernimus et perpetuo inhabiles ad praelaturas esse volumus.

Ordinationes.

1. Ordinamus, ut festum s. Ludovici confessoris regis Francorum et festum s. Caeciliae virginis et martyris sub toto duplici, festum sancti Blasii episcopi et martyris sub duplici deinceps celebrentur.

2. Ordinamus, ut in omnibus conventibus nostri ordinis, ubi viget studium artium et theologiae, singulis quartis feriis vacantibus fiat officium de s. Thoma Aquinate, eo modo quo tertiis feriis fit de s. p. n. Dominico. Nec propterea quarundam provinciarum consuetudines immutare intendimus, in quibus de alio sancto ordinis nostri feriis quartis officium agi consuevit.

3. Ordinamus, ut rubrica missalium postremo reformatorum ab omnibus fratribus inviolabiliter observetur, nimirum, ut in fine missae pro defunctis benedictio populo non detur.

4. Cum in capitulo generali Valentiae anno domini 1596 celebrato, ordinatione 10. auctoritate apostolica statutum fuerit, ut nullus haberet in posterum vocem tam activam, quam passivam in ulla electione canonica, nisi post expletos duodecim annos a professione sua; quae ordinatio recepta et confirmata fuit in proximis duobus sequentibus ca-

pitulis generalibus Neapolitano anni 1600 et Romano 1601, nunc propter iustas et legitimas causas, habito vivae vocis oraculo a sanctissimo d. n. Paulo papa quinto, de eiusdem apostolica auctoritate, non obstante praefata Valentini capituli ordinatione, eiusdemque per duo sequentia capitula confirmatione, statuimus et ordinamus, ut deinceps fratres nostri in quacumque electione canonica habeant vocem activam, dummodo expleverint sex annos integros a sua professione et fuerint sacerdotes, conventu nostro Parisiensi dumtaxat ob certas causas excepto, in quo praefatam capituli Valentini ordinationem volumus et declaramus in suo robore permanere.

5. Ordinamus et districte mandamus, ut fratres nostri memores suae professionis et exempli sanctissimorum patrum nostrorum, itinera pedibus conficiant, cum omni humilitate et paupertate; habentes semper itineris socium aliquem fratrem. Monemus vero praelatos omnes, ut in hac re subditis exemplo suo praeeant. Nec ulli deinceps equitare liceat, nisi obtenta prius a suo praelato licentia in scriptis, quae causas iustas exprimat, ob quas cum illo ea in re dispensatum sit. Contrarium autem facientes graviter puniantur et praelati qui in puniendis huiusmodi delinquentibus fuerint negligentes, gravius et ipsi puniantur.

6. Ordinamus, ut sanctissima silentii lex tantopere a patribus nostris commendata, ex cuius observantia tot tantaque bona nascuntur in ordine, omni studio et diligentia a fratribus nostris servetur. Praelati autem, qui transgressores silentii severe non punierint, severius ipsi puniantur.

7. Quia ex proba et sancta novitiorum educatione magni fructus in religione proveniunt et disciplina regularis mirifice promovetur, ordinamus et inviolabiliter observari mandamus, ut novitii in posterum post emissam professionem maneant in domo novitiorum et sub cura sui magistri usque ad sacerdotium; nec ante id tempus, vel extra domum novitiorum habitare, vel a cura sui magistri subduci possint. Sic tamen, ut novitii puri, hoc est, hi qui intra annum adhuc probationis existunt, in eiusdem domus novitiorum loco seiuncto et separato, seorsim a societate et conversatione aliorum novitiorum seu iuvenum iam professorum habeantur et educentur. Quamvis postquam novitius professus fuerit, poterit cum aliis puris novitiis in eorum societate et loco per aliquod tempus, quod tamen annum non excedat, manere et commorari, ac si purus novitius esset, antequam ad locum et societatem aliorum novitiorum iam professorum transeat. Porro ad ecclesiam, oratorium, chorum, refectorium et ad alia publica loca, cum opus fuerit, tam novitii puri, quam professi, seu iuvenes, simul omnes incedent et convenient. Quae laudabiles consuetudines in novitiorum educatione, cum in multis pro-

vinciis hactenus vigeant, ut in reliquis etiam omnibus exacto serventur, districte mandamus et ordinamus.

8. Novitii puri vel professi nullo pacto educentur et habeantur nisi in conventibus, ubi viget observantia regularis.

9. Nullus recipiatur ad habitum ordinis ante quartumdecimum aetatis annum et nisi in rebus grammaticis sufficienter instructus fuerit, ut saepius iam antea fuit ordinatum.

10. In conventibus, ubi ali solent novitii in determinato numero, non recipiatur aliquid pro novitio induendo, vel pro tempore probationis, etiam pro victu et vestitu, aut quovis alio titulo, sed ubi necessitas adesset monasterii, poterit quidem iuxta formam concilii Tridentini sessione 25. cap. 16. accipi aliquid pro victu et vestitu reali, non autem quidpiam aliud, etiam sponte oblatum, sub poena accipientibus privationis officii, et utriusque vocis, et inhabilitationis ad aliud officium in posterum obtinendum, ipso facto incurrenda, ultra illam praefixam ibi a concilio.

11. Novitii intra probationis annum non admittantur ad studia litterarum, sed toto illo anno vacent devotioni et addiscendis caeremoniis, rubricis, divino officio, cantui ecclesiastico, constitutionibus et id genus aliis rebus ordinis. Post emissam vero professionem poterunt ad studia admitti. Novitiorum vero lectores nullo pacto se negotiis, aut gubernationi eorum immisceant, aut ipsos contra suos magistros defendant, aut poenitentias illis impositas impedire procurent; neque ullo praetextu domos novitiorum ingrediantur, nec etiam causa, vel occasione repetendi lectiones, vel explicandi dubia, sed ista omnia fiant in publica schola; nec cum eis nisi in schola et de rebus ad studia pertinentibus sine licentia magistri novitiorum loquantur. Qui vero contrafecerint et officio lectorum et voce activa et passiva priventur.

12. Ordinamus et districte mandamus, ut ordinatio 7. capituli generalis Romae 1601, quae confirmata est in capitulo Vallisoletano 1605. numero 16. omni diligentia observetur et executioni mandetur, nimirum, ut praelati sint valde solliciti circa novitiorum educationem, et de magistris novitiorum provideant, et tales deputari curent, qui verbo, et exemplo eos in regulari observantia nutriant. Et visitatorem aliquem deputent provinciales, qui bis in anno domos novitiorum visitet et quae ad eorum curam expedire noverit, diligenter ordinet et provideat; praecipientes omnibus conventuum praesidentibus, sub poena absolutionis ab officio, ne ulla ratione novitios et iuvenes per conventum discurrere permittant, neque e domo egredi, nisi pro evidenti necessitate.

13. Ordinamus, ut recusantes officium magistri novitiorum sibi a provincialibus, vel capitulo provinciali. vel prioribus de consilio patrum

impositum, non possint eligi per unum annum in priores; magistris in theologia, patribus provinciae et actualibus lectoribus dumtaxat exceptis.

14. Ordinamus, ut nullus in posterum sacerdotio initietur nisi post expletos quatuor annos a professione. Si tamen necessitas occurrerit ob penuriam ministrorum, aut alia legitima causa, prior provincialis de consilio patrum poterit cum aliquibus dispensare, ut ante praedictum tempus sacerdotio ordinentur.

15. Ordinamus, ut iuxta nostras constitutiones praelati maximam adhibeant curam circa infirmos, sic ut in singulis conventibus sint aliquae camerae deputatae pro infirmis, bene instructae lectis et linteaminibus et aliis necessariis pro infirmaria; et instituatur unus infirmarius principalis, discretus, qui provideat infirmis de cibariis, medicinis et aliis necessariis, cui adiungantur alii adiutores, ut opus fuerit, pro servitio infirmorum. Curentque provinciales in visitationibus, ut priores, quos in hac re invenerint negligentes, a suis officiis absolvant.

16. Ordinamus, ut duo fratres germani non possint sibi immediate succedere in officio prioratus, vel provincialatus. Quod si secus factum fuerit, electio sit irrita et nulla, sicut de facto irritam et nullam decernimus et declaramus.

17. Tam superiores pro tempore existentes quam confessarii, qui ad praelaturae gradum aliquando conscenderint, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem fratrum gubernationem ullo modo utantur.

18. Ordinamus, ut alias secundum nostras constitutiones ordinatum fuit et in plerisque provinciis laudabiliter observatur, ut priores provinciales expleto tempore sui provincialatus rationem reddant diffinitorio capituli provincialis omnium datorum et acceptorum seu expensarum et receptarum in officio, et ea quae supererunt, reponantur in communi provinciae deposito. Et in hunc usum et ad alias pecunias in unaquaque provincia constituatur aliquod commune depositum ad necessarios sumptus et expensas illius provinciae.

19. Ordinamus, ut post sex menses a praesentium notitia priores provinciales singuli in suis provinciis teneantur instituere studium linguarum praesertim Hebraicae et Graecae, conquisitis ad id munus doctissimis earum praeceptoribus. Quos si ex ordine nostro habere nequiverint, ex saecularibus eos accersant ac praeficiant, designatis annuis stipendiis ex communibus provinciae sumptibus.

20. Non admittantur fratres ad confessiones mulierum audiendas, nisi ipsi fuerint triginta annorum. Quod si in aliqua provincia de his fuerit arctior consuetudo, ea servetur.

21. Cum in actu confessionis vel proximo poenitens eleemosynam

dare voluerit, eam non recipiat confessarius, sed significet reponendam in communi arcula ecclesiae. Qui contrafecerit, ipso facto sit privatus officio confessarii per triennium.

22. Nullus frater possit procurare sibi locum ad concionandum, Adventus vel Quadragesimae tempore, sub poena privationis officii concionandi per triennium, sed a priore vel provinciali procurentur loca et ex eorum prudenti arbitrio concionatoribus distribuantur.

23. Ordinamus et sub poena gravioris culpae, ut saepius antea statutum fuit, mandamus, ut nullo pacto a fratribus nostris quaestus fiant in aliena provincia sine licentia praelati illius provinciae.

24. Priores conventuales in fabrica aliqua monasterii iam inchoata non possint sine consensu sui capituli expendere ultra duos aureos, cum consensu vero capituli poterunt expendere usque ad decem aureos, ultra quam summam adesse debebit licentia provincialis. Si vero incipienda sit nova fabrica, de peritorum iudicio delineetur eius formula seu exemplar, et a priore et capitulo conventuali mittatur ad capitulum provinciale vel ad priorem provincialem, et de eius licentia inchoetur.

25. In omni conventu locus tutus cum armariis sive capsis habeatur, in quibus scripturae, privilegia, contractus, instrumenta, libri professionum fratrum et omnia iura ad conventum pertinentia cum suo inventario seu indice asserventur. Similiter inventarium bonorum mobilium et immobilium tam conventus quam ecclesiae conscribatur, duplici authentico exemplari, quorum alterum in archivio illius conventus, alterum vero in archivio primarii provinciae vel nationis conventus diligenter custodiantur.

26. Amoveantur a cellis fratrum omnes imagines, quae non sunt sacrae aut piae; item illae, quae propriam fratris vel alterius non sancti aut pii effigiem exprimunt.

27. Ordinamus, ut saepe alias ordinatum fuit, ut nullus conversus sive in sua sive in aliena provincia fiat clericus aut habitum clericalem suscipiat, nisi de licentia magistri ordinis. Obnixeque reverendissimum magistrum ordinis rogamus, ut eiusmodi licentias raro, et nisi in commune religionis bonum concedat, cum alioquin inde maxima incommoda oriri soleant. Districteque prohibemus, ne conversi dent operam litteris, ut clerici fiant, nec ullos eos patres appellet; qui in hoc deliquerit, sedeat in terra in pane et aqua.

28. Ordinamus insuper, ut conversi qui habitum clericalem vel iam suscepere, vel in posterum cum licentia magistri ordinis suscipient, nullo pacto sacris ordinibus initientur, sine licentia eiusdem magistri ordinis; sed in eisdem quibus antea officiis et exercitiis conversorum occupentur et inserviant.

29. Ordinamus, ut quolibet anno tam in principio quam in fine studiorum examinentur studentes ab officialibus seu moderatoribus studii, et inepti priventur studio et in aliis officiis occupentur.

30. Mandamus et districte praecipimus omnibus fratribus, qui ad alias provincias studiorum causa mittuntur, ut peracto studiorum suorum tempore quamprimum ad suas provincias revertantur.

31. Ordinamus, quod alias etiam statutum fuit, ut titulus et nomen reverendissimi nulli in nostro ordine tribuatur, nisi magistro ordinis et diffinitorio capituli generalis.

32. Ordinamus, ut nulla legata cum aliquo onere recipiantur a conventibus nisi de consensu maioris partis capituli conventualis et licentia prioris provincialis, et ea conditione, si constiterit, onus illud facile a conventu impleri posse.

33. Ordinamus, quod etiam alias ordinatum fuit, ut fratres discoli et parum religiosi nullo modo assignentur in conventibus parvis, sed in maioribus, ubi viget observantia regularis, ut ibi eorum cura cautior esse possit et ipsi rectius in officio contineri valeant.


Commissiones.

1. Committimus reverendissimo p. n. magistro ordinis, ut textum et glossam nostrarum constitutionum quam emendatissime denuo typis mandari curet adhibeatque diligentiam, ut quamprimum in lucem prodeant.

2. Committimus eidem reverendissimo magistro ordinis, ut opera et studio eruditorum aliquot ex diversis provinciis patrum conscribi et publicari faciat summarium quoddam nostrarum constitutionum et ordinationum capitulorum generalium. Itemque instructorium aliquod sive directorium, quasi summulam, in qua explicentur dubia et difficultates, quae ex nostris constitutionibus et ordinationibus, apostolicisque statutis ordinem nostrum concernentibus, passim suboriuntur, ut scire possint tam praelati quam subditi, quid ipsis in variis casibus agendum sit secundum nostras constitutiones et ordinationes atque apostolicas sanctiones ad ordinem nostrum pertinentes.

3. Committimus reverendissimo p. n. magistro ordinis, ut provincias desolatas et in quibus religio nostra vel ob haereses, vel ob bella passa est gravia damna cum spiritualia, tum temporalia, quamprimum visitet, et sua prudentia atque industria, quantum poterit, collapsam aut labentem disciplinam regularem restituat, litterarum studia promoveat, bona conventibus ablata reddi procuret, fratres quosque probos ac religiosos foveat, iuvet, et omnia denique summo studio agat, quo pristinus decor et splendor ordinis in eisdem provinciis instauretur.

4. Committimus eidem reverendissimo magistro ordinis, ut omni



diligentia apud sedem apostolicam procuret, ut in tota Germania, vel in toto ordine festum b. Alberti Magni Ratisbonensis episcopi celebretur, cum iam concessum fuerit ab Innocentio VIII., ut in conventibus Coloniensi et Ratisbonensi de eodem festum et divinum officium ageretur. Item ut auctoritate sua et praesidio adsit piis conatibus rev. p. magistri fr. Augustini Cazotti Dalmatae, qui apud summum pontificem tractat, ut b. Augustinus Cazotti de Tragurio (1) episcopus Lucerinus ordinis nostri in sanctorum numerum referatur, cuius festum apostolica concessione Luceriae iam celebratur. Denique ut apud eandem apostolicam sedem agat, ut alias etiam sibi commissum fuit, quo de b. Margarita de Castello ordinis nostri provinciae Romanae, divinum et ecclesiasticum officium per totum ordinem, eo modo quo de b. Agnete de Montepolitiano sit, solemniter recitetur.

5. Committimus rr. admodum pp. provincialibus, ut quisque in sua provincia iniungat viris aliquibus doctis et rerum nostrarum peritis, ut accurata inspectione annotent et conscribant dubia ac difficultates, quae in nostris constitutionibus oriuntur, eaque omnia quamprimum Romam ad reverendissimum magistrum ordinis vel eius vicarium transmittant.

6. Mandamus eisdem pp. provincialibus, ut quisque prioribus conventualibus suae provinciae praecipiat, ut in singulis conventuum bibliothecis notari et describi faciant, quos libros ex operibus b. Alberti Magni vel manuscriptos vel impressos habeant, simulque eorundem librorum initium et finem exscribant, quo index horum Romam statim mittatur, indeque Coloniam Agrippinam, ubi omnia b. Alberti Magni opera nunc denuo multa diligentia recuduntur.

Concessiones.

1. Concedit reverendissimus p. n. magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem ad confessionum audientiam in nostro ordine expositum, qui ipsos possit absolvere ab omnibus casibus et censuris, in quas ante illum diem incurrerint. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earundem ordinarii confessarii.

2. Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. admodum pp. provincialibus et diffinitoribus huius capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli damnatum, si quis fuerit, ad gratias omnes ordinis restituere, si tamen sua humilitate et rectae vitae exemplo per aliquod tempus exacto huiusmodi favore se dignum praestiterit.

(1) De fr. Augustino Cazotto cf. SSOP. I, 553.

Fratres et sorores qui cum sanctitatis opinione obiere.

In provincia Hispaniae obiit fr. Melchior Canus, quem et insignis morum probitas, maximae virtutes et praeclara apud omnes qui eum novere, eximiae sanctitatis et religionis opinio plurimum commendant.

In provincia Romana, in monasterio s. Mariae Magdalenae Romae obiit soror Maria Magdalena de Ursinis; et in eadem urbe ex hac quoque vita discessit soror Maria Raggi tertii habitus, quas et vitae sanctimonia et excellentibus virtutibus claruisse multorum testimonio comprobatur.

In provincia Aragoniae, in conventu Fontinentis regni Valentini, anno domini 1605. die 24. octobris ex hac vita migravit fr. Iacobus Rebellus sacerdos, natione Lusitanus, filius conventus s. Crucis de Lombay, cum magna sanctitatis opinione; in cuius obitu factus est ingens populi concursus ad tangendum, osculandum et religiose venerandum corpus eius, quod etiam post undecim menses ita integrum et incorruptum inventum est, ac si eadem hora fuisset extinctum.

In eadem provincia in conventu Gerundensi principatus Cataloniae, anno domini 1606. 3. kalend. novembris obiit fr. Antonius Vincentius Domenech (1) sacerdos, filius conventus Barcinonensis, cuius mortem in conspectu domini pretiosam extitisse, virtutum studia quibus in vita enituit, et maxima populi frequentia, quae ad inspiciendum venerabile corpus eius, vestesque illius devotionis ergo discerpendas, magna cum pietate, non vocata, sed sponte confluxit, mirifice testantur.

In eadem provincia Aragoniae, in conventu s. Raymundi de Peniafort, eiusdem principatus Cataloniae, migravit ad dominum fr. Ludovicus Pedros sacerdos, filius conventus Gerundensis, quem post multa virtutum insignia, diem sui obitus praenuntiasse, eique sanctum angelum apparuisse, fideli patrum, qui aderant, relatione cognitum est.

In provincia Hispaniae.

Concedimus studio generali collegii nostri s. Gregorii Vallisoletani, ut in eo possint suscipi omnes gradus tam praesentaturae, quam magisterii ad eum prorsus modum et formam, qua in aliis studiis generalibus provinciae nostrae Hispaniae recipiuntur, nec teneantur graduandi plures exercere actus, quam in aliis studiis generalibus seu universitatibus eiusdem provinciae fieri consuevit.

Iniungimus rev. admodum p. provinciali, ut de gravi consilio prudentum designet quatuor patres in provincia doctrina, eruditione, scri-

(1) De fr. Antonio Vincentio Domenech cf. SSOP. II, 360.

bendi usu et peritia praestantes, qui omni studio in hanc unam curam incumbant, ut solidam et sinceram s. Thomae doctrinam modis omnibus propugnent, novasque doctrinas et opiniones exorientes comprimant, ac refellant, editis et publicatis hisce de rebus libris et tractatibus ad communem utilitatem.

Promovemus ad gradum praesentaturae rev. p. Franciscum Giron lectorem theologiae conventus Placentini, salvis tamen iuribus suae provinciae.

In provincia Tolosana.

In monasterio nostro monialium Pontis Viridis alias Prulhiani prope Condomium positum, declaramus sororem Leonoram de Daffis esse legitimam priorissam, confirmatamque a rr. admodum pp. provincialibus eius canonicam electionem; aliam vero tamquam intrusam et non rite electam reiiciendam. Concedimusque sororibus eiusdem monasterii ad earum petitionem, ut tertio possint eligere in priorissam eandem sororem Leonoram de Daffis.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Stephanum de Cors, fr. Menaldum Rabeau, fr. Ioannem Rabeau et fr. Ioannem Mellet. Ad baccalaureatum vero promovemus fr. Davidem de Cruce et fr. Ioannem Claverie.

Concedimus provinciae nostrae Tolosanae, ut quia loca commoda studiorum vix in ea provincia reperiuntur, possit mittere studentes ad praecipua studia Italiae et Hispaniae, mandamusque, ut in his benigne excipiantur.

Approbamus studium seu collegium Brivae institutum volumusque, ut studentes quibus in eo studio locus non erit, de licentia rev. admodum p. provincialis possint ad alias provinciae studiorum causa transmitti.

In conventu nostro Condomiensi instituimus patres a consiliis ad petitionem prioris eiusdem conventus fr. Bernardum Gourraigne et fr. Frisium Goudelin.

In provincia Franciae.

Confirmamus et approbamus electionem factam de coadiutrice monasterii Pithsiacensis in personam sororis Ludovicae Gondiae, annuente ss. d. n. Paulo papa V.

Declaramus et statuimus fr. Isaac Lescot esse filium conventus Aurelianensis, ut iam per tria capitula provincialia eiusdem provinciae declaratum fuit.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Petri de Amore in universitate Lovaniensi, fr. Ioannis Nicolai in universitate Valentiae, fr. Hugonis Woquier, fr. Petri de la Villeta, fr. Antonii Bouverain, fr. Ioannis Marin, ho-

rum quatuor in universitate Parisiensi; fr. Ioannis Obriot et fr. Philippi Ruault in universitate Pictaviensi.

Recipimus moniales Abbatis Villae ad gratias et privilegia ordinis sub cura rev. admodum p. provincialis Franciae.

In provincia utriusque Lombardiae.

Ordinamus, ut studentes extra conventum Bononiensem commorantes non examinentur in lectores, nisi per annum saltem sacram theologiam in eodem conventu Bononiensi audierint.

Item, quod lectores non actuales nullis prorsus gaudeant privilegiis et exemptionibus lectorum, sed teneantur sequi chorum die noctuque sicut reliqui fratres. Qui autem per integros duodecim annos legerint, ferialibus tantummodo diebus a matutinis de nocte eximantur.

Ordinamus, et sub poena excommunicationis mandamus fratribus conventus nostri s. Catharinae de Formello in urbe Neapoli, ut circa statum, dispositionem et gubernationem conventus hactenus usu et consuetudine servatam nihil prorsus immutare vel innovare audeant, aut quoquo modo sese a provincia nostra utriusque Lombardiae disiungere aut separare praesumant, cum super huiuscemodi rebus illis iam impositum fuerit silentium, ut constat ex litteris patentibus rev. admodum p. vicarii generalis ordinis praeteriti.

Approbamus magisteria rev. admodum p. fr. Stephani de Garexio, commissarii generalis sanctae et universalis inquisitionis in Urbe et rev. p. fr. Pii de Lugo quondam inquisitoris Bergomensis, cum voce, loco et aliis privilegiis, quibus magistri alii in provincia Lombardiae acceptati gaudere solent, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Item approbamus magisteria rev. admodum p. fr. Angeli Brixii Caesenatis provincialis Terrae Sanctae, et socii rev. p. n. magistri ordinis, fr. Francisci Petrasanctae de Ripalta inquisitoris Brixiensis, fr. Iacobi de Rhodigio et fr. Angeli Bucii de Viglue et fr. Ioannis Mariae Scotti de Placentia.

In provincia Romana.

Ordinamus, ut in provincia Romana capitula provincialia deinceps sint biennalia iuxta nostras constitutiones.

Damus in regentem studii Perusini rev. p. fr. Vincentium Albertum magistrum, in baccalaureum ordinarium rev. p. fr. Franciscum Caesium magistrum, in magistrum studentium fr. Dominicum Mannium lectorem.

Approbamus magisterium rr. pp. fr. Thomae Margottini et fr. Francisci Lermae (1), ita ut in provincia Romana gaudeant voce et loco et omnibus privilegiis magistrorum, ac si in eadem provincia acceptati essent, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

---

(1) De fr. Francisco Lerma cf. SSOP. II, 471.

Approbamus etiam magisteria rr. pp. fr. Vincentii Herculani (1) et fr. Thomae Pallavicini, salvis iuribus suae provinciae.

Item approbamus in praedicatores generales cum voce et aliis privilegiis, quibus potiri solent reliqui praedicatores generales in provincia acceptati, rr. pp. fr. Ambrosium Brandum, fr. Amantium Comparotti, fr. Hieronymum Rosati, fr. Laurentium Sordini, fr. Cosmam Balduinum, fr. Laurentium Monsacratum, fr. Dominicum de Barberano, fr. Hieronymum Beger. Sequentes autem acceptamus et approbamus in praedicatores generales, salvis tamen iuribus suae provinciae, videlicet fr. Petrum de Fratra, fr. Dominicum Mediolanensem, fr. Angelum Collium, fr. Franciscum Rovellium, fr. Dominicum Galbiatum, fr. Franciscum Oliverium, fr. Raymundum Mutum, fr. Germanum a Cetona, fr. Stephanum Monsacratum, fr. Antonium Contronium, fr. Petrum Martyrem Iovanotium, fr. Vincentium Thachinum Turchettum, fr. Bernardum Mannozium, fr. Thomam Herculanum (2) et fr. Ambrosium Caelestinum.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Thomam Marinum huius capituli secretarium et baccalaureum ordinarium collegii nostri Romani s. Thomae super Minervam; cuius quadriennium, quo publice in eodem collegio theologiam professus est, acceptamus ad petitionem suae provinciae, tamquam si pro gradu et forma idem quadriennium in studio generali Perusino perlegisset. Item acceptamus annum quo p. fr. Latinus Ursinus in studio generali Mediolanensi s. Eustorgii theologiam baccalaureus ordinarius legit, ac si eundem annum pro gradu et forma in studio Perusino legisset.

Ad instantiam illustrissimi et reverendissimi dd. Pauli Sfondrati cardinalis s. Caeciliae episcopi Cremonensis, ordinis nostri benefactoris, acceptamus ecclesiam et locum s. Caeciliae Romae in Campo Martio pro nostra Romana provincia et sub cura rev. admodum p. provincialis Romani, ad instar aliorum locorum et conventuum eiusdem provinciae.

Item acceptamus pro eadem nostra provincia Romana et sub cura rev. admodum p. provincialis Romani, ad instar aliorum monasteriorum eiusdem provinciae, monasterium monialium sub titulo s. Mariae de Humilitate, ab illustrissima et piissima d. Francisca Balliona Ursina in urbe Roma fundatum, cui se et omnes facultates suas liberaliter dedit. Quod etiam s. d. n. Paulus papa V. per breve apostolicum sub habitu, regula, constitutionibus et professione ordinis nostri nobis commisit.

Damus in regentem nostri Romani collegii s. Thomae super Minervam rev. p. magistrum fr. Ioannem Gonçalez provinciae nostrae Hispa-

(1) De fr. Vincentio Herculano cf. l. c. pag. 402.

(2) De fr. Thoma Herculano cf. l. c.

niae, in baccalaureum eiusdem collegii per sex annos sequentes p. fr. Hyacinthum Petronium (1) Romanae provinciae; in magistrum studentium p. fr. Vincentium Candidum (2) eiusdem provinciae.

Acceptamus biennium, quo p. fr. Hyacinthus Petronius officio magistri studentium functus est in praefato collegio Romano s. Thomae, ac si per biennium in nostro studio generali Perusino idem officium exercuisset.

In provincia Regni.

Ordinamus, ut facta electione novi provincialis, prior provincialis praecedens remaneat vicarius provinciae, quousque novus provincialis electus confirmatus fuerit.

Item ut in publicis et generalibus processionibus, in quibus omnes nostri ordinis fratres Neapoli commorantes conveniunt, singuli loca suae professionis teneant, ita ut tertiarii cum tertiariis, conversi cum conversis, et novitii cum novitiis et eorum magistris, et iuvenes cum iuvenibus, sacerdotes cum sacerdotibus, suppriores cum supprioribus, priores cum prioribus, et magistri cum magistris incedant, servato tamen suo loco prioribus s. Dominici et sancti Petri Martyris de Neapoli super omnes alios priores et magistros. Volumusque, ne in eiusmodi processionibus aliqua suboriatur confusio, ut quoties sic convenerint omnes fratres Neapoli existentes, uni tantum provinciali Regni, vel eius vicario obediant, in his dumtaxat quae ad processionem pertinent.

Erigimus in conventum domum s. Mariae Rosarii de Gesualdo, praeficimusque ei in priorem pro hac prima vice tantum fr. Ignatium de Madalono. Item domum s. Mariae Vallis de Bonito, damusque ei in priorem pro hac vice fr. Augustinum de Suessa. Item domum s. Mariae Gratiarum de Cornotis, damusque ei in priorem pro hac vice fr. Lucam de Pontecurvo. Omnes autem tres istas domos sic volumus erigi in conventus et prioratus, si revera possint alere duodenarium numerum fratrum.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Dominicum de Matalono, fr. Thomam Manuelem provincialem electum, fr. Stephanum Richum de Ottato, fr. Dominicum Gravinam (3), fr. Innocentium de Maddalono et fr. Thomam Aulisium de Balneolo. Ad baccalaureatum autem promovemus rr. pp. fr. Gregorium de Altripalda, fr. Pium de Neapoli, fr. Salvatorem de Aversa, fr. Paulum de Bario, fr. Gregorium de Pontecurvo, fr. Dominicum de Iuliano et fr. Vincentium Imperatum.

Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Ricciardum de s. Se-

---

(1) De fr. Hyacintho Petronio cf. SSOP. II, 553.
(2) De fr. Vincentio Candido cf. l. c. pag. 586.
(3) De fr. Dominico Gravina cf. l. c. pag. 532.

verino, fr. Dominicum de Morra, fr. Ioannem de Aversa, fr. Vincentium de Luca, fr. Ioannem Torum.

Damus in regentem studii nostri generalis s. Dominici Neapolitani rev. p. fr. Thomam de Miglionico magistrum pro anno 1609. In baccalaureum vero ordinarium pro eodem anno p. fr. Vincentium Caloinum.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Innocentium de Arminio, post expletum tamen tempus lecturae sui baccalaureatus ordinarii in eodem studio s. Dominici de Neapoli.

Acceptamus affiliationem fr. Simpliciani . . . . pro conventu s. Dominici de Neapoli.

In congregatione Sanitatis.

Declaramus, quod vicarius congregationis Sanitatis, in nostra provincia Regni, non nisi per biennium duret.

Approbamus baccalaureatum rev. p. fr. Ambrosii de Corduba (1).

In provincia Theutoniae.

Confirmamus unionem et incorporationem provinciae Saxoniae, vicariatus seu congregationis superioris Germaniae et coventus Bulsanensis cum provincia Theutoniae, in duobus iam capitulis proxime praecedentibus factam et confirmatam.

Iniungimus rev. admodum p. provinciali Theutoniae, ut in conventu Coloniensi novitiatum instituat pro provincia Saxoniae, quae maxime est desolata, eidemque novitiatui pro illius conservatione applicare possit bona nonnulla, de quibus periculum est, ne in manus haereticorum deveniant.

Iniungimus eidem admodum rev. p. provinciali, ut ad restituendam disciplinam regularem in provincia Germaniae duos novitiatus instituat, alterum pro superioribus, alterum pro inferioribus provinciae conventibus, ubi novitii sancte et religiose educentur.

Praecipimus in virtute Spiritus sancti, et sanctae obedientiae, et sub formali praecepto, aliisque poenis ad arbitrium, ut fratres provinciae Theutoniae, qui extra conventus morantur, quam primum ad suos conventus redeant.

Concedimus facultatem rev. admodum p. provinciali, ut possit erigere et acceptare novum conventum inter Bulsanum et Oenipontum, quem generosus d. Engelhardus Theodericus baro de Wolckenstem suis sumptibus aedificare et sufficienter dotare parat.

Concedimus celebri monasterio sororum in Kirchperg, ut singulis quartis feriis possit recitare officium de s. Joanne Baptista, patrono eiusdem monasterii, ad eum modum quo in ordine nostro solet per hebdomadam de sanctis ordinis officium certis diebus celebrari.

---

(1) De fr. Ambrosio de Corduba cf. l. c. pag. 497.

Declaramus, fr. Ioannem Zittardum, de quo suborta est aliqua dubitatio, filium esse conventus Colmariensis.

Auctoritate apostolica vivae vocis oraculo nobis peculiariter concessa, ratum, firmumque habemus, et si opus est, de novo instituimus magisterium rev. p. fr. Ioannis Nellingii, eidemque licentiam et facultatem concedimus, ut in bonum religionis nostrae in provincia Theutoniae manere et commorari possit in aula illustrissimi ac reverendissimi d. archiepiscopi Coloniensis, principis electoris, cuius idem pater concionator et confessarius existit.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Hyacinthi Helmereich.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Michaelem Cremerium, etiam promovemus ad magisterium rev. p. fr. Cosmam Morelles (1), ad petitionem eiusdem prov. Theutoniae, ea tamen conditione ut triennio adhuc in conventu Coloniensi legendo regentis officio fungatur, nec proinde gaudeat voce et loco aut alio privilegio magisterii in provincia Aragoniae.

Instituimus praedicatorem generalem rev. p. fr. Ioannem Coloniensem.

Affiliamus auctoritate apostolica fr. Michaelem Guzman Austriacum conventui nostro Crembsensi, Brunae in provincia Bohemiae professum, qui a sua provincia huius affiliationis consensum habet.

Iniungimus districte rev. admodum p. provinciali Theutoniae, ut numquam solus iter agat, sed ad minus fratrem aliquem sive clericum seu conversum socium itineris secum semper habeat, more aliorum provincialium.

In provincia Poloniae.

Ad pacem et quietem nostrae provinciae Poloniae, quae insignis est et plusquam octingentos et quinquaginta fratres continet, conservandam, regularemque observantiam in ea promovendam, sequentes ordinationes stabiliendas duximus. Primum, cum provincialatus Poloniae ex concessione quadam apostolica, vivae vocis oraculo facta bonae memoriae illustrissimo d. cardinali Iustiniano, tunc reverendissimo magistro ordinis, hactenus durare consueverit per sexennium, cum facultate ut reeligi posset; facto denuo verbo cum sanctissimo d. n. Paulo papa V. habitoque suae sanctitatis de hac re vivae vocis oraculo, non obstante priore illa apostolica concessione, et quod hactenus in ea provincia in more positum fuit, ob iustas et legitimas causas decernimus et ordinamus, ut provincialatus Poloniae in posterum nonnisi per quadriennium duret.

Secundo, ut provincialis, quam primum electus fuerit, incipiat regere provinciam, tamquam vicarius provinciae, a dieque suae electionis numerari incipiat tempus sui quadriennii. Quod si ipsum non confirmari

(1) De fr. Cosma Morelles cf. SSOP. II, 485.

contingerit, acta eius in vicariatu maneant firma et rata, nisi ex aliis causis reverendissimo magistro ordinis infirmanda videantur.

Tertio, cum provincialis modernus ex usu provinciae, et priori illa apostolica concessione, uti diximus, debuisset adhuc per quinquennium, cum tantum unum annum sui provincialatus expleverit, perdurare, habito hac de re vivae vocis oraculo a sanctissimo d. n. Paulo V. decernimus et ordinamus, ut ab hac die quadriennalis eius provincialatus incipiat, nec nisi quadriennio illius officium duret; expletoque hoc quadriennio, in capitulo provinciali, quod erit electionis, ipse praesideat, quousque novus provincialis, qui provinciam tamquam vicarius regere incipiat, electus fuerit.

Quarto, decernimus et ordinamus, ut deinceps in eligendo provinciali sit alternativa filiorum conventus Cracoviensis, et filiorum aliorum conventuum provinciae, in hunc videlicet modum, ut vel una vice eligatur provincialis ex filiis conventus Cracoviensis et altera vice immediate ex filiis aliorum conventuum; vel duo ex filiis conventus Cracoviensis possint sibi unus post alium immediate in provincialatu succedere, et duo similiter ex filiis aliorum conventuum possint immediate unus post alium idem officium obtinere, sic tamen, ut in officio provincialatus non possint sibi immediate succedere, unus post alium, vel tres filii conventus Cracoviensis, aut tres filii aliorum conventuum. Hanc autem alternativam incipere et inchoari volumus a praesenti et moderno provinciali, qui est filius conventus Cracoviensis, ita ut sequens immediate provincialis post ipsum possit eligi ex filiis conventus Cracoviensis. Eandem vero alternativam, ut praefertur, servandam declaramus, et statuimus in tribus tantum provincialibus immediate futuris ab expleto praesenti provincialatu; quo transacto tempore reverendissimus magister ordinis vel generale capitulum poterunt aliter disponere, prout expediens visum fuerit.

Quinto, quando provincialis electus et vicarius provinciae fuerit filius conventus Cracoviensis, non poterunt esse in capitulo provinciali ex filiis conventus Cracoviensis nisi duo diffinitores, et alii duo erunt ex filiis aliorum conventuum. Et similiter quando provincialis electus fuerit filius alterius conventus a Cracoviensi, duo diffinitores sint filii conventus Cracoviensis, et duo alii diffinitores sint filii aliorum conventuum. Et hanc ordinationem volumus tantum durare in tribus capitulis provincialibus electionis immediate futuris, postmodum vero reverendissimus magister ordinis vel generale capitulum poterunt de his aliter statuere, ut magis expedire iudicaverint.

Sexto, ordinamus, ut qui mittuntur ad studia provinciae, sint apti et idonei iudicio moderatorum studii, qui eos examinent de artibus, quas

eorum quisque professus fuit, aggravamusque in hac re conscientias rev. admodum p. provincialis et moderatorum studii, ut non nisi dignos admittant. Volumusque ut in mittendis huiusmodi studentibus servetur aequalitas numeri, nimirum ut quot mittuntur ex filiis conventus Cracoviensis, tot etiam mittantur ex filiis aliorum conventuum provinciae.

Septimo, in mittendis quoque sacerdotibus ad studia generalia extra provinciam, eadem numeri aequalitas servetur; ut si mittuntur quatuor, duo sint filii conventus Cracoviensis, et duo alii sint filii aliorum conventuum; et si mittuntur octo, quatuor sint filii conventus Cracoviensis, et quatuor alii sint filii aliorum conventuum. Et in omni numero eadem aequalitas aut proportio servetur, quousque reverendissimo magistro ordinis vel generali capitulo aliter super his disponere visum fuerit.

Concedimus eidem provinciae Poloniae, ut possit peculiare officium cum antiphonis, responsoriis, hymnis, etc. propriis de sancto Hyacintho recitare, sic tamen ut illud officium sit grave, devotum et pietatem spirans.

Augemus numerum magistrorum ad duodenarium, nimirum ut in posterum possint in provincia esse duodecim magistri.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Albertum Sechovium, fr. Adamum Zareba, fr. Ioannem Chrysostomum, rev. admodum p. fr. Erasmum Coniusovium huius capituli diffinitorem et fr. Martinum Mondavium. Ad baccalaureatum autem promovemus rr. pp. fr. Gabrielem Udavium, fr. Gasparem Varetium et fr. Gregorium Samboriensem.

In provincia Aragoniae.

Approbamus et confirmamus omnes praedicaturas generales, praesentaturas et magisteria tam data in capitulo generali Vallisoletano proxime praeterito, quam quae postea concessa sunt ab illustrissimo d. cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

In eadem provincia erigimus in prioratus sequentes domos, nempe domum beatae Mariae de Rosario oppidi de Ciudadilla, cui pro hac vice tantum praeficimus in priorem fr. Franciscum Cantallops; instituimusque praedicatorem generalem pro eodem conventu eundem fr. Franciscum Cantallops. Item domum sancti Raymundi de Peniafort, damusque ei pro hac vice tantum in priorem rev. p. fr. Petrum Ioannem Guasch magistrum; et praedicatorem generalem pro eodem conventu instituimus fr. Vincentium Ferrer. Denique domum de Peralada, cui pro hac vice tantum damus in priorem fr. Michaelem Aznar, instituimus vero praedicatorem generalem pro eodem conventu fr. Paulum Roig.

Concedimus conventui Podiceritano, ut possit celebrare sub toto duplici festum s. Henrici imperatoris, propter caput illius integrum, quod in eodem conventu summa religione asservatur, dono concessum a Iacobo I. Aragonum rege, cognomento expugnatore.

Concedimus conventui s. Magini, ut de hoc sancto possit celebrare octavas solemnes ob magnum populi concursum et devotionem.

Concedimus conventui Valentino, ut festum s. Christophori martyris sub toto duplici celebrare possit, ob devotionem et votum eiusdem conventus, qui se a fulminibus ope eiusdem s. Martyris liberatum profitetur.

Concedimus monasterio monialium sanctae Agnetis Caesaraugustano, ut XII. octobris possit celebrare sub toto duplici festum beatae Mariae virginis de Pilar, sumpto officio ex festo Annuntiationis eiusdem beatae virginis.

Approbamus et confirmamus decretum ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Xavierre factum de exemplari, seu forma fabricae conventus nostri s. Illefonsi Caesaraugustani, quod inviolabiliter volumus observari, nec ulli liceat illud quovis modo immutare, aut ei aliquid addere, vel detrahere. Praeficimus autem fabricae rev. p. fr. Petrum Nogueras praesentatum, eiusdem conventus priorem, qui curet omnia quae ad dictam fabricam pertinebunt, etiam expleto tempore sui prioratus, quamdiu ipsa fabrica duraverit.

In studio Barcinonensi damus in regentem rev. p. fr. Antonium Brurguera magistrum, in lectorem primarium theologiae, qui legat pro gradu et forma, fr. Dalmatium Amat praesentatum, in lectorem secundum qui legat etiam pro forma et gradu fr. Gasparem Vincentium praesentatum, in lectorem tertium fr. Onofrium Requesens, in lectorem artium fr. Raymundum Toralla.

In studio Maioricensi damus in lectorem primarium theologiae, qui legat pro gradu et forma, fr. Franciscum Febrer praesentatum, in lectorem secundum fr. Bartholomaeum Pisa praesentatum, in magistrum studentium fr. Bartholomaeum Fons, in lectorem artium fr. Iacobum Roig.

In studio Valentino damus in magistrum stud. fr. Marcum Sierra.

In collegio Dertusensi damus in regentem rev. p. fr. Blasium Verdu magistrum.

In provincia Bohemiae.

Pro communi provinciae bono aggregamus et incorporamus eidem provinciae Bohemiae sequentes conventus Austriae nempe Viennensem, Rezzensem, Tulnensem, Cremsensem et Lubinensem (1), cum ad hanc incorporationem suum iam consensum in hoc generali capitulo adhibuerit rev. admodum p. provincialis Theutoniae, sub cuius cura antea erant praefati conventus. Decernentes praedictos conventus separatos a provincia Theutoniae et qualibet alia provincia, proprie deinceps pertinere ad provinciam Bohemiae, et esse debere sub cura et regimine admodum rev. p. provincialis Bohemiae.

---

(1) *Originale exemplum:* Impsinensem.

Ordinamus, ut instituantur et erigantur duo novitiatus, alter in conventu Znoimensi, propriis eiusdem conventus expensis, alter vero Olomutii, et huic pro duabus partibus novitiorum dentur necessaria ad victum et vestitum a conventu Brunensi, pro caeteris autem provideat rev. admodum p. provincialis.

Ordinamus etiam, ut conventus Aegrensis pertineat ad provinciam Bohemiae et sit sub cura rev. admodum p. provincialis Bohemiae.

Erigimus in conventum domum s. Mariae Magdalenae in parva civitate Pragae.

Concedimus eidem provinciae, ut antiquitates conventuum eo ordine et modo quo nunc sunt, serventur, quousque contrarium manifeste non reperiatur.

In provincia Provinciae.

Praecipimus omnibus fratribus Provinciae in Italia et Hispania studiorum causa commorantibus, ut peractis studiis, quamprimum in suam provinciam revertantur.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Antonii Vincentii de Tarascone, et baccalaureatus rr. pp. fr. Raphaelis Cotta et fr. Benedicti Neco.

Declaramus fr. Rolandum Reinaldi esse filium nativum et legitimum conventus Aquensis cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus filii eiusdem conventus uti consuevere.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Vincentium Pons (1), fr. Franciscum Guidi (2) et fr. Ioannem Baptistam de Fortia; ad baccalaureatum vero fr. Ludovicum Tornerii.

In provincia Dalmatiae.

Restituimus provinciae nostrae Dalmatiae pristinum suum ius eligendi provincialem, ut antea consueverat.

Ordinamus in eadem provincia ad bonum et utilitatem eius, ut fratres qui eiusdem provinciae sunt originales filii, sed in aliis provinciis affiliati existunt, in provincia Dalmatiae nullum officium, seu gradum habere possint, nec in eadem reaffiliari, quo nimirum nativi provinciae filii in ea maneant, et propagationi ordinis et praedicationi, praesertim ob viciniam Turcarum, sedulo incumbant.

Ordinamus, quod nullus petatur aut promoveatur ad gradum baccalaureatus, nisi prius in capitulo provinciali eiusdem provinciae publicas defenderit conclusiones.

Augemus numerum graduatorum, nempe magistrorum ad octonarium, baccalaureorum ad senarium et praedicatorum gen. ad quinarium.

---

(1) De fr. Vincentio Pons cf. SSOP. II, 402.
(2) De fr. Francisco Guidi cf. l. c. pag. 448.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Augustinum Cazotti de Tragurio et rev. admodum p. fr. Albertum Fertilium, huius capituli diffinitorem. Ad baccalaureatum autem promovemus fr. Xystum de Brachia, fr. Victorium de Iadra.

In provincia Trinacriae.

Ordinamus, ne fratres graduandi promoveantur ad gradus per saltum; et si qui modo sic promoti indigni reperiantur, reverendissimus p. n. magister ordinis declaret illos non esse magistros.

Item, quod nullae fiant petitiones graduum, nisi prius sint notatae et registratae in registro provinciae. Quod si secus factum fuerit, illae tanquam surreptitiae, falsae et nullae habentur; et qui id fecerint, tamquam falsarii puniantur.

Declaramus, quod tempus studii non debet studentibus computari, nisi illud in aliquo studio generali exegerint.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Franciscum Ismargium baccalaureum et fr. Thomam Paschalem baccalaureum. Ad baccalaureatum autem promovemus rr. pp. fr. Petrum de Giacomo lectorem, fr. Hieronymum Spagliarisi lectorem, fr. Hyacinthum de Luna lectorem, fr. Hyacinthum Bugo lectorem, fr. Iosephum Ferrara lectorem, fr. Petrum Sincerum lectorem, fr. Franciscum de Aidone lectorem, fr. Philadelphum Macalum lectorem, fr. Iosephum Caruso lectorem, fr. Vincentium Candia lectorem et fr. Ioannem Petrum Luminario lectorem.

Damus in regentem studii generalis sancti Dominici de Panormo rev. p. fr. Vincentium Gioancardum magistrum, et in baccalaureum ordinarium p. fr. Hieronymum Sangeorgio, et in magistrum studentium pro primo anno fr. Hieronymum Cultieri lectorem, pro secundo anno fr. Sebastianum de Militello lectorem, pro tertio anno fr. Melchiorem Theodorinum lectorem.

In provincia Portugalliae.

Confirmamus concessionem quintam factam in capitulo Valentino 1596 scilicet, quod nullus Lusitanus in partibus Hispaniarum ad habitum recipiatur, nisi praehabito legitimo testimonio puritatis sanguinis eiusdem ab admodum rev. p. provinciali Portugalliae, alioquin receptio ipso facto sit nulla.

Ordinamus, quod nullus praedicator generalis instituatur deinceps pro congregatione Indiae orientalis nisi ex illis, qui in eadem congregatione in praedicatione evangelii secundum nostras constitutiones laborarunt, ut alias iam ordinatum fuit ab illustrissimo d. cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

Ordinamus ad sublevandos conventus a sumptibus et expensis, quae passim in provincia fiunt, ut tertia pars legitimarum novitiorum, qui

deinceps ad habitum recepti fuerint, deputetur, ut ex illis emantur annui reditus seu census, qui quingentos ducatos non excedant. Isti autem census postquam empti fuerint, tradantur procuratori provinciae, ut ex illis contributiones et onera, quae provincia solvere tenetur, solvat; et in singulis capitulis provincialibus de receptis et expensis rationem reddat.

Ordinamus, quod nullus posthac possit eligi in priorem, nisi prius saltem per unum annum officium magistri novitiorum exercuerit, lectoribus actu legentibus, graduatis et patribus provinciae dumtaxat exceptis.

Ordinamus, ut in eadem provincia Portugalliae non sint plura studia generalia seu universitates quam quatuor; nimirum in conventu Olysponensi, de Bello, Eborensi et in collegio Conimbricensi. In quo legantur, ut fit, tres lectiones, quarum duae erunt theologiae scholasticae et tertia sacrae scripturae, quae etiam reputetur ad gradus, sicut et aliae. In aliis conventibus nulla sit lectio artium nec theologiae propter penuriam studentium, sed habeantur in illis vel lectio casuum conscientiae aut conclusiones theologiae moralis vel conferentiae, saltem tribus diebus in septimana.

Ordinamus iuxta laudabilem eiusdem provinciae consuetudinem, ut nullus iuvenis admittatur ad studia, nisi post integrum annum a sua professione.

Ordinamus, ut in conventibus monialium non praedicent religiosi aliorum ordinum, nec aliae personae extra obedientiam nostri ordinis constitutae sine licentia reverendissimi p. magistri ordinis; priorissae autem vel vicarii, qui hanc ordinationem non observaverint, a suis officiis absolvantur.

Approbamus praedicaturam generalem rev. p. fr. Antonii de Sequeyra pro conventu de Afeitan.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Simonem de Pavia praesentatum et praedicatorem generalem ac huius capituli diffinitorem, et rr. pp. fr. Iosephum de s. Maria praesentatum et lectorem primarium collegii reginae Catharinae et fr. Athanasium de Fonseca praesentatum et lectorem primarium ac regentem nostri conventus de Bello, in hoc generali capitulo magistri ordinis electorem.

In congregatione Indiae orientalis.

Approbamus et acceptamus praesentaturam rr. pp. fr. Antonii de sancto Dominico, lectoris primarii ac regentis nostri conventus Goensis, et fr. Didaci Madera lectoris secundarii eiusdem conventus.

In provincia Baetica.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo generali Valentino 1596, quod nullus in provincia Baetica promoveatur ad gradum magisterii, nisi perlegerit cursum integrum artium per tres integros annos, et per octo

alios integros annos theologiam legerit, nec ad gradum praesentaturae admittatur, nisi per tres annos legerit summulas, logicam et philosophiam et per quatuor alios annos theologiam docuerit vel magister studentium extiterit. Et hanc ordinationem volumus inviolabiliter observari.

Ordinamus, ut studia generalia in eadem provincia non amplius multiplicentur, cum iam sint undecim collegia et studia generalia.

Item quod testimonium cursuum lectorum et temporis quo legerunt, non sit neque censeatur authenticum et fide dignum, nisi interveniat auctoritas praelati conventus, ubi lector legerit, diligenter inquirentis et examinantis testes, ne fingi possint falsa et surreptitia testimonia.

Ordinamus, quod vicarii fratrum, qui mittuntur in novum orbem, dum existunt Hispali, ipsi et fratres eorum sint subiecti p. priori s. Pauli Hispalensis pro tempore existenti, nec possint commorari in urbe Hispalensi nisi in conventu neque pernoctare aut manere in suburbanis.

Ordinamus in eadem provincia, quod alias ordinatum fuit, ut fratres conversi ita profiteantur pro domibus quarum sunt filii, ut inde numquam assignentur nisi ex gravi causa.

Concedimus provinciae Baeticae, quod receptiones novitiorum tam ad habitum quam ad professionem fiant per vota secreta, iuxta antiquam eius provinciae consuetudinem non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Erigimus in prioratum seu conventum domum s. Isidori apud novam Carthaginem ad petitionem eiusdem civitatis, praeficimusque ei in priorem pro hac vice fr. Gasparem de Glaramont; atque instituimus pro eodem conventu praedicatorem generalem fr. Christophorum de Aguilar.

Acceptamus conventum s. Hyacinthi in urbe Hispalensi, maximis sumptibus fundatum a domino Balthasare de Brum de Silveira; acceptamus etiam conditiones et contractus factos inter praedictum dominum Balthasarem et provinciam nostram Baeticam, dummodo approbentur a sanctissimo domino nostro summo pontifice.

Approbamus magisteria rev. admodum p. fr. Ioannis Montero prioris s. Pauli Hispalensis et huius capituli diffinitoris et rr. pp. fr. Thomae de Cervantes, fr. Thomae Cupim, fr. Ioannis Baptistae, fr. Ioannis de Aguilar, fr. Ioannis de Rueda, fr. Antonini de Miranda, fr. Francisci de Cabrera, fr. Ioannis de Ortega, fr. Dominici Cano, fr. Dominici de Molina (1) regentis et lectoris primarii s. Dominici Xiriciensis et in hoc generali capitulo magistri ordinis electoris, fr. Ludovici Moyano, fr. Ioannis de los Angeles, fr. Ludovici de la Oliva, fr. Ioannis Emmanuel et fr. Antonini Gutierrez.

---

(1) De fr. Dominico de Molina cf. SSOP. II, 442.

Approbamus etiam omnes praesentaturas et praedicaturas generales concessas in eadem provincia Baetica ab illustrissimo d. cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

Recipimus confraternitatem s. Hyacinthi conventus nostri Malacitani ad beneficia ordinis, propter eximium erga ipsum sanctum amorem, necnon fervidum affectum ad nostram religionem.

In provincia Germaniae inferioris.

Ordinamus, ut quamprimum rev. admodum p. provincialis expleverit quadriennium sui officii, provincialis electus a die electionis suae, tanquam vicarius generalis illius provinciae, eandem regat et gubernet et exinde incipiat numerari eius quadriennium. Quod in posterum observari mandamus, more in quibusdam provinciis usitato.

Ordinamus in eadem provincia Germaniae inferioris ad eius petitionem, ut provinciales deinceps alternative eligantur ex tribus praecipuis nationibus, inchoando a natione Gallicana, deinde Brabantica, tertio Flandrica, dummodo digni et idonei in his nationibus habeantur. Et id quidem statuimus, ut mutua pax et amor inter eas nationes conservetur suusque honor cuique deferatur. Declarantes quod, si aliquando mori vel amoveri contigerit aliquem provincialem, non possit reeligi ex eadem natione, sed devolvatur electio ad subsequentem nationem.

Declaramus, quod priorissae monialium debent esse triennales, ut priores conventuum.

Declaramus, quod in dominica « Deus, qui errantibus » etc. anni MDCX. proximum capitulum provinciale debeat celebrari; et quod tunc censebitur rev. admodum p. provincialis suum quadriennium complevisse; sicque electores rite procedere poterunt ad electionem novi provincialis.

Approbamus magisteria rev. admodum p. fr. Petri Vostinii provincialis et rev. p. fr. Thomae de Torres (1) regentis Lovaniensis et praesentaturam rev. p. fr. Hyacinthi Loquetii.

Approbamus licentias fr. Ioannis Renardi prioris Bruxellensis et baccalaureatum fr. Matthiae Hezii prioris Calcariensis et fr. Pauli Baesen prioris Traiectensis, fr. Dominici Raymundi conventus Audomarensis et fr. Dominici Mullens conventus Traiectensis.

Licentiamus ad magisterium rr. pp. fr. Philibertum Fabrum s. theologiae licentiatum et fr. Paulum Baesen priorem Traiectensem.

In provincia Apuliae seu s. Thomae.

Confirmamus in vicarium loci Peschici fr. Vincentium de Vico, volumusque eius vicariatum durare per triennium, pariter etiam confirma-

(1) De fr. Thoma de Torres cf. SSOP. II, 468.

mus in vicarium loci s. Quirici fr. Cornelium de Ferandina, volumusque eius vicariatum durare per triennium.

Approbamus erectionem loci sanctissimi Rosarii Lizzani, simulque ordinamus, ut pro hospitio transeuntium erigantur et constituantur duo loca, nempe in civitate Potentiae et in oppido Speclae Ugentinae dioecesis.

Declaramus, fr. Lucam de Gryptolis esse filium conventus Gryptolarum, pro quo habitum suscepit; nam invitus et fratribus praefati conventus inconsultis emisit professionem pro conventu Ferandinae.

Affiliamus fr. Vitum de s. Vito in loco s. Viti, cum antea tantum esset filius provinciae.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Thomae Rubini de Rubis, fr. Stephani de Vico, fr. Thomae Florae de Litio, fr. Pompei de Gryptolis in praecedenti capitulo Vallisoletano promotorum. Item magisteria rev. admodum p. fr. Donati Santelli de Arigliano, nunc provincialis, et rev. p. fr. Marcelli de Gallipoli ab illustrissimo p. cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis promotorum. Insuper approbamus baccalaureatus rr. pp. fr. Caroli de Salatula, fr. Fabii de Tricatio, fr. Marini de Rubis, fr. Petri de Mesapia et fr. Iordani de Tarento.

Assignamus pro rata etc. in studio s. Dominici de Neapoli fr. Ioannem Vincentium de Aversa, in studio Cosentino fr. Hippolytum de Tarento, in studio Bononiensi fr. Vincentium de Castellaneto et fr. Marcum de Botanto.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Ioannem Donathum de Castellaneto, fr. Iulium de Manfredonia, fr. Hyacinthum de Altamura et fr. Thomam de Pollignano. Ad baccalaureatum autem promovemus rr. pp. fr. Matthaeum de Chiles, fr. Antonium primum de Trigasio, fr. Antoninum Neritonum, fr. Thomam de Castellaneto, fr. Antonium secundum de Trigasio, fr. Horatium Neritonium, fr. Vincentium Capparinum de Litio. Omnes isti complent numerum provinciae. Promovemus item ad baccalaureatum fr. Ioannem Baptistam Ferrerium et fr. Hieronymum de Gallipoli, salvis suae provinciae iuribus.

Damus in regentem studii generalis provinciae rev. p. fr. Thomam de Pollignano magistrum, in baccalaureum ordinarium p. fr. Ioannem Leonardum de Viglia, in magistros studentium pro primo, secundo et tertio anno, qui sufficientiores reperientur.

Revocamus affiliationem rev. p. magistri fratris Petri Rosei a conventu s. Petri in Galatina ad suum conventum originalem de Casali novo.

In provincia Calabriae.

Damus in regentem studii generalis Cosentini rev. p. fr. Angelum de Gemiliano magistrum. In baccalaureum ordinarium rev. p. fr. Philippum de Gemiliano, quem nunc ad magisterium promovemus.

*

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Silvestrum de Zagaresio. Ad baccalaureatum autem promovemus rr. pp. fr. Hieronymum de Tropea, quem etiam damus in baccalaureum ordinarium pro anno 1610, fr. Ioannem de Cosentia et fr. Hieronymum de Rosario.

In provinciis Indiarum communia.

1. Confirmamus omnes ordinationes factas in capitulo generali Vallisoletano proxime praeterito pro provinciis Indiarum, illis dumtaxat exceptis, in quibus dispensatum est singulariter pro aliquibus provinciis in hoc praesenti capitulo generali ob rationabiles causas.

2. Ordinamus, quod fratres qui a suis superioribus peculiariter mittuntur in aliquam provinciam novi orbis, nullo pacto detineri aut commorari possint in aliis Indiarum, praeter illam ad quam singulariter mittuntur. Volumusque ut omnes eiusmodi fratres, qui omissa provincia ad quam destinati fuere, in aliis morantur, si non fuerint vel legitime incorporati in provincia vel assignati a reverendissimo magistro ordinis vel a praesidente provinciae seu ab habente assignandi potestatem, eiiciantur quamprimum a provincia, ne vagari eos indecore et parum religiose contingat per provincias, sic tamen ut benigne et charitative dimittantur, tempusque vel navigandi vel iter agendi opportunum et commodum eisdem assignetur.

3. Declaramus, quod fratres ex provinciis Hispaniarum translati et incorporati in quibuscumque Indiarum provinciis, possunt rite eligi in diffinitores capituli provincialis et generalis. Quod sanctissimus d. n. Paulus papa V in hoc praesenti capitulo et in posterum fieri posse concessit et declaravit.

4. Praecipimus, ut fratres qui cum licentia magistri ordinis vel eius vicarii veniunt in Hispanias ad negotia pertractanda, negotiis peractis, revertantur ad eandem provinciam, ex qua egressi sunt, tamquam ad eandem pertinentes, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Fratres vero, qui sine licentia superiorum legitimam potestatem habentium ad aliquam provinciam Indiarum devenerint, cogantur quamprimum ad suas provincias reverti; reddita prius ratione suorum officiorum, si quae in provincia administraverint. Praelati vero qui in expellendis huiusmodi fratribus inventi fuerint negligentes, in poenam a suis officiis absolvantur.

5. Declaramus, quod alias declaratum fuit, ut conventus qui existunt apud Indos, qui non habent duodenarium numerum fratrum, non possint eligere socios priorum, qui habeant vocem in capitulo provinciali.

In provincia s. Iacobi de Mexico.

Ut ordinatio 37. capituli Vallisoletani 1605 de alternativa eligendi provincialem vicissim ex natis in Hispania et ex natis in Indiis commodius observetur, ordinamus, quod etiam in capitulo provinciali eiusdem

provinciae statutum fuit, ut novitii in provincia Mexicana, quantum fieri poterit, pari et aequali numero habeantur et recipiantur ad ordinem, nimirum quot ex natis in Indiis, tot ex natis in Hispania, sub natis in Hispania comprehendentes etiam natos in insulis Tertiariis sive Azorum et in Insulis Fortunatis, quae vulgo Canariae dicuntur; nomine vero Indiarum intelligentes reliquas insulas et continentem novi orbis seu Americae.

Augemus numerum magistrorum ad octonarium, similiter et numerum praesentatorum ad titulum lectoratus ad octonarium, numerum vero praesentatorum ratione praedicationis, quae maximo in pretio in illis regionibus ob conversionem Indorum habetur, volumus esse quaternarium.

Approbamus magisterium rev. admodum p. fr. Alphonsi de Armeria huius capituli diffinitoris et omnia magisteria, praesentaturas, praedicaturas generales concessas ab illustrissimo d. cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

Promovemus ad praesentaturam rr. pp. fr. Franciscum de Villanova, fr. Hieronymum de Rubion, fr. Alphonsum de Contreras ratione praedicationis, fr. Ioannem Nuñez ratione praedicationis, fr. Hieronymum de Pisa ratione praedicationis.

Instituimus in praedicatores generales pp. fr. Gabrielem Cupin pro natione Mexicana, fr. Benedictum de Vega pro natione Chocona et fr. Bartholomeum Tamayo.

Promovemus ad magisterium r. p. fr. Ludovicum de Solorzano (1), salvis tamen iuribus suae provinciae.

In provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

Ob iustas et legitimas causas dispensamus in provincia Peruana super ordinatione 42. praecedentis capituli Vallisoletani, qua sub formali praecepto praecipiebatur, ut dimidium synodorum, ut vocant, investiretur ad emendos census perpetuos vel possessiones pro conventibus. Siquidem ob contractum grave aes alienum a conventibus, ratione fabricarum et aliorum sumptuum, necessarium est, ut primum ex illis synodis persolvantur debita, quibus solutis, volumus praefatam ordinationem inviolabiliter observari.

Concedimus rev. admodum p. provinciali nostrae provinciae Peruanae, ut non obstante ordinatione 41. capituli generalis Vallisoletani, in qua ob causas legitimas dispensamus, possit in doctrinis Indorum constituere patres, tametsi non sint aetatis quadraginta annorum, quos iudicaverit magis aptos et idoneos.

---

(1) De fr. Ludovico de Solorzano cf. SSOP. II, 401.

Confirmamus taxam factam in capitulo provinciali Limensi de contributionibus reddendis rev. admodum p. provinciali ob visitationem provinciae, quae sane sint moderatae, ut praelatum religiosum decet, nec ullo pacto augeatur.

Instituimus et erigimus in studium generale seu universitatem conventum nostrum s. Dominici civitatis de la Plata in provincia Charcarum cum omnibus privilegiis et gratiis, quibus alia studia generalia eiusdem provinciae Peruanae potiri consuevere.

Augemus numerum magistrorum ad denarium, praesentatorum vero ad titulum lectoratus ad duodenarium, praesentatorum autem ad titulum praedicationis ad quaternarium.

Approbamus magisterium rev. admodum p. fr. Petri de Paredes huius capituli diffinitoris, item praesentaturas rr. pp. fr. Michaelis de Aguirre et fr. Ferdinandi Davalos et alios quoscumque gradus concessos ab illustrissimo d. cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Augustinum de Montes et rev. admodum p. fr. Franciscum de Vega nunc provincialem nostrae provinciae Peruanae. Ad praesentaturam autem promovemus rr. pp. fr. Franciscum Zambrano praedicatorem generalem, fr. Ferdinandum de Nogal praedicatorem generalem, fr. Nicolaum de Aguero praedicatorem generalem, fr. Didacum de sancto Thoma et fr. Gasparem de Maldonado.

Instituimus praedicatores generales pp. fr. Bartholomaeum de Ayala pro conventu sanctae Mariae Magdalenae civitatis Regum. Item fr. Alphonsum de Palencia, fr. Hieronymum de Aguero, fr. Michaelem Monsalve, tres istos ad titulum Indorum.

In provincia s. Antonini de novo regno Granatensi.

Instituimus et erigimus in studium generale seu universitatem conventum nostrum s. Dominici de Tunia propter eius commoditatem et aptitudinem ad alendos studentes.

Augemus numerum magistrorum a senario usque ad octonarium, et praesentatorum a denario usque ad duodenarium. Volumusque ut ex duodecim praesentaturis quatuor sint titulo praedicationis; quandoquidem praedicandi munus in ea regione praecipuum in primis habetur, cum praedicatione verbi Dei plurimi infideles ad ecclesiam quotidie accedant.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Gonzalvi Mendez, fr. Martini de Salazar, fr. Francisci de Villasinda, fr. Leonardi Garsias et rev. admodum p. fr. Andreae de s. Petro et Docampo, huius capituli diffinitoris; item praesentaturas rr. pp. fr. Sebastiani de Herrera et fr. Dominici Gonzales et eiusdem praedicaturam generalem, atque omnes gradus collatos ab illustrissimo domino cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

Promovemus ad magisterii gradum rr. pp. fr. Antonium Manrriquez, fr. Petrum de Velasco et fr. Reginaldum Galindez, ad praesentaturam autem promovemus rr. pp. fr. Hieronymum Velazquez, fr. Ioannem Xuarez, fr. Ioannem Davalos, fr. Franciscum de Parraga, fr. Illefonsum de Quintanilla et fr. Franciscum de Mendoça.

Instituimus praedicatores generales fr. Ioannem de Berrio, fr. Didacum Martinez de Contreras, fr. Petrum de Vera, fr. Ioannem Osorio et fr. Bartholomaeum de Alarcon.

In provincia Occitana.

Mandamus p. priori et patribus conventus Arelatensis sub poena absolutionis ab officio et excommunicationis, ne contra ordinata a summo senatu Aquensi super confraternitatibus poenitentium aliquid innovare audeant.

Approbamus magisteria rev. admodum p. fr. Vincentii le Clerc huius capituli diffinitoris et rr. pp. fr. Claudii du Belly prioris Tolosani, fr. Petri de Costa, fr. Ioannis Guion, fr. Hyacinthi de la Plane et fr. Ioannis Sava.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Gabrielem Crively, fr. Petrum Comes, fr. Aegidium Condole, fr. Marcum du Cercle et fr. Ioannem Ioby. In universitate Tolosana promovemus ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii pro anno 1609 rev. p. fr. Petrum Girardellum (1) et pro anno 1610 fr. Reginaldum Cavanacum et pro anno 1611 fr. Raymundum Poisson. In universitate Avenionensi promovemus ad lecturam sententiarum pro forma et gradu magisterii pro anno 1609 rev. p. fr. Ioannem Baptistam Pennam, pro anno 1610 fr. Petrum Brunum et pro anno 1611 fr. Dominicum Guillermi.

Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Renatum Chelianum et fr. Guilielmum Guinot.

Assignamus pro rata provinciae ad studendum in conventu Bononiensi fr. Raymundum Poisson sacerdotem.

In provincia s. Dominici Venetiarum.

Ordinamus, quod conventus, quorum filii in novitiatu conventus ss. Ioannis et Pauli Venetiarum educantur, debeant solvere iuxta taxam factam a patribus provinciae pro unoquoque novitio scuta duodecim monetae Venetae, et qui hucusque non solverunt, quamprimum solvere teneantur.

Concedimus sororibus tertii ordinis nostri commorantibus simul in eadem domo in civitate Venetiarum, ut possint deferre scapulare. Item quod possint deponere numeratam pecuniam, quae illis exhibetur in in-

(1) De fr. Petro Girardello cf. SSOP. II, 477.

gressu cuiuscumque ipsarum, in aliquo loco communi, tamquam in communi deposito; ex qua possint facere aliquam investituram ad commune domus bonum.

In conventu ss. Ioannis et Pauli approbamus receptionem ad professionem fr. Hieronymi Danduli Veneti, cum ea conditione, quod possit facere professionem post trigesimum aetatis suae annum, et nihilominus decernimus debere sibi reservari locum a die receptionis eius ad professionem, ita quod antiquitas eius in ordine computari debeat a die praedictae receptionis eius ad professionem; adeo ut qui post praefatam illius receptionem professi fuerint, nullum ius loci supra praedictum fr. Hieronymum Dandulum praetendere possint, cum hoc modo et conditione acceptatus fuerit a patribus conventus, istaque omnia approbata fuerint ab illustrissimo domino cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

Approbamus et acceptamus omnes magistros, baccalaureos et praedicatores generales factos et institutos ab illustrissimo d. cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis, salvis tamen iuribus suae provinciae.

Promovemus ad magisterii gradum rr. pp. fr. Albertum Martinelli de Liniaco, baccalaureum ordinarium studii Patavini, fr. Hieronymum Bembo Iustinopolitanum baccalaureum, fr. Boninum de Girlanda de Liniaco baccalaureum, fr. Theodorum Dedo de Venetiis baccalaureum extraordinarium studii Patavini. Ad gradum autem baccalaureatus promovemus rr. pp. fr. Benedictum de Padua lectorem, fr. Herveum de Venetiis lectorem, fr. Hieronymum de Padua lectorem, fr. Hadrianum de Padua lectorem, fr. Hieronymum Avantium lectorem.

Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Camillum de Padua et fr. Dominicum de Venetiis, praedictas autem promotiones et institutiones factas semper intelligimus salvis iuribus provinciae.

In studio generali s. Augustini de Padua damus in regentem rev. p. fr. Xystum Landolini Utinensem magistrum. In magistrum studii pro anno 1608 fr. Marinum de Suapio lectorem, pro anno vero 1609 fr. Bernardinum de Tarvisio lectorem et pro anno 1610 fr. Sanctum de Venetiis lectorem.

Declaramus, secundum consuetudinem provinciae praedicatores generales rite institutos et acceptatos in provincia exemptos esse ab officio hebdomadarii faciendo.

In provincia s. Laurentii del Chile.

Ordinamus ad petitionem eius provinciae, ut capitula provincialia deinceps fiant et celebrentur in vigilia Epiphaniae, quia tunc est tempus aptum et commodum, nempe ver in illis regionibus.

Concedimus eidem provinciae, ut gaudeat privilegio provinciarum novae Hispaniae, nimirum ut propter paucitatem fratrum possint erigi in conventus omnes illae domus, quae septenarium fratrum numerum alere possunt.

Concedimus eidem provinciae, ut capitula provincialia intermedia praetermittantur, ut consuetum est in quibusdam aliis provinciis.

Instituimus et erigimus in studium generale conventum sanctae Mariae de Rosario civitatis sancti Iacobi de Chile cum omnibus privilegiis et gratiis, quibus aliae universitates gaudere solent in ordine nostro, damusque ei in regentem rev. p. fr. Petrum de Salvatierra magistrum.

Acceptamus domum sancti Dominici civitatis s. Ioannis de la Frontera, eique pro hac vice damus in vicarium fr. Laurentium Duran; volumus quoque, ut praefata domus habeat vocem in electione priorum provincialium, ut alii prioratus et conventus, idque ob paucitatem conventuum, quod superioribus annis quinque integri eiusdem provinciae conventus ab Indis infidelibus devastati et solo aequati fuerint, fratribus partim trucidatis, partim in captivitatem abductis ob Christi fidem. Qua de re extat relatio omni fide conspicua, manu publici notarii excepta.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Petri de Salvatierra et praesentaturam rev. p. fr. Achatii de Naveda, et omnes gradus concessos ab illustrissimo domino cardinali Xavierre, tunc rev. magistro ordinis.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Christophorum de Val de Spino praesentatum. Ad praesentaturam autem promovemus r. p. fr. Felicianum et Naveda. Instituimus praedicatores generales sequentes patres, nempe pro conventu sancti Dominici de Chellam fr. Achatium de Naveda; pro conventu sanctae Mariae de Rosario civitatis sancti Iacobi fr. Martinum de Salvatierra; pro conventu sancti Dominici de Mendoça fr. Alphonsum de Salamanca; pro conventu sancti Dominici de Conceptione rev. admodum p. fr. Balthassarem Verdugo huius capituli diffinitorem.

In provincia s. Petri Martyris.

Ordinamus, quod nullus petatur pro officiali in studio generali sancti Eustorgii Mediolanensi nisi perfecerit totum cursum philosophiae, nec attendatur in petitione antiquitas in ordine, sed sufficientia morum et literarum, quae comprobetur per concursum, et omnia ista fiant iuxta ordinationes capitulorum generalium. Et qui aliter postulati fuerint, petitio ipsa seu postulatio ipso facto sit nulla.

Item, quod nullus petatur in eadem provincia ad ullos gradus seu baccalaureatus seu magisterii, nisi gradatim in praefato studio s. Eustorgii perfecerit integros ordinarios cursus iuxta formam praescriptam in variis capitulis generalibus, aliter petitio sit nullius roboris.

Acceptamus et approbamus magisteria rr. pp. fr. Bonifacii de Cherio et fr. Basilii de Novaria inquisitoris Alexandriae. Item baccalaureatus rr. pp. fr. Tiberii de Derthona et fr. Hyacinthi de Mediolano.

Promovemus autem ad magisterium eosdem pp. fr. Tiberium de Derthona et fr. Hyacinthum de Mediolano.

Approbatum praedicaturam generalem fr. Thomae Urticae de Mediolano, iam in capitulo provinciali eiusdem provinciae in praedicatorem generalem instituti.

Damus in regentem studii s. Eustorgii rev. p. fr. Pium de Lugo magistrum, qui iam alias honorifice idem officium ibidem exercuit. In baccalaureum vero ordinarium rev. p. fr. Latinum Ursinum, qui nunc in eodem studio officium baccalaureatus exercet. In magistrum autem studii eum damus, qui inter concurrentes secundum formam praedictam sufficientior iudicatus fuerit. Volumusque omnes istos patres in suis officiis permanere toto eo tempore, quod praescribunt ordinationes capitulorum generalium.

Revocamus omnes licentias et facultates concessas a quibusvis praelatis ordinis quibuscunque fratribus retinendi cameras ab ipsis vel aedificatas vel exornatas, dum simpliciter sunt extra illum conventum assignati vel in alio officio diuturno occupati. Et camerae illae remaneant sub libera potestate praelati, ut ipsas secundum exigentiam fratrum libere distribuere possit.

In provincia Aprutina seu sanctae Catharinae Senensis.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Michaelis Arnolfini Lucensis. Promovemus autem ad magisterium rev. admodum p. huius capituli diffinitorem fr. Cyprianum Ursonum de Hostiliano, rr. pp. fr. Thomam de Simeonibus de Tripalda et fr. Ioannem Baptistam Caracciolum de Neapoli.

Damus in regentem studii generalis Aquilani pro anno 1609 rev. admodum p. fr. Cyprianum Ursonum magistrum, in baccalaureum rev. p. fr. Albertum Montagnolum Senensem, in magistrum studentium rev. p. fr. Dominicum de Elia.

Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Michaelem Angelum de Pupillo, fr. Thomam de Rinaldo, fr. Silvestrum Francum, fr. Vincentium Coppola et fr. Thomam de Arimino.

Confirmamus et approbamus translationem studii a conventu Iesu Mariae de Neapoli ad conventum Aquilanum factam ab illustrissimo domino cardinali Xavierre, tunc reverendissimo magistro ordinis.

Concedimus eidem provinciae, ut possit habere decem magistros et decem praedicatores generales.

In congregatione Gallicana.

Ordinamus, ut non recipiantur indifferenter fratres studentes in con-

ventu Parisiensi, sed prius examinentur a regentibus, an possint in studio profiteri, deinde ut habeant fidele testimonium a patribus provincialibus vel prioribus de vita et moribus. Item ut a reverendissimo p. n. magistro ordinis diffiniatur ipsis certus annorum numerus, quo debent in studio manere; quo finito, teneantur inde discedere, nisi promoveantur ad gradus.

Ordinamus, ut regentes in conventu Parisiensi in omnibus et per omnia dirigant et moderentur studium pro more et secundum antiquas ordinationes reverendissimorum magistrorum ordinis et capitulorum generalium.

Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto omnibus fratribus morantibus et vagantibus in urbe Parisiensi extra conventum, ut sese recipiant quamprimum in proprios conventus, ne sint aliis scandalo.

Mandamus sub poena excommunicationis latae sententiae, ut fratres a conventu Parisiensi eiecti non possint in civitate Parisiensi manere.

In congregatione Russiae.

Approbamus et acceptamus studium generale in conventu Leopoliensi institutum, volumusque et ordinamus, ut studentes formales eiusdem studii gaudeant privilegiis almi studii Bononiensis.

Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Christophorum de Praemislia baccalaureum. Ad gradum autem baccalaureatus promovemus sequentes patres lectores, nempe fr. Alexium de Leopoli, fr. Leonardum de Ielovo, fr. Severinum de Iaroslavia, fr. Victorinum de Busco, fr. Symphorianum de Sczerzecr, fr. Dominicum de Leopoli, fr. Martinum de Leopoli, fr. Marianum de Krzepicia (1) et fr. Hyacinthum Czecksovium de Leopoli.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Paulo papa V., qui ordinem nostrum mirifice fovet et ornat et huic nostro capitulo copiosam eleemosynam contulit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu sanctae Romanae ecclesiae quil. sac. unam missam.

Pro augustissimo imperatore Rodulpho II. et statu Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege Henrico IV. q. s. un. missam.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo III. q. sac. unam missam.

Pro serenissimo rege Poloniae Sigismundo III. q. sac. un. missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Burghesio, nepote sanctissimi d. n. atque nostri ordinis protectore, qui in hoc nostro

---

(1) De fr. Mariano de Krzepicio cf. SSOP. II, 755.

capitulo praesedit, illudque nedum sua praesentia, sed multis beneficiis illustravit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Asculano, ex ordine nostro assumpto, qui ordinem plurimum diligit et beneficia multa eidem contulit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Xavierre, ex magistro generali ordinis ad cardinalatum assumpto, q. sac. un. missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali s. Caeciliae, ordinis nostri benefactore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro sacra congregatione illustrissimorum cardinalium s. Officii universalis Inquisitionis quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis q. s. un. mis.

Pro principibus christianis, qui sub obedientia sedis apostolicae vivunt et pro pace inter eos servanda, ac pro bono totius christianae reipublicae quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu almae Urbis Romae et pro nobilibus et civibus eius quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione totius ordinis nostri et pro eius capite reverendissimo magistro ordinis et in eius societate laborantibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissima domina Francisca Balliona de Ursinis, quae monasterium monialium ordinis nostri Romae fundavit, eidemque se et omnes facultates suas liberaliter dedit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris et maxime pro his, qui huic capitulo eleemosynas elargiti sunt, quilibet sacerdos unam missam.

Ubi sacerdotibus una missa, clericis aliis litaniae, conversis vero decies pater noster et ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus bonae memoriae dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam nostro generali capitulo in suis testamentis reliquerunt, q. sac. un. missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri q. sac. un. mis.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. un. mis.

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

1. Damus reverendissimo p. n. magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, et eisdem addere vel detrahere, omnia denique et singula facere,

quae nos agere possemus, praecipue vero circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus, secundum quod eius prudentiae visum fuerit expedire.

2. Capitulum sequens, quod erit diffinitorum secundum, assignamus in conventu nostro sancti Iacobi Lutetiae Parisiorum, hinc ad tres annos, nempe celebrabitur in festo Pentecostes anno domini millesimo sexcentesimo undecimo.

3. Praecipimus denique in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae subiectis quamprimum legere et publicare faciant omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter exequutioni mandentur et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio omnia, nullo praetermisso, legantur; mandantes insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu habeantur acta, alia in communi deposito cum aliis consuantur, altera habeant priores seu praesidentes conventuum, alia magistri novitiorum, ne ullus praetextu ignorantiae eorum, quae sancte et pie sancita sunt, se excusatum putet.

Volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Fr. Augustinus Galaminius Brisichellensis sacrae theologiae professor, ac totius ordinis praedicatorum humilis generalis magister ac servus, omnibus eiusdem ordinis fratribus salutem. Post absolutum capitulum nostrum generale, hoc anno 1608 Romae celebratum, et conscripta illius acta emanarunt a sanctissimo d. n. Paulo papa V. apostolicae litterae in favorem confraternitatis sanctissimi Rosarii, quibus concessit confraternitatibus omnibus eiusdem sanctissimi Rosarii, ubique locum canonice institutis, ut libere et licite valeant uti, frui et gaudere omnibus eisdem indulgentiis a Romanis pontificibus praedecessoribus suis concessis, quibus antea gaudere consueverunt, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Litterarum earundem apostolicarum exemplar, fideliter descriptum, hic ad finem actorum capituli subiiciendum curavimus.

Paulus papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Cum olim felicis recordationis Clemens papa VIII. praedecessor noster ad tollendos nonnullos abusus, qui in communicandis indulgentiis et privilegiis confraternitatibus, dum erigebantur, instituebantur seu aggregabantur a superioribus ordinum, religionum et institutorum, necnon ab officialibus ar-

chiconfraternitatum et congregationum respective irrepserant, per suam perpetuo valituram constitutionem inter cetera decrevisset, ut omnes confraternitates novas erectionum, institutionum et aggregationum formas, quibus novae etiam indulgentiae concedebantur, concessae renovabantur, ab apostolica sede acciperent infra certum tempus tunc expressum, prout in eiusdem Clementis literis plenius continetur. Nos in executionem dictae constitutionis et mentis praedicti Clementis praedecessoris compluribus confraternitatibus novas indulgentias et privilegia concedentes, antea concessas revocavimus, inter quas etiam supplicationibus dilectorum filiorum officialium et confratrum confraternitatis sanctissimi Rosarii in ecclesia sanctae Mariae super Minervam fratrum praedicatorum de Urbe inclinati, tam dictae confraternitati, quam omnibus aliis confraternitatibus eiusdem sanctissimi Rosarii omnes et quascunque alias indulgentias a Romanis pontificibus praedecessoribus nostris eisdem confraternitatibus concessas revocantes, certas alias novas indulgentias, quibus in posterum uterentur, concessimus et indulsimus, prout in nostris in simili forma brevis desuper confectis literis plenius etiam continetur. Cum autem sicut dilectus filius Augustinus Galaminius magister generalis dicti ordinis praedicatorum occasione capituli generalis Romae nuper celebrati, nomine complurium diversarum nationum eiusdem sanctissimi Rosarii confraternitatum nobis nuper exposuit, quod cum ipsis confraternitatibus praedictis minime supplicantibus, sed nescientibus et nil tale prorsus cogitantibus, quippe qui dicti sanctissimi Rosarii confraternitates, dum canonice instituuntur, indulgentiarum communicatione minime indigeant, sed ipso iure, vigore privilegiorum apostolicorum illas nanciscantur, huiusmodi novā concessio et revocatio indulgentiarum impetrata fuerit. Idcirco nobis humiliter supplicari fecerunt, ut desuper providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui iustis et piis fidelium votis annuere pro muneris nostri debito tenemur, ipsum generalem magistrum et confratres praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorundem supplicationibus inclinati literas nostras praedictas, quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, harum serie ad terminos iuris reducimus, necnon confraternitatibus omnibus ubique locorum existentibus, canonice tamen institutis sanctissimi Rosarii huiusmodi, ut iisdem indulgentiis a Romanis pontificibus praedecessoribus nostris concessis, prout ante dictas nostras literas et non alias utebantur, fruebantur et gaudebant, uti frui et gau-

dere libere et licite valeant, ac illis suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si dictae literae non emanassent, concedimus et indulgemus. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die 20. septembris 1608 pontificatus nostri anno quarto.

Scipio Cobellutius.

Nos etiam fr. Augustinus Galaminius magister ordinis qui supra notum facimus omnibus ordinis nostri fratribus, illustrissimum et reverendissimum d. cardinalem Asculanum ex ordine nostro assumptum, qui summo studio semper apud sedem apostolicam favores, gratias et privilegia ordini nostro procurat, impetrasse a sanctissimo d. nostro Paulo papa V. vivae vocis oraculum factum illustrissimae et reverendissimae suae dominationi, quo idem sanctissimus declaravit et statuit, ut in fundationibus et erectionibus confraternitatum sanctissimi Rosarii, non obstante forma praescripta in litteris felicis record. Clementis VIII. datis 7. decembris 1604 et in aliis eiusdem s. d. n. Pauli V. datis 2. novembris 1606, possit nihilominus deinceps servari antiqua illa forma, qua magistri ordinis et eorum vicarii utebantur in litteris erectionis confraternitatum Rosarii ante praedictarum litterarum apostolicarum emanationem. Litteras autem patentes eiusdem illustrissimi cardinalis Asculani, fidem praefati apostolici oraculi facientes, fideliter descriptas, hic subiecimus.

Nos fr. Hieronymus Bernerius Corrig. ord. praedicatorum, miseratione divina episcopus Portuen., cardinalis Asculanus nuncupatus, etc. universis et singulis, ad quos praesentes nostrae pervenerint vel quoquo modo spectaverint, notum facimus et in verbo veritatis attestamur, hodierna die, quae est 18. septembris 1608 in palatio apostolico in monte Quirinali, post s. Officii generalem congregationem, in audientia secreta sanctissimum d. n. Paulum divina providentia papam V. ad humilem nostram supplicationem, vivae vocis oraculo declaravisse et ad tollendam omnem ambiguitatem ac ad maiorem cautelam, quatenus opus esset, de novo concessisse, ut in literis erectionis sanctissimi Rosarii in futurum per rev. p. mag. generalem sive illius vicarium pro tempore existentes concedendis, non attenta forma aliis confraternitatibus in litteris sancti-

tatis suae, datum Romae apud s. Petrum 2. novembris 1606 nec non aliis fel. record. Clem. VIII. sub annulo piscatoris 7. decembris 1604 praescripta, illa forma servetur, qua antequam dictae litterae emanassent, quas sanctitas sua noluit obstare rr. pp. magistri generales, sive eorum vicarii eiusdem ord. uti consueverunt. In quorum fidem etc. praesentes fieri fecimus et manu nostra subscripsimus et sigilli nostri, quo in talibus utimur, iussimus impressione muniri. Datum Romae in aedibus nostrae residentiae die et anno supradictis.

Fr. Hieronymus episcopus Portuensis
cardinalis Asculanus manu propria.

L. ✠ S.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS PARISIIS IN CONVENTU S. IACOBI ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES XXII. MAII ANNO MDCXI.

Sub reverendissimo p. fr. Augustino Galaminio Brisichellensi sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus admodum reverendis patribus diffinitoribus, nempe:
fr. Ioanne de Pereda magistro diffinitore provinciae Hispaniae,
fr. Ludovico de Castes magistro diffinitore provinciae Tholosanae,
fr. Dominico Dionysio magistro diffinitore provinciae Franciae,
fr. Hieronymo de Camerino mag. diffinitore prov. utriusque Lombardiae,
fr. Angelo Cortesio magistro diffinitore provinciae Romanae,
fr. Thoma Manuel magistro diffinitore provinciae Regni,
fr. Petro Hutnero magistro diffinitore provinciae Theutoniae,
fr. Ignatio Corona magistro diffinitore provinciae Poloniae,
fr. Angelo Brixio magistro diffinitore provinciae Terrae Sanctae,
fr. Vincentio Catalan magistro diffinitore provinciae Aragoniae,
fr. Hyacintho Suscio magistro diffinitore provinciae Bohemiae,
fr. Luca Alemanni magistro diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Scipione de Catanea magistro diffinitore provinciae Trinacriae,
fr. Thoma Brito magistro diffinitore provinciae Portugalliae,
fr. Ioanne Manuel magistro diffinitore provinciae Bethicae,
fr. Thoma de Torres magistro diffinitore provinciae Germaniae inferioris,
fr. Donato Arigliano magistro diffinitore provinciae sancti Thomae Apuliae,
fr. Angelo de Gimiliano magistro diffinitore provinciae Calabriae,

fr. Christophoro de Aguylera praesentato diffinitore provinciae Mexicanae,
fr. Augustino Montes diffinitore provinciae s. Vincentii de Chiapa,
fr. Iosepho Bourgognon magistro diffinitore provinciae Occitanae,
fr. Vincentio Pontino mag. diffinitore prov. s. Dominici Venetiarum,
fr. Marco de Flores praesentato dif. prov. s. Catharinae martyris de Quito,
fr. Dominico de Padilla praesentato diffinitore provinciae s. Hippolyti martyris de Oaxaca,
fr. Didaco Advarte (1) diffinitore prov. sanctissimi Rosarii Philippinarum,
fr. Gregorio Mannino magistro diffinitore provinciae s. Petri martyris,
fr. Michaele Arnolphino magistro diffinitore provinciae s. Catharinae Senensis alias Aprutinae.

Acta capituli generalis Lutetiae Parisiorum in conventu s. Iacobi celebrati, in festo sanctissimae Pentecostes, die 22. maii 1611 sub reverendissimo patre fratre Augustino Galaminio Brisichellensi, sacrae theologiae professore et magistro generali totius ordinis praedicatorum.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beatae Mariae semper virginis et beati patris nostri s. Dominici, omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Confirmationes.

1. Confirmamus ordinationem factam in praecedenti capitulo Romae celebrato 1608, ut festum sancti Ludovici confessoris regis Francorum et festum s. Caeciliae virginis et martyris sub toto duplici, festum vero sancti Blasii episcopi et martyris sub duplici deinceps celebrentur.

2. Confirmamus etiam eam, in eodem capitulo factam, qua statuitur, ut in omnibus conventibus, ubi viget studium artium simul et theologiae, singulis quartis feriis fiat officium de s. Thoma Aquinate, eodem modo, quo in tertiis feriis fit officium de s. Dominico. Quam tamen declaramus sic intelligi debere, nisi videlicet eadem feria quarta sit festum trium lectionum, de quo infra quindecim dies non possit celebrari, quia in eo casu fiet de festo trium lectionum et memoria de s. Thoma etc.

3. Confirmamus item, ut rubrica missalium postremo reformatorum ab omnibus inviolabiliter observetur, ut scilicet non detur benedictio post missam pro defunctis, et in ceremoniis, praesertim missae servetur uniformitas; onerantes in hoc conscientiam praelatorum, ut serio huic rei invigilent, atque ut ordinarium ceremoniarum ter in anno legi faciant in mensa, observent et corrigant contrafacientes.

(1) De fr. Didaco Advarte cf. SSOP. II, 493.

4. Confirmamus apostolica auctoritate moderationem in eodem capitulo et eadem auctoritate factam, ut videlicet non obstante decreto capituli generalis Valentiae celebrati anno 1596 et in duobus sequentibus capitulis confirmato, de non gaudendo voce activa aut passiva ante duodecimum annum a professione completum, sufficiat posthac ad habendam in quacumque electione canonica vocem activam explevisse a professione sexennium et esse sacerdotem.

5. Declarantes per hanc moderationem circa moniales quidem nihil omnino, circa fratres vero nihil quoad passivam mutatum esse; hanc enim nullus frater habere potest, nisi post duodecim annos a professione completos; iis quae ibidem pro conventu s. Iacobi Parisiorum excepta sunt, in suo robore permanentibus.

6. Confirmamus, ut saluberrima constitutio de silentio locis et horis statutis tenendo omni studio et diligentia observetur, aggravantes super hoc in diem Christi conscientias praesidentium, nisi sacri huius silentii temerarios violatores quam severissime punierint.

7. Confirmamus etiam illam, qua sancitur professos a cura magistri et domo novitiorum non eximendos usque ad sacerdotium. Novitios tamen ante professionem seorsim ab aliorum societate habendos, quamvis ad publica loca omnes simul debeant prodire.

Quam ordinationem, in omnibus provinciis, conditionibus et moderationibus ibidem expressis, exacte servari et transgressores severe puniri volumus et districte mandamus.

8. Confirmamus et illam de non educandis novitiis nisi in conventibus, in quibus viget observantia regularis. Item de non recipiendis pueris ad habitum ante quatuordecim eorum aetatis annos, et nisi instructi sufficienter sint in grammaticis. Illam quoque, de non recipiendo aliquid pro novitio induendo, pro tempore probationis, pro victu et vestitu, aut quovis alio titulo, etiam sponte oblatum; necessitate tamen conventus cogente, poterit servari forma ibidem iuxta sacrum concilium Tridentinum sessione 25. cap. 16. praescripta.

9. Confirmamus item, ut novitii intra probationis annum, non occupentur in studio literarum, praeterquam linguarum, sed in exercitiis spiritualibus devotionis, addiscendis ceremoniis, cantu, regula, constitutionibus, etc. Et novitiorum lectores nullo modo se negotiis aut gubernationi eorum immisceant, nec loquantur cum eis, nisi de pertinentibus ad studia et hoc in schola publica sub poenis ibidem expressis.

10. Confirmamus praeterea illam de sollicitudine praelatorum circa educationem novitiorum, de visitatore deputando bis in anno, de non permittendo discursu iuvenum per conventum, de non promovendo quoquam ad sacerdotium ante quatuor annos a professione expletos, etiam

si habeat alia requisita, et de cura infirmorum habenda, prioribusque in hoc negligentibus absolvendis.

11. Confirmamus quoque, ne fratres germani sibi succedant in praelaturis et ne praelati in exteriori regimine fratrum utantur ea notitia, quam aliquando hauserunt ex eorum confessione sacramentali. Praeterea ut provinciales expleto officio rationem reddant capitulo provinciali receptorum et expensorum seu expositorum, residuumque, si quid supererit, reponatur in communi deposito provinciae.

Cui addimus, ut non solum de administratione temporalium; sed etiam de regimine et actionibus suis debeant reddere rationem.

12. Confirmamus etiam, ut post quatuor menses ad summum, a praesentium notitia, priores provinciales in suis provinciis instituisse debeant studia linguarum, prout etiam a sanctissimo domino nostro papa Paulo V. per specialem et saluberrimam eius constitutionem sancitum est, de qua infra.

13. Confirmamus insuper illas, quibus statuitur, ne fratres exponantur ad audiendas confessiones mulierum ante annum trigesimum et ne recipiantur eleemosynae in actu confessionis sub poena ibidem expressa, prout ibi declaratur. Et ne quis procuret sibi locum ad concionandum tempore adventus et quadragesimae sub poenis ibidem expressis. Si autem alicui locus offeratur ad dictum officium exercendum, petat licentiam acceptandi a suis superioribus.

14. Confirmamus etiam illam, qua statuitur, ne quis quaestus faciat intra terminos alterius provinciae sine licentia praelati illius provinciae, et hoc sub poena gravioris culpae.

15. Confirmamus quoque illam de loco tuto constituendo pro conservandis privilegiis, instrumentis, literis fundationum, erigendis inventariis etc.

16. Cui addimus, ut in quolibet conventu fiat liber, si iam factus non est, in quo describantur omnes reditus certi, territoria, silvae, vineae, praedia sive possessiones conventuum cum suis confinibus, terminis et limitibus, ad evitandas in posterum lites et depellendas iniurias occupantium bona ordinis. Idque praecipitur tam provincialibus quam praesidentibus et procuratoribus conventuum sub poena absolutionis ab officiis suis, nisi intra annum executioni mandentur.

17. Confirmamus illas de amovendis a cellis fratrum omnibus imaginibus prophanis. Et ne conversi recipiantur ad habitum clericorum sine licentia magistri ordinis. Et recepti non mittantur ad ordines sacros, sed occupentur, ut prius, in officiis conversorum, nisi nova accedat licentia reverendissimi.

18. Revocantes omnes licentias hactenus concessas et executioni non

mandatas tam de habitu clericorum quam de sacris ordinibus suscipiendis, aggravantes in hoc conscientiam provincialium.

19. Confirmamus et illam de studentibus quolibet anno examinandis et addimus, eos per vota secreta debere approbari vel reiici. Item, ut studentes peracto studio ad suas provincias revertantur.

20. Revocantes hoc decreto omnes licentias hactenus concessas remanendi in studio generali ultra triennium, aggravantes ultra conscientias superiorum, ut haec omnia executioni mandentur. Item illam, de de non recipiendis legatis cum onere, nisi de licentia provincialis et de consensu conventus. Illam quoque de non assignandis fratribus discolis nisi in conventibus magnis, ubi possint in officio contineri.

21. Confirmamus denuo, quod in praeterito generali capitulo primo loco confirmatum fuit, de assignandis in qualibet provincia conventibus pro reformatione vitae regularis. Praecipientes omnibus patribus provincialibus sub poena absolutionis ab officiis suis ipso facto incurrenda, ut eandem ultra spatium quatuor mensium ab harum notitia executioni mandare non tardent.

22. Confirmamus et illam de non deferendis causis ordinis ad externa tribunalia sub poenis ibidem expressis. Et illam de licentiis quibuscumque sine certi temporis determinatione non concedendis. Et illam de libris a communi bibliotheca non extrahendis, qua etiam ipsos praelatos volumus comprehendi.

23. Confirmamus quoque illam de non edendis libris, nisi examinatis et approbatis per patres deputatos. Item de pecuniis undequaque acceptis, praelato infra spatium 24. horarum praesentandis. Et illam, quae regula praescribit administrandi depositi et durationis sindicorum, ad biennium tantum. Et de custode portae conventus constituendo et modo faciendi officium illud. Et tandem illam, qua confirmantur ordinationes, in diversis capitulis factae de gradibus surreptitie et per falsas informationes extortis, ut videlicet non admittantur a capitulo provinciali, quae extenditur ibidem ad praedicatores generales et ad omnes falso informantes magistrum ordinis, diffinitorium capituli generalis, sub poenis absolutionis ab officiis et perpetuae inhabilitatis ad praelaturas.

24. Confirmamus et inviolabiliter observari volumus, quod saepius ordinatum fuit et in declarationibus constitutionum nostrarum distinctione 1. cap. 1. continetur, quod videlicet omnes fratres, cuiuscumque gradus et conditionis sint, teneantur ad sequelam chori die noctuque et ad caetera communia fratrum officia et gravamina, necnon et ad hebdomadariam respective, magistris in theologia provinciarum et lectoribus ac praedicatoribus actu legentibus et praedicantibus dumtaxat exceptis, circa quos legitimae provinciarum consuetudines observentur. Reliqui

vero, tam lectores quam praedicatores, nullis prosurs gaudeant exemptionibus, nec eisdem gaudere illos permittant praelati sub poena absolutionis a suis officiis et privationis vocis activae et passivae.

25. Revocantes omnes licentias et facultates super hoc concessas a quibuscumque praelatis, magistro ordinis inferioribus. Et nolumus hac in re in posterum nisi per magistrum ordinis posse dispensari.

Per praedicatores actu praedicantes intelligimus illos, qui in aliquo conventu designati sunt ad conciones habendas, per totum annum, quas et habent; quod si in aliquibus provinciis nec isti exempti sunt, non sint virtute huius declarationis exempti.

26. Confirmamus et renovamus ordinationem illam factam in capitulo generali Romae celebrato 1589 de praedicatoribus et confessariis rigorose per quinque patres deputatos examinandis et per vota secreta approbandis vel reiiciendis.

Volumusque eandem ordinationem inviolabiliter observari sub poena excommunicationis tam a praesidentibus conventuum, ne quemquam aliter ad praedicandum aut confessiones audiendum admittant, quam a praedicatoribus et confessariis, ne aliter dictis officiis fungi praesumant, et hoc praesertim in provinciis Galliarum, quandoquidem in aliis fere provinciis executioni mandatur.

27. Confirmamus id, quod in declaratione tertia generalis capituli Romae celebrati 1608 circa praecedentiam magistrorum habetur, videlicet, quod magistris in theologia, qui statim in sua provincia gaudere solent voce et loco et aliis privilegiis magisterii, cum primum promoventur, antequam etiam a sua provincia acceptentur, computanda est antiquitas ubique a die promotionis eorum.

Declarantes praedicta verba, a die promotionis eorum, ita intelligi debere, id est a die, quo subscriptae sunt litterae patentes a reverendissimo magistro ordinis vel a die, quo reverendissimus sua manu aliquem gradu magisterii solemniter decoravit, si litterae patentes eiusdem magisterii non fuerint ante expeditae. Si autem in eodem capitulo sint promoti aut extra capitulum eodem die subscriptae litterae patentes, tunc locum inter se teneant secundum antiquitatem professionis etc.

28. Confirmamus ordinationem Romae factam anno domini 1589, qua iubetur, ut in petitionibus, quibus postulantur promotiones graduandorum, semper explicentur merita ipsorum, cuius aetatis sint, quid, quamdiu legerint, quot annis et quanto cum fructu praedicaverint. Caveantque, ne magistrum ordinis vel capitulum generale aliter informent, quam rei veritatem habere, compererint. Onerantes super hoc conscientias tam provincialium quam diffinitorum.

29. Confirmamus item ordinationem capituli generalis Romae cele-

brati anno 1542, quod acta capituli generalis statim per totum ordinem publicentur et non expectetur capitulum provinciale.

Et hoc praesertim fiat per provinciales aut diffinitores capituli generalis, quibus respective concedimus, ut cum primum a capitulo generali ad proprias provincias pervenerint, intra quatuor menses eadem acta in omnibus conventibus provinciales publicari faciant et si quae circa illa difficultates et dubia suboriantur, diffinitores post capitulum diffinitorum et provinciales post capitulum provincialium ea explicare et declarare possint, quorum explicationi et declarationi standum erit, quousque a magistro ordinis aliter fuerit determinatum.

30. Confirmamus ordinationem in quamplurimis capitulis generalibus repetitam, quod nullus, sub poenis in capitulo de graviori culpa contentis, ac etiam sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, cuius absolutio magistro ordinis reservatur, directe vel indirecte divisionem ordinis aut institutionem vicarii generalis Indiarum, quovis praetextu audeat vel praesumat procurare. Quam ordinationem sub eisdem poenis volumus observari.

31. Confirmamus omnes gradus et praedicaturas generales datas a reverendissimo magistro ordinis, dummodo fuerint servatae conditiones in litteris eorum patentibus ab eo praescriptae et vera fuerint, quae in eisdem litteris patentibus, pro ipsis obtinendis exposita et in narrativis earum expressa habentur. Ubi vero conditiones servatae non sint, aut narrata non vera, inanes et nullae habeantur et sint quaecumque dictorum graduum et praedicaturarum generalium collationes sive promotiones; idem de promotis in hoc capitulo et promovendis in posterum intelligatur. Si quid autem in contrarium quavis ratione factum aut dissimulatum fuerit, totum illud irritum et inane fore et esse decernimus et declaramus.

32. Confirmamus et in toto ordine inviolabiliter observari mandamus, quod alias pluries ordinatum fuit, ut bis in die post completorium, vesperas et matutinas tempore hyemis aut post nonam tempore aestatis, habeatur in choro communiter mentalis oratio per dimidiae saltem singulis vicibus horae spatium vel circa. Idque prioribus tam provincialibus quam conventualibus sub poena absolutionis a suis officiis, ut servari omnino faciant, districte iniungimus. Consuetudinibus tamen provinciarum, quae saluberrimo huic exercitio, longiori temporis spatio, vacare consueverunt, prorsus inviolatis.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, sacram illustrissimorum dd. cardinalium congregationem rituum, primo quidem sub die 25. aprilis 1608, quod subinde s. d. n.

Paulus papa V. approbavit, statuisse et decrevisse, ut bonae memoriae frater Ludovicus Bertrandus, nostri ordinis provinciae Aragoniae in posterum beatus vocari possit et valeat, deque ipso in civitate et regno Valentiae officium et missa, sicut de uno beato confessore non pontifice, die, quo eius obitus solemnis memoria celebratur, singulis annis, videlicet 19. octobris a fratribus et monialibus nostri ordinis recitari et celebrari possit et valeat; est autem decretum infrascripti tenoris:

Valentin.

Dominicus episcopus Ostien., sacri collegii decanus, S. R. E. cardinalis Pinellus, universis et singulis praesentes inspecturis, lecturis et audituris salutem in Domino sempiternam.

Cum ob excellentiam et sanctitatem vitae bonae memoriae fratris Ludovici Bertrandi Valentini ordinis praedicatorum, atque ob miraculorum corruscationem, quae omnipotens et misericors Deus, praeter consuetum naturae usum, eius meritis et intercessione, tam dum viveret, quam post eis felicem in Domino obdormitionem operari dignatus est, serenissimus Philippus III. Hispaniarum rex catholicus, regnum Valentiae, necnon universus praedicatorum ordo s. d. n. Paulo papae V. humiliter et iteratis precibus supplicaverint, ut ad conservandam et augendam populorum devotionem, quae maxima ubique existit et praecipue in corona Aragoniae erga ipsum bonae memoriae fratrem Ludovicum ob innumeras eius meritis receptas a Deo gratias, quas specialiter et peculiariter, ipsemet serenissimus rex catholicus se accepisse fatetur, sanctitas sua dignaretur concedere, ut donec dictus bonae memoriae frater Ludovicus in sanctorum numerum referatur, beatus nuncupari possit et debeat, ac de eo, veluti de beato festum celebrari et missa atque officium recitari liceat, tanquam de uno confessore non pontifice in corona Aragoniae et per universum ordinem praedicatorum; et cum idem s. d. n. negotium hoc mature discutiendum et examinandum ad sacram Rituum congregationem remiserit, in qua processus legitime et auctoritate apostolica confecti, de vitae sanctitate, puritate fidei, ac miraculorum corruscatione, eiusdem bonae memoriae fratris Ludovici praesentati fuerunt et diligenter ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Seraphino, de eiusdem congregationis ordine examinati, quorum etiam compendium sive summarium, per manus singulorum dd. cardinalium eiusdem congregationis transmissum fuit. Audita tandem relatione praedicti illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis Seraphini de praemissis facta in eadem congregatione, die 19. praesentis mensis aprilis, cum ex dictis processibus satis et abundantissime constet de puritate fidei, sanctitate vitae, miraculorumque operatione eiusdem bonae memoriae fratris Ludovici Bertrandi, ita ut etiam ex eisdem posset ad actualem canonizationem deveniri, ea-

dem sacra Rituum congregatio censuit, si s. d. n. placuerit, ut ipse frater Ludovicus in posterum beatus nuncupari possit et valeat, deque ipso, tanquam de beato, in civitate et regno Valentiae officium et missa, sicut de uno confessore non pontifice anniversario eius obitus die a fratribus et religiosis utriusque sexus eiusdem ordinis licite ac libere recitari possit et valeat. Et idem s. d. n. Paulus papa V. audita super praemissis omnibus relatione, eidem in consitorio secreto a nobis facta, die infrascripto, annuit, sententiamque congregationis approbavit, ac indulsit et concessit, ut de beato Ludovico Bertrando in civitate et regno Valentiae, in omnibus monasteriis et ecclesiis fratrum atque monialium eiusdem ordinis praedicatorum, ab ipsis fratribus et monialibus, die decima nona mensis octobris, quo die eius obitus solemnis memoria celebratur, singulis annis officium et missa de communi unius confessoris non pontificis, secundum ritum et consuetudinem sui ordinis recitari et celebrari libere et licite possit et valeat.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentes per infrascriptum, eiusdem congregationis secretarium fieri iussimus et manu nostra propria subscripsimus, nostrique soliti sigilli appensione muniri fecimus. Romae in palatio nostrae solitae residentiae die vigesima prima mensis aprilis 1608 pontificatus vero eiusdem s. d. n. Pauli divina providentia papae V. anno tertio.

Dominicus episcopus Ostien. card. Pinellus.

I. P. Mucantius secretarius congregationis.

Deinde vero sub die 25. octobris 1610 alio decreto eiusdem sacrae congregationis, a s. d. n. Paulo V. similiter confirmato, praefatam concessionem, civitati et regno tantum Valentiae prius factam, extensam fuisse ad totum ordinem praedicatorum per universum orbem et in civitate Valentiae etiam ad omnes seculares et regulares, ut qui voluerint, de praed. beato Ludovico officium recitare et missam celebrare sive audire, libere et licite possint et valeant. Est autem huiusmodi extensionis decretum infrascripti tenoris videlicet:

Valentin.

Dominicus episcopus Ostien., sacri collegii decanus, S. R. E. cardinalis Pinellus, universis et singulis praesentes inspecturis, lecturis et audituris salutem in Domino sempiternam.

Cum ob excellentiam fidei, sanctitatem vitae, et miraculorum coruscationem piae memoriae fratris Ludovici Bertrandi Valentini ordinis praedicatorum, et totius regni Valentiae populorum erga illum devotionem, venerationem et concursum ad eius sepulchrum, instante serenis-

simo Philippo III. Hispaniarum rege catholico et regno Valentiae ac universo praedicatorum ordine s. d. n. Paulus papa V. in sacra nostra Rituum congregatione examinari iusserit processus auctoritate apostolica rite et recte confectos super vita, miraculis et devotione populi erga dictum fratrem Ludovicum Bertrandum, nostraque de contentis in dictis processibus audita summaria relatione eiusdem nostrae congregationis sententiam approbaverit, confirmaverit et laudaverit ac concesserit et indulserit, ut in posterum dictus fr. Ludovicus beatus nuncupari possit et valeat, deque eo, tanquam de uno confessose non pontifice in civitate et regno Valentiae tantum ab omnibus fratribus et religiosis utriusque sexus ordinis praedicatorum, in eorum monasteriis et ecclesiis officium et missa de communi unius confessoris non pontificis, secundum ritum et consuetudinem eiusdem ordinis libere et licite recitari possit et valeat, ut in dictae nostrae congregationis decretis et in nostris desuper expeditis literis patentibus sub die 21. mensis aprilis 1608 latius continetur. Cum autem in dies magis ac magis devotio populi christiani erga dictum beatum Ludovicum Bertrandum augeatur non solum in civitate et regno Valentiae, sed per totum etiam orbem in universa religione dominicana ac maior quotidie fiat et crescat ex universa Hispania et remotis etiam provinciis concursus populi ad eius sepulchrum, ob innumeras et magnas gratias, quas Deus fidelibus suis ipsius beati Ludovici meritis et intercessione concedere non dedignatur, idem serenissimus Philippus III. Hispaniarum rex catholicus et per litteras et per suum in Urbe oratorem et totum regnum ipsum Valentiae et universus dominicanae religionis ordo, necnon etiam serenissimus Flandriae princeps, iteratis precibus apud eundem s. d. n. institerint, ut dignaretur indulgere et concedere, ut gratia concessa fratribus et religiosis utriusque sexus ordinis praedicatorum in regno Valentiae tantum, ut de dicto beato Ludovico officium recitare possint et valeant, extendatur per universum ordinem praedicatorum ubique terrarum et concedatur, ut in regno Valentiae, non tantum dominicani, sed etiam omnes alii presbyteri et clerici saeculares et regulares et quicumque utriusque sexus viri et mulieres voluerint, officium ut supra de beato recitare et missam celebrare sive audire possint. Et cum hoc etiam idem s. d. n. in eadem nostra congregatione Rituum examinari iusserit, die 19. praesentis mensis octobris illustrissimi et reverendissimi domini mei collegae una mecum congregati, visis eiusdem Philippi III. Hispaniarum regis catholici literis et instantiis factis nomine totius regni Valentiae et universae religionis dominicanae ac principum Flandriae, censuimus, si s. d. n. placuerit, ut gratia praedicta possit extendi per universam religionem dominicanam in toto orbe terrarum et posse concedi in civitate tantum Valentiae, ubi dicti beati Ludovici cor-

pus requiescit, ut omnes utriusque sexus viri et mulieres et religiosi regulares et saeculares possint de dicto beato officium recitare et missam celebrare vel audire. Et facta per nos de praedicta nostrae congregationis sententia relatione eidem s. d. n. in consistorio secreto hac die infrascripta, sanctitas sua annuit et sententiam congregationis laudavit et approbavit ac concessit et indulsit, ut de dicto beato Ludovico per universum orbem a fratribus et religiosis utriusque sexus ordinis praedicatorum officium et missa recitari et celebrari possit et valeat, et in civitate Valentiae etiam ab omnibus saecularibus et regularibus, qui voluerint dictum officium ut supra recitare, missam celebrare sive audire, libere et licite possint et valeant.

In quorum omnium et singulorum fidem ac testimonium praesentes per infrascriptum eiusdem congregationis secretarium fieri iussimus, manu nostra propria subscripsimus, nostrique soliti sigilli impressione muniri fecimus. Romae in palatio nostrae solitae residentiae die 25. mensis octobris 1610 pontificatus vero eiusdem s. d. n. Pauli divina providentia papae V. anno sexto.

Dominicus episcopus Ostien. card. Pinellus.

I. P. Mucantius secretarius congregationis.

Denuntiamus consimili decreto illustrissimorum dd. cardinalium congregationis sacrorum rituum, quod ab eodem sanctissimo d. n. Paulo papa V. approbatum est, concessum fuisse, ut in civitate Tifernaten. in ecclesia, ubi b. Margaritae de Castello nostri ordinis venerabile corpus sepultum est, possit de ea tamquam de beata festum cum officio et missa de communi unius virginis celebrari. Est autem decretum infrascripti tenoris.

Tifernaten.

Dominicus episcopus Ostiensis, sacri collegii decanus, S. R. E. cardinalis Pinellus, congregationis sacrorum rituum praepositus, universis et singulis praesentes inspecturis, lecturis et audituris salutem in Domino sempiternam. Cum ad instantiam rev. p. generalis et totius ordinis praedicatorum s. Dominici, reverendissimi d. episcopi ac canonicorum cathedralis ecclesiae et magistratus, civium et incolarum civitatis Tifernaten. iteratis precibus apud sanctissimum d. n. Paulum papam V. institutum fuerit, ut dignaretur concedere et indulgere, ut in honorem beatae Margaritae virginis, tertiariae, professae ordinis praedicatorum sancti Dominici, quae anno Domini 1287. ex honestis parentibus orta in oppido Metulae Massae Trebariae Tifernaten. dioc. per annos tres et triginta, quibus vixit, in virginitate semper permansit et puritatem coluit, ac multis

miraculis claruit, tam in vita, quam post mortem, et post eius felicem in domino obdormitionem, quae fuit die 13. aprilis anno domini 1320 eius corpus in ecclesia sancti Dominici in eadem civitate Tifernaten. sepultum fuit et adhuc post 300. fere annos integrum et incorruptum asservatur cum maximo populi eiusdem civitatis et vicinorum locorum concursu et devotione, officium et missa de communi unius virginis a fratribus dictae religionis, tam in dicta civitate, ubi eius corpus sepultum est, quam in universa praedicatorum religione libere et licite recitari et celebrari possit et valeat. Et cum ab eodem sanctissimo d. n. papa negotium hoc ad sacram rituum congregationem, ut in ea examinaretur, remissum fuerit et ab eadem sacra congregatione commissum illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Bellarmino, qui semel atque iterum visis diligenter antiquis et modernis scripturis, de vitae integritate, puritate fidei et miraculis dictae beatae Margaritae tam in vita quam post eius mortem et continuatae opinionis sanctitatis et miraculorum usque in praesentem diem, eiusdem beatae, tandem in eadem sacra rituum congregatione habita die 24. augusti 1609 retulit, ex deductis satis constare de ipsius beatae Margaritae sanctitate et miraculis et censere gratiam petitam posse concedi fratribus eiusdem religionis, saltem in dicta civitate Castelli seu Tifernaten. ubi eius venerabile corpus sepultum est, et illustrissimi et reverendissimi domini cardinales in eadem congregatione praesentes eiusdem sententiae fuerunt, nempe posse concedi, si sanctissimo d. n. placuerit, ut in civitate tantum Tifernaten. et in ecclesia s. Dominici, ubi dictae beatae Margaritae corpus adhuc integrum et intactum sepultum est et magna totius populi devotione et concursu colitur et in veneratione habetur, possit eius festum in die felicis eius obdormitionis in domino cum officio et missa de communi unius virginis in honorem ipsius beatae Margaritae celebrari, et sanctissimus d. n. audita congregationis sententia per maturam relationem, hac infrascripta die, sanctitati suae in consistorio secreto factam, annuit et concessit, ut in civitate tantum Tifernaten. et in ecclesia, ubi dictae beatae Margaritae corpus sepultum est, possit de ea, tamquam de beata, festum cum officio et missa de communi unius virginis celebrari. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes per infrascriptum nostrae praefatae congregationis secretarium fieri iussimus, manu nostra subscripsimus et nostri soliti sigilli impressione muniri fecimus. Datum Romae, in palatio nostrae solitae residentiae, die 19. mensis oct. 1609.

Dominicus episcopus Ostien. card. Pinellus.

I. P. Mucantius secretarius congregationis.

Denuntiamus etiam, ab eodem sanctissimo d. n. Paulo papa V. apostolicam constitutionem emanasse pro institutione exercitii linguarum Hebraicae, Graecae, Latinae et Arabicae, quae constitutio est infrascripti tenoris:

Paulus episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolicae servitutis onere infirmitati nostrae a Domino, inscrutabili consilio eius, imposito assidue admonemur, sapientibus et insipientibus constitutos nos esse debitores; ut scilicet per ministerium nostri apostolatus, qui sapiunt, quod sanctus docet Bernardus, non desipiant, qui non sapiunt, sapiant et qui desipuerunt, resipiscant: quibus verbis instrui nos satis perspicimus, ut fideles in fide et charitate conservare, infideles ab infidelitatis tenebris educere et haereticos ac peccatores a perversitate erroris ac servitute peccati liberare, aspirante gratia Dei, a quo omnis sapientia, pastorali solicitudine procuremus. Cum vero praeceptum Domini lucidum illuminet oculos ac testimonium eius fidele sapientiam praestet parvulis, omni vigilantia procurare debemus, ut praedicatores et doctores verbi Dei ad opus Dei operandum instructi reddantur in dies magis et partes suas, quantum in Domino fieri potest, ad gloriam eius et utilitatem animarum, quotidie melius et felicius adimpleant. Cui rei plurimum conducere satis constat linguarum cognitionem, Hebraicae praesertim, Graecae, Latinae et Arabicae; haec enim conversioni infidelium opportunissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut Arabice loquitur, aut intelligit; ac si unquam reliquarum trium linguarum notitia in ecclesia Dei utilis fuit, diebus nostris profecto utilissima est; hostis enim humani generis linguarum scientia, singulari dono Dei hominibus tradita, ad ipsius largitoris contumeliam et fidei suae catholicae detrimentum, nunc ut cum maxime abutitur. Quamobrem fel. rec. Clementis papae V. praedecessoris nostri, quantum conditio temporis patitur, vestigiis insistentes, motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut in cuiuscunque ordinis et instituti regularium, tam mendicantium, quam non mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum et apostolicae sedi immediate subiectorum studiis omnibus trium linguarum huiusmodi, Hebraicae videlicet, Graecae et Latinae, in maioribus vero ac celebrioribus etiam Arabicae doctores, regulares quidem et eiusdem ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, saeculares aut alterius ordinis regulares, qui illas actu et diligenter doceant, habeantur, si studia in urbibus et locis existunt, ubi linguarum praedictarum peritos conducendi facultas est; stu-

diis vero locorum, ubi huiusmodi doctores desunt, cum primum in aliis studiis, ubi linguae huiusmodi docebuntur, scholares tantum profecerint, ut docendis aliis idonei sint, de iisdem scholaribus provideatur. Quod ut citius et facilius fieri possit et sperati fructus ex linguarum huiusmodi studio appareant, omnibus et singulis regularium superioribus sub indignationis nostrae poena, eadem auctoritate, tenore praesentium praecipimus et mandamus et si ipsi negligentes fuerint, eorumdem ordinum regularium apud nos et sedem apostolicam protectoribus iniungimus, eorum conscientias desuper onerantes, ut omni cura et solicitudine quanto citius provideant, ut scholae linguarum huiusmodi quamprimum instituantur ac doctores praedicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus scholares assignentur, qui illis sedulam et assiduam operam navent. Hi vero scholares, ut alacrius huic studio incumbant, volumus et decernimus, ut in promotione ad doctoratus gradus et ad alios sui ordinis honores, illi caeteris paribus praeferantur, qui in cognitione trium saltem linguarum praedictarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti sint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis universitatibus, illarumque rectoribus ac ordinibus praedictis et illorum superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum sanctionis, statuti, ordinationis, praecepti, mandati, iniunctionis, onerationis, voluntatis, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Marcum pridie kalendas augusti anno incarnationis dominicae MDCX. pontificatus nostri anno sexto.

M. card. Nazarenus Prodat.

S. Cobellutius.

Registrata apud Scipionem secretarium.

Anno a Nativitate D. N. Iesu Christi 1610 indict. 8. pontif. s. d. n. d. Pauli divina providentia papae quinti anno eius sexto, die vero 28.

mensis septembris, retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas cam. apost. et in acie Campi Florae per nos Bernabeum Politum et Brandimartem Latinum sanctissimi d. n. papae cursores etc.

Idcirco praecipimus rr. pp. prioribus tam provincialibus, quam conventualibus eorum praesertim conventuum, in quibus artium et s. theologiae studia vigent et copiosus satis novitiorum vel studentium numerus habetur, ut post quatuor menses ad summum a praesentium publicatione praefatam apostolicam constitutionem, iuxta eius tenorem, sub poena absolutionis a suis officiis executioni mandent et perpetuo observari curent.

Ordinationes.

1. Quoniam ab antiqua illa patrum nostrorum pia et grata in b. Dei genitricem, ad quam in necessitatibus, velut ad asylum quoddam tutissimum, maiores nostri nec umquam frustra confugere consueverunt, devotione et assiduo cultu videmur non parum recessisse, officio eius quotidiano, haud multis ab hinc annis, tot festis duplicibus et supra multiplicatis, pene ex choro et dormitoriis nostris eliminato; ideo ne indecens, noxiusque huiusmodi abusus inter tot ingruentia, quibus praemimur, mala latius serpat neque ingrati ac degeneris animi in posterum arguamur, ordinamus, ut propter quaelibet festa duplicia vel supra, quae a populo non celebrantur, officium beatae Virginis quotidianum, in choro quidem diurnum, in dormitoriis vero nocturnum, iuxta priscum patrum nostrorum morem ac pietatem non omittatur, sed inviolato antiquo ordinario ordinis nostri, quo decernitur, dictum officium intermitti in choro debere, quibusdam diebus atque temporibus, inter illa duplicia et supra, quibus intermitti debet dictum beatae Virginis quotidianum officium, non numerentur, quae non sunt ipsius beatae Virginis, apostolorum, evangelistarum, sancti Ioannis Baptistae, s. Annae, s. Mariae Magdalenae, sanctae Marthae, sex ss. doctorum ecclesiae, sanctorum ordinis nostri et eorum, qui religiones fundarunt, patronorum cuiusque loci et illorum, quae solemniter celebrantur a populo. Hortantes etiam omnes ac singulos fratres nostros quomodolibet a choro absentes, ut similiter recitent, tum ut se communitati conforment, tum ut indulgentias consequantur a fel. rec. Pio papa V. concessas.

2. Ordinamus etiam, ut memoria sancti patris nostri Dominici in posterum non omittatur in officio quotidiano b. Virginis, etiamsi officium de eodem fiat in choro; utque post salve Regina ad omnes horas, praeterquam ad completorium, subiungantur antiphona: Pie pater Dominice etc. ℣. Post partum, etc. ℣. Ora pro nobis pater Dominice, etc. ℣. Fiat pax etc. cum collectis consuetis.

3. Ut ampliori ea, qua non solum animo, sed et corpore possumus, reverentia augustissimum eucharistiae sacramentum a nobis tractetur, ordinamus, ut in sacra missa deinceps, facta consecratione, tum ante et post elevationem tam hostiae quam calicis, tum etiam quotiescumque tantum sacramentum manu tractandum venit, sacerdos ante eius acceptionem et post eius depositionem singulis vicibus, omissa profunda venia, genua flectat.

4. Cum inter omnia religionis officia, sicut utilissimum, ita et laboriosissimum sit, magistrum agere novitiorum, a quo tota iuventutis bona educatio pendet, quod tantum exigit laboris, charitatis, religionis, maturitatis atque prudentiae, ut nullus facile semetipsum sufficientem ad tale munus existimet, non raro contingit, ut ii, qui a superioribus ad id idonei iudicantur, tale officium exercere praetextibus variis recusent; quo fit, ut operariorum penuria, novalia haec ordinis nostri, non ita, ut par est, diligenter excolantur. Quare operae pretium existimavimus, ut propositis praemiis idonei viri ad huiusmodi officium exercendum alliciantur et ab eodem recusando poenis absterreantur. Ordinamus igitur, ut posthac magistri novitiorum, qui sex saltem habebunt suae curae commissos clericos novitios sive professos sive simplices, quamdiu illud exercebunt officium, sint patrés a consiliis, exempti ab officiis hebdomadariae, teneantque locum in suis conventibus immediate sub baccalaureis, aut ubi baccalaurei locum non habent, immediate post suppriorem; si vero ipse magister novitiorum fuerit baccalaureus, teneat locum in suo conventu super omnes alios baccalaureos, quem locum et loca, si in ipso officio laudabiliter et utiliter perseveraverint per decennium, cuius saltem quadriennium sit continuum, in posterum semper teneant in tota sua provincia. Inter se vero magistri novitiorum locum teneant secundum ordinem professionis.

Huiusmodi novitiorum magistri designentur a diffinitorio capituli provincialis vel intermedii, quod eandem omnino habeat facultatem; qui sint aetatis quadraginta vel ad minus triginta quinque annorum, pluresque designari debebunt, quam tunc necessitas exposcat, ut si forte alicubi providendum fuerit, possit ex designatis aliquis ad petitionem patrum conventus indigentis provideri; qui vero ita designati officium praefatum exercere recusaverint, sint perpetuo inhabiles ad officium prioratus, magistris in theologia, patribus provinciae, lectoribus et praedicatoribus actu legentibus et praedicantibus tantum exceptis. Interim, si a publicatione huius ordinationis intra tres vel quatuor menses non sit celebrandum capitulum provinciale et conventus aliquis magistro novitiorum indigeat, conveniant patres conventus et, de consilio atque approbatione prioris provincialis, nominent optimum ad hoc officium exercendum. Quam or-

dinationem, quoad locum post suppriorem et baccalaureos in provinciis Bethicae et Poloniae, locum habere volumus tantum in illis conventibus, qui habent studium artium et theologiae.

5. Ordinamus et hoc a lectoribus tam artium quam theologiae inviolabiliter observari volumus, ut in legendo textum ipsum sive Aristotelis sive sancti Thomae non summarie vel confuse, sed distincte et dearticulate declarent et exponant, rationem habentes, non solum sententiae, sed et ordinis atque connexionis textuum, et haec eadem a discipulis suis exigant in examinibus et conferentiis et memoriae tradi curent.

6. Ordinamus et alias pluries ordinatum confirmamus et praecipimus omnibus et singulis sacrae theologia magistris, baccalaureis, lectoribus et praedicatoribus, ut in suis lectionibus, disputationibus, decisionibus, praedicationibus aut compositionibus numquam recedant a solida angelici doctoris nostri sancti Thoma doctrina, eamque non solum in sententia, sed in proprietate quoque verborum ubique referre ac tueri conentur. Qui contrafecerint, priventur gradibus et poenae gravioris culpae subiiciantur.

7. Ordinamus et ordinando praecipimus omnibus praesidentibus tam provinciarum et congregationum quam conventuum et locorum, ut in posterum fratres nostri non mittantur ad quasvis scholas, collegia sive studia, etiam generalia, quae non sint ordinis nostri, sed iuxta qualitatem et facultatem provinciarum deputentur conventus, in quibus instituantur seminaria seu scholae secundum exigentiam iuventutis instruendae, et si lectoribus idoneis careat ipsa provincia, procurentur ex alia.

8. Ordinamus, ut priores conventuum de rebus alicuius momenti in suis conventibus occurrentibus admoneant suum provincialem singulis mensibus, provinciales autem scribant de rebus gravioribus, quae in suis provinciis accidunt, ad magistrum ordinis; qui in Europa sunt sexies saltem in anno, qui autem in remotioribus Indiarum partibus toties, quoties sibi commoditas sese offert literas transmittendi, etiam duplicatas.

9. Ordinamus, ut iuxta decreta sedis apostolicae, alias promulgata, praescribatur in unoquoque conventu a provinciali de consilio graviorum patrum, iuxta facultatem redituum et copiam eleemosynarum ordinarie oblatarum, numerus determinatus fratrum, qui debeant manere et ali in illo conventu, nec possit provincialis plures ibidem assignare, ne gravetur debitis; nec priores se difficiles exhibeant ad taxatum numerum sustentandum, ne bona, quae possent prodesse pluribus, a paucioribus exhauriantur; in provinciis vero desolatis, quae non habent numerum fratrum requisitum, fiat omni meliori modo et sincere ac fideliter, meminerintque tam provinciales quam priores conventuum se pro anima-

bus fratrum bonisque ordinis perperam administratis strictissimam Deo reddituros esse rationem.

10. Ordinamus ad cavendas omnes fraudes in electionibus tam priorum quam sociorum pro capitulo provinciali, ut non fiant assignationes dolosae ac fictitiae, sed ad illos tantum pertineat electio, qui realiter et bona fide sunt in illo conventu assignati et in eodem, saltem per duos menses, realiter et bona fide conventui inservientes ante electionem permanserunt. Qui autem elegerunt socium in uno conventu, eodem anno non habeant vocem ad eligendum socium in quovis alio conventu, et si secus factum fuerit, electio nulla sit. In conventibus autem, ubi non sunt ad minus sex vocales, non eligatur socius illo anno pro capitulo provinciali, si autem a minori numero, quam sex vocalium debeat eligi prior, nullo modo eligatur de corpore capituli, sed ab extra.

11. Ordinamus, ut in omnibus provinciis, in quibus diffinitores capituli provincialis eliguntur per nationes, examinatores scrutiniorum patrum vocalium electorum pro capitulo provinciali eligantur etiam per nationes a patribus provinciae tantum; qui scrutatores in natione patris provincialis proponantur ab eodem provinciali, in aliis autem nationibus a patribus magistris antiquioribus secundum professionem ; in provinciis vero, in quibus diffinitores non eliguntur per nationes, praefati examinatores scrutiniorum proponantur a patre provinciali seu vicario generali provinciae, de consilio patrum provinciae ; praecipientes omnibus tam praelatis quam subditis sub poena privationis vocis activae et passivae, ne quicquam in contrarium attentare audeant, quacumque consuetudine non obstante. In provincia tamen Lombardiae nihil propter hanc ordinationem volumus innovari.

In provincia Hispaniae.

Pro communi bono religionis, pacis et studiorum auctoritate apostolica, a sanctissimo d. n. Paulo papa quinto super hoc specialiter concessa, et nostra statuimus, decernimus et ordinamus, ut in praefata nostra Hispaniae provincia priorum provincialium electiones in posterum alternative fiant hoc modo, videlicet, quod cum modernus dictae provinciae prior provincialis sit ex filiis conventus sancti Pauli Vallisoleti, in primo futurae electionis provinciali capitulo eligatur ex filiis conventus sancti Stephani Salmanticensis, in secundo ex filiis reliquorum conventuum, in tertio ex filiis praefati conventus sancti Pauli Vallisoletani et sic deinceps in perpetuum, dummodo ad id munus obeundum digni et habiles in dictis conventibus inveniantur et non aliter. Quod si secus factum fuerit, praesenti decreto ex nunc pro tunc totum irritum, cassum et nullum fore decernimus et declaramus.

Confirmamus concessionem in capitulo generali Romae celebrato

anno 1608 factam collegio et studio nostro generali s. Gregorii Vallisoletani, ut in eo possint suscipi omnes gradus, tam praesentaturae quam magisterii, ad eum prorsus modum et formam, qua in aliis studiis generalibus provinciae nostrae Hispaniae recipiuntur, nec teneantur graduandi plures actus exercere, quam in aliis studiis generalibus eiusdem provinciae fieri consuevit.

Eandem gratiam concedimus conventui sanctae Mariae de Atocha et studio in eo constituto, quod erigimus in studium generale, ita ut in illo suscipi possint omnes gradus cum eadem solemnitate, eisdem et non pluribus actibus, quibus suscipiuntur in praefato collegio Vallisoletano.

Approbamus et confirmamus declarationem factam a reverendissimo patre nostro generali pro provincia Hispaniae, quod patres vocati in congregatione, loco capituli intermedii, possint eligere diffinitorem capituli generalis, quando non fuit electus in capitulo provinciali, qui gaudeat loco, privilegiis et gratiis, quibus gaudere solent electi ad hoc officium in capitulo provinciali.

Confirmamus omnes gradus a reverendissimo magistro ordinis in eadem provincia concessos.

Promovemus ad gradum praesentaturae rr. pp. fr. Gregorium de Torres, sacrae theologiae in conventu nostro sanctae Mariae de Trianos lectorem, qui in hoc capitulo generali conclusiones pro sua provincia honorifice sustinuit.

Fr. Benedictum de Lorenzana priorem conventus nostri sancti Dominici Legionensis.

Fr. Ludovicum Pinto lectorem primarium sacrae theologiae et regentem collegii nostri Complutensis.

Fr. Ambrosium de Torres sacrae theologiae lectorem primarium nostri conventus sanctae Crucis de Carboneras.

Fr. Franciscum de Vivero (1) praedicatorem generalem et concionatorem ordinarium serenissimi archiducis Alberti, comitis Flandriae.

Tolosanae.

Concedimus huic provinciae ad sui petitionem, ut nullus in ea promoveatur ad baccalaureatum, qui saltem per tres annos non studuerit sacrae theologiae; et ne quis promoveatur ad magisterium, nisi legerit et docuerit et officio regentis functus fuerit in ipsa provincia et ut nullus baccalaureus Parisiensis fruatur privilegiis lecturae sententiarum illius universitatis, si in alia universitate lauream doctoralem susceperit.

Praecipimus rev. p. provinciali huius provinciae, ut omnino provi-

(1) De fr. Francisco de Vivero cf. SSOP. II, 465.

deat, ne moniales alterius ordinis morentur in monasteriis sororum ordinis nostri et, si quae fuerint huiusmodi, rite et honeste quantocius amandentur.

Approbamus translationem monasterii s. Ludovici Villemuris a civitate haeretica ad civitatem catholicam castelli Saraceni.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis Verniani, fr. Benedicti Vasquerii et fr. Menaldi Rabeau, quae in capitulo generali per reverendissimum magistrum ordinis concessa sunt.

Approbamus baccalaureatus rr. pp. fr. Bernardi Abraham et fr. Blasii Blandini.

Instituimus patrem a consiliis fr. Bernardum Pingues pro conventu s. Severi; cui concedimus, ut eodem fruatur privilegio in aliis eiusdem provinciae conventibus, quando fuerit in illis assignatus.

Franciae.

Annuentes voto et donationi nobilis dominae Ioannae Cheurier Divionensis, acceptamus ad gratias et privilegia ordinis sanctimoniales illas civitatis Divionensis, quae nomen eidem sacro ordini dederunt et dare constituerunt, ea ratione ut perpetuam clausuram teneant, nec umquam exire possint, aut extraneas personas intromittere, nisi in casibus a iure permissis; communitatem servent et regulam, constitutiones, acta capitulorum diligenter et stricte observent et visitationi provincialis Franciae subiaceant; cum his etiam conditionibus, ut considerato reditu annuo, pro primo ingressu recipiantur duodecim virgines moniales et quatuor conversae. Et in posterum iuxta modum facultatum augeatur numerus monialium, computando quod sint quadraginta saltem aurei annui pro qualibet moniali, ita ut quaelibet afferat secum dotem sexcentorum saltem aureorum, qui quidem faciant annuos reditus circiter quadraginta aureorum.

Promovemus et acceptamus ad gradum magisterii rev. p. fr. Ioannem Croisier Tullensem, sacrae theologiae licentiatum et socium diffinitoris Franciae.

Approbamus baccalaureatum fr. Antonii Bruni in universitate Parisiensi.

Lombardiae.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Lucae Castellini Faventini (1), socii admodum rev. p. vicarii generalis et procuratoris ordinis,
fr. Pauli de Callio provincialis provinciae nostrae Calabriae,
fr. Baptistae de Placentia provincialis provinciae nostrae s. Thomae,
fr. Benedicti Rotae de Mantua inquisitoris Casalensis,

(1) De fr. Luca Castellino cf. SSOP. II, 471.

fr. Seraphini de Callio inquisitoris Faventini,
fr. Iacobi de Argenta inquisitoris Ariminensis,
fr. Alexandri de Polesino inquisitoris Placentini,
fr. Maximi de Bozzolo inquisitoris Papiensis,
fr. Ioannis Mariae de Soncino inquisitoris Parmensis,
fr. Hieronymi Medices (1) inquisitoris Mantuani,
fr. Vincentii Iustiniani de Genua,
fr. Ludovici Gentilis de Novis,
fr. Basilii Spinulae de Genua (2),
fr. Ioannis Mariae Florenii de Bononia,
fr. Lactantii Cirioli de Cremona,
fr. Ioannis Dominici Rovarini de Papia (3).

Romanae.

Ordinamus ad ipsius petitionem, ut praedicatorum generalium vocem in provincia habentium numerus non excedat duodenarium in futurum; et quod in posterum praedicti praedicatores generales voce gaudentes acceptentur a maiori parte patrum provinciae, sicut in capitulo Vallisoletano ordinatione 34. ad petitionem ipsius provinciae statutum fuit de acceptatione magistrorum.

Ordinamus et districte praecipimus, ut ordinationes, quae in provincia nostra Romana hucusque servatae et a reverendissimo patre nostro magistro generali ordinis confirmatae sunt, inviolabiliter observentur; videlicet, quod nullus unquam in dicta provincia fiat lector nec artium nec sacrae theologiae neque hoc titulo gaudeat, nisi ante per totum tempus ab ordinationibus nostri Romani collegii s. Thomae praescriptum in eodem collegio collegialis extiterit et a moderatoribus eiusdem iuxta formam ibidem praescriptam examinatus et approbatus fuerit publicasque conclusiones impressas sustinuerit, iis tantum exceptis, qui in studiis nostris generalibus provinciarum utriusque Lombardiae et Hispaniarum integro triennio studentes formales sacrae theologiae extiterint et a rr. pp. moderatoribus dictorum studiorum, praemisso examine, ad lectoris munus obeundum idonei reperti et approbati fuerint; super quibus eorumdem patrum moderatorum conscientiam aggravamus. Nec ullo pacto lectores ex studio nostro generali Perusino educantur neque ibidem ad lectoratus officium examinentur. Item quod nullus fiat collegialis neque admittatur in dicto collegio nisi sacerdos et prius studens formalis fuerit et per tempus ab ordinationibus praedictis statutum in dicto studio no-

(1) De fr. Hieronymo Medices cf. l. c. pag. 425.
(2) De fr. Basilio Spinula cf. l. c. pag. 447.
(3) De fr. Ioanne Dominico Rovarino cf. l. c. pag. 408.

stro Perusino realiter permanserit. Item quod examinatores, ad quos collegialium et lectorum examina, necnon consultatio negotiorum dicti collegii pertineant, sint admodum rev. p. provincialis Romanus et rr. pp. regens collegii, prior conventus sanctae Mariae super Minervam, baccalaureus ordinarius, magister studentium, primus lector artium et ii tantum patres magistri, qui per aliquot annos in eodem collegio sacram theologiam praelegerint, et si Romanae provinciae fuerint, in eadem pro magistris acceptati sint ; quod si secus factum fuerit, quam in praefatis ordinationibus sancitum est, totum irritum sit et inane. Et ne de caetero haec eadem in controversiam vertantur, praesenti decreto super his omnibus ac singulis perpetuum silentium imponimus.

Damus in regentem nostri generalis studii Perusini in eadem provincia rev. p. fr. Franciscum Caesium magistrum.

In baccalaureum ordinarium r. p. fr. Seraphinum Loium mag.

In magistrum studentium pro anno 1611 et 1612 rev. p. fr. Thomam Goliam, pro anno vero 1612 et 1613 rev. p. f. Sincerum Guerrerium.

Approbamus in et ab eadem provincia iam acceptata magisteria rr. pp. fr. Thomae Marini, socii reverendissimi patris nostri magistri ordinis et huius diffinitorii capituli generalis secretarii, et patris fratris Hyacinthi Petronii, baccalaurei ordinarii collegii praefati conventus nostri sanctae Mariae super Minervam, cum voce, loco et omnibus aliis gratiis et privilegiis aliorum magistrorum in eadem provincia acceptatorum.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Alberti Campani, fr. Vincentii Candidi provincialis provinciae nostrae Siciliae, fr. Basilii Mazzae, fr. Michaelis Arrighi, fr. Gabrielis Nari, fr. Benedicti Herculani (1), fr. Nicolai Tinnuli, fr. Laurentii Monsacrati, fr. Dominici Mannii, fr. Zenobii Acciaiolii, fr. Hieronymi Verdelii, fr. Francisci Orsucii (2) et baccalaureatum r. p. fr. Thomae Burlamacchii et tempus quo officium magistri studentium exercuerunt rr. pp. fr. Thomas Mancinus et fr. Modestus Almonius.

Pro conventu s. Dominici de Senis.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Andreae de Senis nostri conventus sancti Dominici de Senis.

Regni.

Declaramus vicarium admodum rev. p. provincialis non posse assignationes fratrum de uno conventu ad alium facere, quamdiu ipse provincialis est praesens in provincia.

Ordinamus in eadem provincia ad sui petitionem, ut numerus prae-

---

(1) De fr. Benedicto Herculani cf. SSOP. II, 402.

(2) De fr. Francisco Orsucio cf. l. c. pag. 559.

dicatorum generalium non possit excedere numerum conventuum eiusdem provinciae.

Concedimus etiam, ut quando in electionibus canonicis electores petunt quartum scrutatorem, debeat eligi per vota publica, sicut sit in aliis provinciis.

Praecipimus sub poena reverendissimo magistro ordinis arbitraria tam provinciali dictae provinciae quam prioribus conventuum sanctissimi Rosarii de Neapoli, Aversae, Capuae, Suessae, Caietae, Pedemontis, Angriae, sancti Severini, Campaniae, Salerni, Avellini, Atripaldae et Balneoli, ut cum praedicatorem ordinarium alere possint, eumdem de facto alant, qui singulis diebus festivis per totum annum conciones habeat, unusquisque in ecclesiis suis, ne sacro praedicatorum nomine frustra gloriari videantur.

Approbamus in eadem provincia Regni magisteria rr. pp. fr. Stephani de Optato, fr. Innocentii de Magdalono, fr. Dominici Gravinae de Neapoli, fr. Ambrosii de Corduba, fr. Thomae Emanuel de Neapoli diffinitoris in hoc capitulo; et baccalaureatum fr. Vincentii de s. Severino, fr. Pauli Mariae de Neapoli et fr. Ioannis Vincentii Gabrielis de Theano, a reverendissimo magistro ordinis doctorali laurea decorati, qui in hoc ipso capitulo generali publice conclusiones cum laude sustinuit.

Assignamus in studio nostro generali sancti Dominici de Neapoli pro rata provinciae in studentes formales secundum antiquitatem professionis uniuscuiusque fr. Hyacinthum Palumbum de Neapoli, fr. Eugegenium de Neapoli, fr. Thomam de Aversa, fr. Michaelem de Martino de Neapoli, fr. Seraphinum Spada de Neapoli et fr. Ludovicum de Magdalono (1).

Theutoniae.

Confirmamus ad eiusdem provinciae petitionem admodum rev. p. Servatium Iungling in provincialem iamdudum magno commodo et emolumento tam in spiritualibus quam temporalibus praesidentem.

Committimus admodum rev. p. procuratori ordinis pro eadem provincia, quatenus apud sanctissimum d. n. obtineat, ut bona temporalia quatuor congregationum monialium tertiae regulae ordinis nostri, quae videlicet in Haigerloch, Stetten, Zimmern et Weildorf sub diocesi Constantiensi et sub iurisdictione comitis in Haigerloch extiterunt, non secularibus presbyteris eius loci, sed ordini ad sustentationem studentium applicentur.

Restituimus provinciae Theutoniae omnes conventus ad nationem Austriacam pertinentes, tam in Austria ipsa quam in Stiria et Carinthia,

(1) De fr. Ludovico de Magdalono cf. SSOP. II, 326.

videlicet Viennensem, Tulnensem, Crembsensem, Rethcensem in Austria; Frisacensem et Novimonasteriensem in Stiria; praecipientes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae admodum rev. p. magistro fr. Servatio provinciali praefato, ut eosdem conventus quam primum visitet et in suam curam suscipiat, dantes eidem super dictos conventus et fratres tam in capitibus quam in membris omnem auctoritatem et facultatem huic negotio perficiendo necessariam.

Concedimus eidem provinciae, ut ad singulas provincias ordinis, in quibus viget cum observantia regulari studium literarum, mittere possit duos iuvenes in humanioribus competenter instructos, quos etiam commendamus admodum rr. pp. provincialibus, ut eosdem humaniter susceptos, in conventibus collocent, ubi vigent studia philosophiae et theologiae.

Confirmamus in regentem studii nostri generalis Coloniae rev. p. magistrum fr. Cosmam Morelles pro sequenti triennio.

In eadem provincia promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Ernestum Aprangh priorem Graecensem, fr. Davidem Vogt priorem Augustae Vindelicorum et fr. Petrum Warith priorem Landishutanum.

Item promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. lectores fr. Wibertum Rosenbach lectorem Coloniensem, qui in hoc capitulo generali laudabiliter theses defendit, fr. Leonardum Tausch et p. Theodorum Fichtner.

Instituimus in praedicatorem generalem in eadem provincia rev. p. fr. Ioannem Paulum Lacumolanum, priorem Frisacensem, qui in iisdem partibus multos annos fructuose verbum Dei praedicavit.

Declaramus rev. p. fr. Thomam Huffnaghel Prutenum iuxta nostrarum seriem constitutionum illius conventus esse filium, in quo et pro quo suscepit habitum, non obstante quod alibi sit professus.

Poloniae.

Concedimus eidem provinciae ad sui petitionem et ordinamus, ut in posterum provinciales sint tantum triennales et expleto ipso triennio absque aliqua alia declaratione intelligantur de facto absoluti; declarantes, quod omnes dilationes electionis a septembri ad « Deus qui errantibus » et a « Deus qui errantibus » usque ad septembrem, quomodocumque impetratae, habendae sunt pro surreptitiis, in fraudem procuratis, irritis et inanibus et ipsum capitulum provinciale celebrari debet semper pro festo sancti Michaelis mense septembri.

Concedimus eidem provinciae et ordinamus, ut numquam eligantur duo provinciales, immediate sibi succedentes ex uno conventu, sed si hac vice habet provincialem ex uno conventu, sequenti vice eligatur aliquis, qui sit filius alterius conventus.

Idem dicimus quoad diffinitorem et socium ad capitulum generale, ut videlicet nunquam fiant duo diffinitores aut socii, immediate sibi succedentes in dictis officiis, qui sint ex uno conventu, sed si in hoc capitulo generali diffinitor est ex uno conventu, pro sequenti capitulo generali eligatur ex alio; idem servetur circa socium diffinitoris euntis ad capitulum generale; in capitulo autem provinciali eiusdem provinciae diffinitores eligantur singuli ex singulis conventibus, ita quod nullo modo possint esse duo diffinitores ex eodem conventu, alioquin totum sit irritum et inane.

Declaramus inter patres Polonos et Ruthenos, de communi partium consensu, hoc pacto conventum fuisse, ut utrorumque limites et termini, quos neutri partium in posterum licebit transgredi, tam in fabricandis domibus, quam in quaestibus faciendis sint isti, videlicet, Lucioria, Clewau, Czardatisko, Voiatlij, Sloniu, Rosanka, Vilna, Nemeschijn, Swintrawa, Disla, Drismet. Declarantes quoque, quod loca Toporuff et Constantinuff pertinent ad congregationem Russiae, quia sunt intra ipsorum terminos.

Concedimus eidem provinciae, ut ad numerum studentium, qui mittuntur Bononiam ad studium generale, non computentur studentes Rutheni.

Concedimus etiam eidem provinciae, ut intra limites sibi praefixos loca recipere possint a Christi fidelibus oblata, si tamen sufficientibus reditibus dotata sint, ita ut fratres religiosi sustentari possint et non sit necesse eleemosinis quaerendis alienos invadere terminos et turbare pacem provinciarum.

Concedimus etiam eidem provinciae, ut domus Merecensis possit erigi in conventum, si tamen habeat facultatem requisitam iuxta nostrarum seriem constitutionum.

Ordinamus et serio iniungimus tam provinciali quam prioribus, ut acta huius capituli generalis, quantocius fieri poterit, publicari faciant in omnibus conventibus provinciae Poloniae.

Promovemus in eadem provincia ad gradum magisterii rr. pp. fratrem Ignatium Kounachi, huius capituli generalis diffinitorem, fr. Lucam Samotulium, baccalaureum actualem in studio generali Cracoviensi, et fr. Bernardum Pegasium.

Approbamus tam promotiones ad baccalaureatum, quam institutiones in praedicatores generales omnium illorum, quibus patentes literae ad eos gradus a reverendissimo magistro ordinis in praesenti capitulo generali concessae et per socium provinciae transmissae fuerunt.

Damus in regentem studii nostri generalis Cracoviensis pro sequenti triennio rev. p. magistrum fr. Erasmum. In baccalaureum ordinarium rev.

p. fr. Andream Radoviezhi et in magistrum studii rev. p. fr. Vitum Sandecensem lectorem.

Aragoniae.

Ordinamus in provincia Aragoniae ad petitionem p. provincialis et patrum graviorum eiusdem provinciae, ut de caetero inviolabiliter observetur ordinatio capituli generalis Romae 1583 facta, ut ibidem continetur, maxime cum dictae provinciae concessae sint extra numerum olim taxatum quatuor praesentaturae, una pro qualibet natione praedicatoribus generalibus. Decernentes in natione Cataloniae praesentatum et praedicatorem generalem esse p. fr. Paulum Puig, socium diffinitoris huius capituli. Pro natione Aragoniae p. fr. Gasparem Sierra. Pro natione Valentiae p. fr. Balthasarem Ioannem Roca (1) et in insulis illum praesentatum, qui inter ipsos est antiquior in ordine.

Ordinamus pro bono regimine studiorum et ut numerus graduatorum ad taxatum numerum antiquum redeat: Primo, ut inviolabiliter observetur breve s. d. n. papae Pii V. eidem provinciae concessum et ab eadem receptum in capitulo provinciali Oriolensi anno 1570. Decernentes, quod omnes, qui de caetero ad praesentaturae vel magisterii gradus, non servatis conditionibus in dictis litteris apostolicis statutis promoti fuerint, pro non graduatis habeantur nec privilegio aliquo graduatorum gaudere possint. Secundo, ut per mortem duorum magistrorum eiusdem nationis non possit provincia petere nisi unum tantum eiusdem nationis magistrum, et similiter per mortem vel promotionem duorum praesentatorum, unum eiusdem nationis in locum eorum postulabit, quousque graduati ad numerum antiquum provinciae sint redacti. Tertio, ut lectio textus divi Thomae noviter instituta solummodo in universitatibus habeatur, in aliis vero studiis tantum erunt duae ordinariae lectiones theologiae, nec ulla ratione in iis conventibus designetur regens nec magister studii, sed lectores theologiae eorum officia exercere debeant, in universitatibus autem lectio illa tertia, a solis pp. regentibus iam magistris legenda est, nec debet pro forma et gradu magisterii alicui prodesse. Quarto, ut in omni studio theologiae sint decem vel ad minus octo studentes et in quolibet cursu artium octo studentes vel ad minus sex, si autem per tres menses minor numerus fuerit et non reparetur, lectiones horum lectorum nullo modo ad promovendos vel obtinendos gradus computentur; et si hoc contingat in universitatibus, talis conventus privilegiis universitatis ex tunc sit privatus; in conventibus autem, ubi non est formalis domus novitiorum, nulla ratione vel causa cursus

(1) De fr. Balthasare Ioanne Roca cf. SSOP. II, 365.

artium ponatur et tales lectores ac si non legissent in ordine, ad gradus promovendos et obtinendos iudicentur.

Concedimus provinciae Aragoniae ad illius petitionem, ut fratres conversi de caetero emittant professionem pro illa speciali domo, in qua ad ordinem recipiuntur, nec a suis conventibus removeantur nec ad alios assignentur, nisi ob grave scandalum vel urgentissimam causam et id faciat p. provincialis de patrum consilio; insuper ne possint interesse capitulo, dum vota fratrum recipiuntur pro aliquo negotio.

In regno Cathaloniae instituimus praedicatorem generalem p. fr. Iacobum Sayols pro conventu de Piuxcerdan.

In regno Valentiae acceptamus magisterium rev. p. fr. Damiani de Fonseca et praesentaturam p. fr. Iacobi Bledae Valentini (1).

Acceptamus omnia magisteria et praesentaturas a reverendissimo patre nostro generali concessas a praecedenti capitulo usque nunc.

Acceptamus praedicaturam generalem p. fr. Ioannis Dauder pro conventu de Luchente, p. fr. Ioannis Omella pro conventu de Gotor, p. fr. Ioannis Longo pro conventu de Monçon.

Acceptamus translationem et affiliationem p. fr. Michaelis Lopez Chales a conventu Salmantino ad conventum sancti Illephonsi Caesaraugustae factam ab admodum rev. p. magistro fr. Seraphino Sicco (2) procuratore et vicario gen. ordinis, auctoritate apostolica sub die 15. iulii 1609.

Acceptamus domum beatae Mariae de Rosario oppidi del Orcajo a d. Blasio Verga fundatam et domum beatae Mariae Annuntiatae in villa de Carlet ab illustrissimis dd. Georgio de Castelvi et Anna Margarita de Calatayud, comitibus de Carlet.

Acceptamus conventum monialium sub invocatione beati Ioseph in villa de Eriza fundatum a nobili et religioso d. Iosepho de Palafoix capellano regis catholici, canonico magistrali ecclesiae Caesaraugustanae, damusque eidem conventui in priorissam religiosam sororem Bernardinam de Palafoix.

Erigimus in prioratum domum s. Mariae de Ortu in regno Cataloniae, damusque ei in priorem et praedicatorem generalem p. fr. Ioannem Riù. In regno Valentiae domum sancti Vincentii Ferrer villae novae de Castello, cui damus in priorem p. fr. Ludovicum Salvador, in praedicatorem generalem p. fr. Ioannem Gonzalez, domum sanctae Mariae de Rosario del Horcayo, cui damus in priorem et praedicatorem generalem p. fr. Iosephum Aliaga. In regno Aragoniae domum regiam sancti Raymundi de Teruel, cui damus in priorem p. fr. Ioannem Garralda, in prae-

(1) De fr. Iacobo Bleda cf. SSOP. II, 426.

(2) De fr. Seraphino Sicco cf. l. c. pag. 379.

dicatorem generalem p. fr. Michaelem Catalan. In insula Maioricarum domum sanctae Mariae de Rosario de Podersa, cui damus in priorem p. fr. Iacobum Confrè, in praedicatorem generalem p. fr. Michaelem Iayme.

Has autem erectiones conventuum praefatorum concedimus, dummodo possint alere et de facto alant duodecim fratres et non aliter. Declarantes eo ipso, quod hanc conditionem non impleant, ex nunc pro tunc titulo prioratus sint privati.

Approbamus conventionem sive concordiam factam de licentia reverendissimi magistri ordinis inter conventum nostrum sancti Raymundi civitatis de Teruel et ordinem militarem sancti Ioannis Hierosolymitani.

Declaramus antiquitatem magisterii rev. p. fr. Cosmae Morelles regentis Coloniensis pro loco et voce, caeterisque magistrorum provinciae Aragoniae privilegiis computandam esse a die, quo praefatus pater institutus fuit in capitulo Romano proxime celebrato magister, neque obstare quamcumque eiusdem capituli ordinationem, quamvis verba eius aliud sonare vel exprimere videantur. Unde districte praecipimus universis et singulis patribus et fratribus praefatae provinciae, ut nullum super hoc praedicto patri apponant impedimentum, quinimo ob multa et singularia beneficia, quae in partibus Germaniae ordini praestitit variosque labores, quos disputando et scribendo in catholicae religionis propugnationem haeresisque extirpationem pertulit et in dies perfert, supplemus ex speciali gratia et indulto quemcumque defectum, qui circa praefata quocumque modo acciderit.

In conventu sanctae Catharinae martyris Barchinonensis damus in regentem p. fr. Gasparem Vicens magistrum cum onere, ut toto triennio sequenti legat lectionem litterae s. Thomae.

In lectores sacrae theologiae ordinarios, qui legant pro forma et gradu magisterii, p. fr. Onofrium Requesens praesentatum et p. fr. Hippolytum Barber praesentatum. In magistrum studii p. fr. Raymundum Toralla. In lectorem artium p. fr. Franciscum Palau.

In conventu Caesaraugustano damus in regentem p. fr. Ioannem Cassis magistrum cum onere, ut legat toto triennio sequenti lectionem litterae s. Thomae; in lectorem primum, qui legat pro forma et gradu magisterii p. fr. Martinum Prado praesentatum, in secundum lectorem p. fr. Illephonsum Batista (1), in magistrum studii p. fr. Raymundum Sans, in lectorem artium p. fr. Ioannem Moreno.

In conventu Valentino damus in regentem p. fr. Hyacinthum de Fonseca magistrum cum onere, ut toto triennio sequenti legat lectionem litterae s. Thomae. In primum lectorem theologiae, qui legat pro forma

(1) De fr. Illephonso Baptista cf. SSOP. II, 558.

et gradu magisterii, p. fr. Gasparem Barberà praesentatum, in secundum lectorem p. fr. Franciscum Bisquert. In magistrum studii p. fr. Petrum Marcum Sierra. In lectorem artium pro alio cursu immediate sequenti p. fr. Gasparem Catalan de Monsonis (1).

In conventu Illerdensi damus in regentem p. fr. Dalmatium Amat magistrum cum onere, ut toto triennio sequenti legat lectionem litterae s. Thomae. In primarium lectorem, qui legat pro forma et gradu magisterii, p. fr. Chrysostomum Bonamic praesentatum, in secundum lectorem p. fr. Thomam Pasqual, in magistrum studii p. fr. Antonium Rostra, in lectorem artium p. fr. Petrum Iust.

In conventu s. Dominici Maioricarum damus in regentem p. fr. Ioannem Baptistam Feminia cum onere, ut legat similiter lectionem litterae s. Thomae, in primarium lectorem theologiae, qui legat pro forma et gradu magisterii, p. fr. Antonium Cissà. In secundum p. fr. Albertum Estevan. In magistrum studii p. fr. Iacobum Roix, in lectorem artium p. fr. Michaelem Soler.

In conventu de Luchente damus in regentem p. fr. Petrum Foix magistrum cum onere, ut toto triennio sequenti legat lectionem litterae s. Thomae. In primarium lectorem theologiae, qui legat pro forma et gradu magisterii, p. fr. Andream de Faùs praesentatum. In secundum lectorem p. fr. Stephanum Plobera. In magistrum studii p. fr. Matthaeum Agramunt. In lectorem artium p. fr. Gondisalvum Hernandez.

In conventu Calataiubii damus in magistrum studii p. fr. Ioannem de Orellano et in lectorem artium p. fr. Michaelem Rudilla.

Declaramus autem, quod si praefati patres regentes conditionem praefixam legendi per triennium litteram sancti Thomae non impleverint, nec titulo magistri gaudeant, sicut ex nunc prout ex tunc magistros non esse nec haberi debere decernimus et declaramus.

Bohemiae.

Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. lectores fr. Thomam Huffnagel Pruthenum et fr. Hyacinthum Polonum.

Damus in provincialem Bohemiae et Moraviae admodum rev. p. magistrum fr. Vincentium Sohier Antuerpiensem cum consuetis auctoritate et potestate.

Concedimus licentiam pp. nationis Poloniae, qui de mandato reverendissimi magistri ordinis in eam provinciam ante triennium profecti sunt, ut redire possint cum benedictione et testimonialibus p. provincialis Bohemiae ad suam provinciam originalem, si quos tamen spontaneos dictus provincialis retinere voluerit, nihil sit ipsi per hanc licentiam praeiudicatum.

(1) De fr. Gaspare Catalan de Monsonis cf. SSOP. II, 570.

Provinciae.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Blasium Ferrerium praesentatum conventus Toloni, fr. Raphaelem Cotta praesentatum conventus Niciae, fr. Ludovicum Tornerium praesentatum conventus Tharasconensis.

In eadem provincia promovemus ad baccalaureatum patrem fr. Iacobum Roberti conventus Tharasconensis, fr. Ioannem de Rives conventus Sistariaci, fr. Antonium Leo conventus Barciloniae, fr. Ioannem Rabier conventus s. Maximini, fr. Renaut eiusdem conventus et fr. Guilliermum de Buxo.

Acceptamus in eadem provincia monasterium monialium sanctae Catharinae Senensis Podii Aniciensis et vicariatum sanctae Mariae de Rosario Pratellarum.

Siciliae.

Acceptamus et approbamus, et quatenus opus sit, erigimus in universitatem conventum nostrum sancti Dominici de Messana, in qua universitate sit et debeat esse studium generale sacrae theologiae et artium cum omnibus gratiis et privilegiis et immunitatibus, prout in caeteris omnibus nostri ordinis universitatibus fieri consuevit.

In collegio civitatis Termarum noviter erecto concedimus ad ipsius provinciae petitionem, ut primus lector sacrae theologiae gaudeat loco, quo gaudere solent baccalaurei ordinarii in studiis ordinariis generalibus secundum tempus eorum praefixum, dummodo ipsi primi lectores sint baccalaurei et ibidem a capitulo generali vel a reverendissimo patre nostro magistro ordinis approbati assignentur et duodecim vel decem saltem habeant sacrae theologiae discipulos nostri ordinis fratres, alioquin irrita prorsus nullaque censeatur et sit haec ipsa concessio.

Statuimus in studiis generalibus Panormi et Messanae, rev. p. priorem pro tempore votum cum rr. pp. moderatoribus habere in examinatione et promotione graduandorum et recipiendorum et in omnibus actibus eorum, dummodo ipse prior fuerit magister vel baccalaureus vel saltem lector. Quod etiam intelligimns de magistris in eisdem conventibus studiorum assignatis.

Statuimus, quod provinciales pro tempore et fratres in conventibus principalioribus vocem habentes et praesertim, ubi viget studium generale aut ubi resident episcopi, dent operam, ut viri graves et, quantum fieri potest, litteris praediti in priores eligantur, quo litterarum studia, quibus ordo noster maxime deditus est, in dies effloreant.

In studio Panormitano damus in regentem rev. p. magistrum fratrem Ioannem Petrum Grasseum de Panormo, in baccalaureum ordinarium p. fr. Petrum Martyrem de Castania, in magistrum studentium pro

primo anno p. fr. Decium Mirabella lectorem, pro secundo p. fr. Dominicum Troia lectorem, pro tertio p. fr. Hieronymum Ismargium lectorem.

In studio Messanensi confirmamus in regentem reverendum p. magistrum fr. Antoninum de Veria, in baccalaureum ordinarium fr. Hieronymum Spagliaresium, in magistrum studentium pro primo anno p. fratrem Bernardinum de Messana lectorem, pro secundo p. fr. Stephanum Minutulum lectorem, pro tertio p. fr. Petrum Talavera lectorem.

Promovemus ad magisterium rr. pp. baccalaureos fr. Ioannem Petrum Luvinarium, fr. Albertum Caccamum, fr. Hippolytum Mariam Panetta, fr. Decium Iustinianum (1) et fr. Ioannem Matthaeum Ripolis de Melita, qui in hoc capitulo generali publice conclusiones cum laude sustinuit.

Ad baccalaureatum promovemus rr. pp. lectores fr. Ludovicum Nocilla (2), fr. Archangelum Battiatum, fr. Ioannem Baptistam Capollo, fr. Sebastianum de Melitello, fr. Matthaeum Duranti et fr. Alexandrum Scarlata de Corleone.

Instituimus in praedicatores generales rr. pp. lectores fr. Franciscum Macci de Leontino, fr. Antonium Bavia, fr. Petrum Martyrem Cavallaro et fr. Thomam Anglisanum.

Erigimus in conventum locum sancti Spiritus de Marsalia, similiter locum portus salutis civitatis novae Melitae, dummodo possint alere et de facto alant duodenarium numerum fratrum et non aliter, et pro hac prima vice providebit de prioribus admodum rev. p. provincialis.

Acceptamus locum sanctae Catharinae de Senis Cathanae, cui providebit de vicario admodum rev. p. provincialis, qui non sit actu prior in altero conventu sanctae Mariae Magnae. Praecipientes sub poena absolutionis ab officio superioribus ipso facto incurrenda, ut neque bona mobilia, neque stabilia possint applicari de supradicto conventu ad dictum locum; quod si secus factum fuerit, sub eadem poena omnia subito restituantur.

Assignamus in studentes formales studii nostri Bononiensis pro rata suae provinciae patres fr. Hieronymum de Adernione et fr. Petrum Rabatam; in studio vero Neapolitano assignamus p. fr. Hieronymum Garibaldi et p. fr. Vincentium de Placia.

Portugalliae.

Ordinamus, quod uterque lector theologiae legat quidem dictando in scriptis, sed id faciat breviter et succincte ad utilitatem discipulorum.

Revocamus omnes licentias etiam a reverendissimis generalibus con-

---

(1) De fr. Decio Iustiniano cf. SSOP. II, 527.

(2) De fr. Ludovico Nocilla cf. l. c. pag. 378.

cessas, ut aliquis sibi pro quavis causa possit reservare eleemosynas pro concionibus exhibitas, volumusque hoc fieri arbitrio admodum rev. p. provincialis iuxta ordinationem de eadem re a reverendissimo factam.

Ordinamus, quod in congregatione Indiarum orientalium illi solum vicarii congregationis habeant locum expleto tempore, qui a provincia instituti fuerint et qui suum quadriennium expleverint.

Ordinamus, quod in eadem congregatione Indiarum orientalium nullus ex mixtis seu misticis, ut vocant, recipi possit ad habitum vel professionem; irritum declarantes et nullum, si quid in posterum in contrarium fiat.

Habilitamus ad officia et gratias ordinis in eadem congregatione fr. Antonium de Vasconcellos et fr. Petrum Machado.

In eadem provincia Portugalliae declaramus, quod fratres conversi, qui habent scapulare album et sorores conversae, quae habent velum nigrum, omnes intelligantur esse in statu conversorum, quoad numerum in monialibus, omnesque habeant locum respective post novitios vel novitias, qui vel quae choro deserviunt.

In eadem provincia mandamus, quod moniales ubique tam scribendo quam loquendo antè nomen proprium apponant generale nomen sororis, ita ut semper dicatur soror talis.

In eadem provincia acceptamus magisteria rr. pp. praesentatorum fratris Ioannis Aranha, fr. Thomae de sancto Dominico, fr. Athanasii de Fonseca. Acceptamus et praesentaturam necnon et magisterium rev. p. fr. Antonii de Resurrectione (1), qui pro sua provincia in hoc capitulo generali conclusiones honorifice sustinuit.

Acceptamus item praesentaturas rr. pp. fr. Sebastiani de Pavia, fr. Simonis de Luce (2) et fr. Emanuelis Telles.

Acceptamus item in praedicatores generales p. fr. Christophorum Carvao, p. fr. Antonium Feo (3), p. fr. Ambrosium Montoiro, p. fr. Paulum Leite, declarantes, quod statim potiantur et gaudeant privilegiis praedicatorum generalium, ordine servato in suis patentibus litteris, et hos primos substitutos declaramus pro praedicatoribus generalibus, qui obierunt, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

In congregatione Indiae orientalis eiusdem provinciae acceptamus magisterium rev. p. praesentati fr. Didaci Madeira et praesentaturas rr. pp. fr. Hieronymi de Passione et fr. Antonii de Visitatione (4) et praedi-

(1) De fr. Antonio de Resurrectione cf. l. c. pag. 562.
(2) De fr. Simone de Luce cf. l. c. pag. 436.
(3) De fr. Antonio Feo cf. l. c. pag. 424.
(4) De fr. Antonio de Visitatione cf. l. c. pag. 384.

caturas generales p. fr. Seraphini de Christo et p. fr. Gasparis de Assumptione et p. fr. Ludovici de Leite et p. fr. Didaci de Spiritu sancto.

In conventu Eborensi damus in lectorem primarium rev. p. fr. Antonium de Resurrectione magistrum, in secundarium lectorem p. fr. Ignatium Galvao (1), in magistrum studentium p. fr. Ferdinandum Ximenes, quem in eodem conventu assignamus.

Beticae.

Concedimus ad eius petitionem, quod loco capituli provincialis intermedii habeatur congregatio, cui intersint vigintiquatuor patres graviores provinciae, videlicet quatuor diffinitores capituli provincialis praecedentis, priores conventuum nostrorum s. Pauli Cordubensis, s. Pauli Hispalensis, s. Dominici Xiriciensis, sanctae Catharinae Giennensis, ss. Pauli et Dominici de Ecija, sanctae Crucis Regalis Granatensis, s. Dominici de Portacaeli, s. Dominici de Malaga, Reginae Angelorum et Montis Sion de Hispali, conventus et collegii de Almagro, necnon et novem antiquiores magistri provinciae; quod si aliqui praedictorum priorum fuerint etiam magistri, ex novem antiquioribus praenominatis poterunt loco illorum alii immediate sequentes magistri successive substitui, quousque praefatus numerus vigintiquatuor compleatur.

Concedimus insuper, quod in electione diffinitorum capituli provincialis primi quatuor, qui plura vota in huiusmodi electione habuerint iuxta leges concordiae, quae in eadem provincia habetur inter conventus Cordubensem, Hispalensem et reliquos provinciae, habeantur tamquam veri ac legitimi diffinitores, etiamsi vota non fuerint ultra medietatem. Quod si in vota aequalia electores sese diviserint, antiquiores ratione magisterii vel prioratus veri ac legitimi diffinitores censeantur.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Didaci de Monroy et fr. Illephonsi Daca, fr. Ioannis de Medina et fr. Antonii de Viedma (2) regentis et lectoris primarii s. theologiae in conventu Hispalensi.

Recipimus ad gratias ordinis confratres animarum in civitate Giennensi propter eorum devotionem et affectum erga nostram religionem.

Ad eiusdem provinciae petitionem necnon et vicarii generalis ac religiosorum, qui in conventibus nostris insularum Fortunatarum commorantur, concedimus erigi ac fundari posse collegium, in quo tres lectiones artium et duae sacrae theologiae et una aut duae lectiones grammatices habeantur tam pro fratribus quam secularibus earumdem insularum; in quo quidem collegio fratres nostri philosophiae et theologiae cursus perficere poterunt, prout in aliis studiis generalibus fieri consue-

(1) De fr. Ignatio Galvao cf. l. c. pag. 528.

(2) De fr. Antonio de Viedma cf. l. c. pag. 446.

vit, declarantes dictum collegium iis gratiis et concessionibus gaudere non posse, quin prius omnes praenominatae lectiones tam philosophiae et theologiae quam grammatices fundatae fuerint et competens scholarium numerus habeatur.

Approbamus omnes gradus et praedicaturas generales, quae a reverendissimo patre nostro generali in eadem provincia concessae sunt.

S. Antonini.

Approbamus acceptationem collegii s. Thomae et sanctissimi Rosarii in civitate Sanctae Fidei erecti a d. Gaspare Nuñes cum eisdem conditionibus et institutionibus regentis eiusdem collegii, quibus a reverendissimo patre magistro ordinis acceptatum est, eaque omnia et singula a reverendissima paternitate sua circa hoc decreta et ordinata confirmamus.

Acceptamus praesentaturam rev. p. fr. Stephani del Valle ad eiusdem provinciae petitionem, necnon et omnes gradus, praedicaturas generales a reverendissimo patre nostro in eadem provincia concessas secundum tenorem litterarum patentium suae reverendissimae paternitatis et non aliter.

Inferioris Germaniae.

Ordinamus circa numerum graduatorum pro dicta provincia, ut magistri in sacra theologia sint decem tantum, licentiati sex, baccalaurei decem et non plures, praedicatores generales secundum numerum conventuum provinciae, quem non excedant; qui autem hactenus usque ad hoc capitulum generale inclusive promoti sunt, loco et privilegiis suis gaudeant respective.

Declaramus, quod licentiati iuxta morem huius provinciae observatum hactenus debent habere locum supra suppriorem post omnes priores, sed tamen non habere vocem in capitulo provinciali.

Volumus quoque ad eius provinciae petitionem, ut nemo lectoris aut praedicatoris titulo gaudeat vel officio fungatur, qui non sit in generali nostro studio Lovaniensi examinatus.

Concedimus admodum rev. p. provinciali huius provinciae, ut omnia vasa aurea et argentea, ornamenta et omnia bona mobilia ex Holandia et Zelandia in Belgium asportare possit, hac lege et conditione, ut fiat inventarium omnium, quod cum ipsis vasis, ornamentis et rebus servetur in aliquo conventu et loco tuto, ut si forte conventus illi desolati, quorum sunt illa bona, iterum ad ordinem redierint, omnia dicta bona illis restitui queant.

Concedimus admodum rev. p. provinciali, ut confessarios monialium, qui tempus suum expleverunt, si non adsit commoditas aliter providendi, possit ulterius in eodem officio confirmare.

Acceptamus in eadem provincia magisterium admodum rev. p. fra-

tris Michaelis Ophovii (1) eiusdem provinciae provincialis et baccalaureatum rev. fr. Toffani Walterii ex conventu Bruxellensi.

Promovemus ad magisterinm rev. p. fr. Hyacinthum Coquetium lectorem Lovaniensem, qui in hoc generali capitulo publicas conclusiones cum laude sustinuit.

Promovemus ad baccalaureatum rr. pp. fr. Ioannem Boquetium priorem Antverpiensem, fr. Franciscum Bivero praedicatorem serenissimi arciducis Alberti, fratrem Ioannem de Loas ex conventu Bruxellensi, fratrem Michaelem Cabò ex eodem conventu et p. fr. Hyacinthum Ydart.

Instituimus praedicatores generales reverendum p. fr. Hieronymum Balvanum priorem Bruxellensem, fr. Thomam Capbotinum priorem Valentinensem et fr. Iacobum Silvium ex conventu Insulensi.

S. Thomae.

Ordinamus, quod in conventibus Tarentino, Monopolitano, Lucerino et s. Ioannis de Litio, in quibus novitii aluntur, possint propter conventuum dignitatem atque utilitatem eligi et assumi in priores, etiam ii, qui actu in aliis conventibus minoribus prioratus munus exercent, si aeque bene nequeat eis aliter provideri.

Ordinamus et districte praecipimus, quod si plures affines, consanguineos vel uterinos fratres assignatos vel affiliatos esse in eodem conventu contingat, duo dumtaxat, nempe antiquiores in possessione, tum in electionibus, tum in consiliis vocem habeant. Et in posterum similiter ordinamus non posse plures, quam duos affines, consanguineos ac uterinos fratres in eodem conventu affiliari, et si secus factum fuerit, inanis ac nulla censeatur praedicta affiliatio, et praelati eos recipientes sint ipso facto absoluti, vocalesque activa et passiva voce privati.

Ordinamus, quod illi fratres, qui ante acceptationem ad habitum clericalem ob ignorantiam et insufficientiam repulsam passi ad propria dimissi sunt et illi qui ante professionem habitu clericali ob requisitorum carentiam iuxta sanctiones apostolicas privati, ad alias provincias confugerunt, ibique habitum legitime susceperunt et servatis servandis professionem emiserunt vel in futurum confugient et similiter professionem emittent, non obstante, quod litteras acceptationis pro filio alicuius conventus huius provinciae s. Thomae, in eamdem redeuntes, secum deferant, volumus et declaramus, eos filios esse illarum provinciarum illorumque conventuum, in quibus professionem emiserunt vel in futurum emittent.

Concedimus, quod in posterum fiat officium angeli custodis sub festo toto duplici prima die non impedita post festum s. Michaelis ar-

(1) De fr. Michaele Ophovio cf. SSOP. II, 496.

changeli mensis septembris, similiter festum ss. Viti, Modesti et Crescentiae et festum sancti Ianuarii sub totis duplicibus, dum tamen officium parvum beatae Virginis non omittatur.

Concedimus, ut possit iterum eligi et confirmari in priorem s. Mariae Lauretanae Aquae vivae post expletum biennium p. fr. Thomas de Aquaviva per alios duos annos.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Gregorii de Ferandina in capitulo Neapolitano promoti, fr. Ioannis Donati de Castellaneto, fr. Iulii de Manfridonia, fr. Thomae de Polignano, fr. Hyacinthi de Altamura, in praecedenti capitulo generali Romae celebrato promotorum. Item magisteria rr. pp. fr. Ioannis Baptistae de Barulo et fr. Petri de Mesapia a reverendissimo patre nostro generali extra capitulum promotorum; insuper approbamus baccalaureatus rr. pp. fr. Matthaei de Ciliis, fr. Antonii primi de Tricarico, fr. Antonii de Neritono, fr. Thomae de Castellaneto, fr. Antonii secundi de Tricarico et fr. Vincentii Capperrini de Litio, in capitulo generali Romae celebrato promotorum; item baccalaureatus fr. Michaelis de Corato et fr. Pauli de Gallipoli a reverendissimo nostro generali extra capitulum promotorum.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Donatum Antonium de Martina, fr. Marinum de Rubis, fr. Hieronymum de Gallipoli et fr. Iordanum de Tarento baccalaureos; ad baccalaureatum autem promovemus rr. pp. lectores fr. Vincentium de Ferandina, fr. Petrum Martyrem de Meduneo, fr. Augustinum de Meduneo, fr. Vincentium de Venusio et fr. Andream de Capiis.

Damus in regentem studii generalis provinciae rev. p. magistrum fr. Hieronymum Gratiosum de Bario, in baccalaureos ordinarios pro primis duobus annis patrem fr. Michaelem de Corato baccalaureum, pro aliis duobus secundis p. fr. Thomam de Castellaneto baccalaureum, in magistrum studentium pro primo anno rev. fr. Ioannem de Martina lectorem.

Assignamus in studentes pro rata provinciae in generali studio s. Dominici de Bononia pro primo loco fr. Hieronymum de Barulo, pro secundo fr. Marcum de Grassano.

In studio nostro Perusino assignamus in studentem fr. Canium de Ferandina.

In studio Patavino fr. Ioannem Vincentium de Aversa et fr. Petrum de Motula. In studio s. Dominici de Neapoli pro primo loco vacante fr. Reginaldum de Martina. In studio s. Eustorgii de Mediolano fr. Vincentium de Mola.

Calabriae.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Philippi de Gimiliano et fr. Petri Pontii de Neocastro et fr. Silvestri de Zagaresio.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos fr. Vincentium de Saracena, fr. Ioannem Baptistam de Alto Monte, fr. Franciscum de Montealto, fr. Vincentium de Petraficta, fr. Franciscum de s. Catherina et fr. Hieronymum de Tropea.

Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. lectores fr. Sixtum de Polistina, fr. Ioannem Baptistam de Polistina, fr. Michaelem de Briatico, fr. Paulum de Monte Leone, fr. Ioseph de Rinaldis, fr. Hyacinthum de Papanicy, qui omnes officio lectores per plures annos functi sunt.

Instituimus in praedicatores generales rr. pp. fr. Petrum de Filleno, fr. Paulum de Catanzaro et fr. Reginaldum de Fuscaldo, qui per multos annos praedicaverunt.

Damus in regentem studii nostri generalis Consentini rev. p. magistrum fr. Vincentium de Petraficta, in baccalaureum ordinarium rev. p. fr. Hieronymum de Tropea, in magistros studentium pro primo loco rev. p. fr. Franciscum de Strungulis, pro secundo loco rev. p. fr. Thomam de Montealto.

Mexicanae.

Approbamus omnes gradus et praedicaturas generales concessas a reverendissimo p. nostro generali pro provincia Mexicana.

Approbamus ea omnia et singula, quae idem reverendissimus decrevit, declaravit, ordinavit et approbavit in eadem provincia, eaque omnia volumus inviolabiliter observari et in specie, quae ab eodem reverendissimo authoritate apostolica concessa sunt de alternativa officii provincialatus inter natos in Hispaniis et natos in Indiis; non tamen extendatur haec concessio alternative ad officium prioratus.

Praecipimus et seriose iniungimus omnibus nostris fratribus, qui expensis regiis mittuntur ad Philippinas, ne diutius remorentur in provinciis Mexicanis, sed iter suum prima data commoditate navigandi sine dilatione prosequantur. Tollentes hoc decreto omnem authoritatem et facultatem a quibuscumque superioribus illarum provinciarum, inferioribus magistro ordinis, etiam si sint vicarii generales eiusdem magistri in illis partibus, assignandi fratres missos ad Philippinas in provinciis Mexicanis.

Concedimus licentiam illustrissimo et reverendissimo d. fr. Garciae Guerra archiepiscopo Mexicano, ex ordine nostro assumpto, ad sui petitionem, ut pro sua pietate et liberalitate erigere et fundare possit monasterium monialium ordinis nostri in Villa de Fromista diocesis Palentinae nostrae provinciae Hispaniae. Cui etiam cofirmamus gratiam concessam ab illustrissimo et reverendissimo cardinali Xavierre, ordinis nostri olim magistro generali, ut videlicet penes se habere possit tres fratres ordinis nostri.

Promovemus ad gradum magisterii rev. p. praesentatum fr. Antonium de Olea, salvis iuribus provinciae suae, et concedimus licentiam, ut in ipsa civitate Mexicana possit insigniri laurea doctoratus, servatis servandis.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Nicolaum Ortuña et p. fr. Illephonsum de Salazar, fr. Hieronymum Lopez et fr. Ioannem Nuñes.

Occitanae.

Ordinamus ad petitionem provinciae nostrae Occitanae auditis admodum rr. pp. diffinitoribus eiusdem Occitanae, Tholosanae et Provinciae, ut infrascripti conventus videlicet Rivorum, Austorum, Altivillarensium, Mauvesinensis, Cardurcensis et Amilianensis cedant provinciae Tholosanae ac eiusdem priori provinciali subiecti sint; reliqui vero conventus, videlicet Narbonensis, Carcassonensis, Limosensis, Sani Iovis, Quiliani, Revelli, Phigiacensis, Avenionensis, Massiliensis, Arelatensis, Carpenctoractensis provinciae Provinciae eiusdemque provincialis regimini subiiciantur, sicuti et per praesentes subiicimus, quousque reverendissimus pater noster magister ordinis praesens in eadem provincia Occitana extiterit. Qui si pro bono religionis dictarumque provinciarum pace et quiete expediens iudicaverit, extincta eadem Occitana provincia eiusque nomine, praedictorum conventuum distributionem et applicationem provinciis Tholosanae et Provinciae in posterum perpetuo duraturam stabiliat atque confirmet; si vero secus illi expedire videbitur, omnia in pristinum in eadem Occitana provincia restituat.

S. Dominici.

Ordinamus et stricte praecipimus pro studio nostro generali s. Augustini de Padua omnibus moderatoribus, procuratoribus aut ministris eiusdem, ut pecuniae pertinentes ad dictum expendantur in rebus necessariis, ad ipsius studii commoditatem et decorem requisitis, lectisterniis videlicet utensilibus, libris et huiusmodi, non autem in comestionibus et recreationibus, sub poenis contentis in ordinatione facta in capitulo provinciali eiusdem provinciae Venetiis proxime celebrato circa modum expendendi pecunias.

Ordinamus in eadem provincia, ut in capitulis provincialibus diffinitores non eligantur nisi vel de corpore ipsius capituli vel alioquin patres graduati eminentis gravitatis et probitatis.

Promovemus ad magisterium rr. pp. baccalaureos fr. Benedictum Colla de Padua, fr. Hervaeum Cantamesium de Venetiis, fr. Bartholomaeum Lovisarium de Padua, fr. Adrianum Leonicum de Padua et fr. Marcum Antonium Seraphini de Venetiis (1). Ad baccalaureatum vero

(1) De fr. Marco Antonio Seraphini cf. SSOP. II, 406.

rr. pp. lectores fr. Gulielmum Redoanum de Venetiis, fr. Bernardinum Gosellinum de Tarvisio et fr. Benedictum Bovium de Tarvisio.

Damus in regentem studii nostri s. Augustini de Patavio pro proxime futuro triennio fr. Sixtum Sandolinum de Utino, in magistrum vero studentium pro anno 1611 fr. Alexandrum Adrianum de Padua, pro anno vero 1612 fr. Philippum Bragadinum de Venetiis et pro anno 1613 p. fr. Hippolytum Mariam Taleapetra de Venetiis (1).

In eadem provincia acceptamus omnia magisteria, baccalaureatus et praedicaturas generales eorum patrum, qui promoti fuerunt a capitulo generali Romae proxime celebrato et a reverendissimo patre nostro generali usque ad praesentem diem.

Dalmatiae.

Promovemus ad magisterium rr. pp. baccalaureos fr. Sixtum Philippi de Brachia et fr. Victorium Grisogonum de Iadra, ad baccalaureatum vero p. fr. Innocentium de Pharo.

S. Laurentii de Chile.

Confirmamus declarationem factam in capitulo praecedenti Romae celebrato anno Domini 1608, quod conventus, qui existunt apud Indos, qui non habent duodenarium numerum fratrum, non possint eligere socios priorum, qui habeant vocem in capitulo provinciali. Volumusque, ut etiam ad conventus eiusdem provinciae, qui sunt inter Hispanos extendatur.

Ordinamus et mandamus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, omnibus conventuum praelatis, ut neminem recipiant ad habitum, qui non bene sciat linguam latinam, ita ut possit ad artes audiendas admitti.

Promovemus ad magisterium rr. pp. praesentatos fr. Franciscum de Riberos et fr. Antonium de Victoria et instituimus praedicatorem generalem p. fr. Leandrum Possoa.

S. Catharinae Martyris de Quito.

1. Declaramus circa dubia, quae provincia proposuit, primo: in electione prioris provincialis debere tres priores antiquiores, non tamen vicarium provinciae, si tamen non sit unus ex dictis tribus antiquioribus, ad bancum sedere. Secundo: a determinatione et sententia iudicum, si quis ab eis gravatum se senserit, recurrendum esse ad capitulum plenum, ubi vocales legitimi audire debebunt iudicum sententiam eamque, si videbitur, iterum discussam, simul cum vicario generali vel confirmare vel infirmare. Tertio: in rebus dumtaxat gravioribus a sententia lata gradatim secundum dignitatem officiorum appellationem eius, qui se

(1) De fr. Hippolyto Maria de Taleapetra cf. SSOP. II, 563.

gravatum existimaverit, esse admittendam. Quarto: infra duos menses ante capitulum electionis provincialis, nullas debere fieri mutationes fratrum vel assignationes, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

2. Declaramus ea, quae in quinta declaratione capituli Romani 1601 continentur, videlicet quod si in aliquo conventu non reperiantur nisi duo vocales, tunc adiungantur usque ad numerum quinarium etc., debere intelligi de electione prioris, non autem socii, et si quinque aut ad minus tres fuerint, eligant; alias si non sint, devolvitur electio ad patrem provincialem, qui de consilio quatuor saltem patrum graviorum maxima consideratione adhibita providere debebit, eius et eorum conscientias super hoc aggravantes.

3. Declaramus insuper, quod quando in actis capitulorum generalium praescribitur provincialibus: sub poena suspensionis ab officio vel absolutionis, ad diffinitores capituli provincialis vel intermedii seu congregationis pertinet declarare, an provincialis incurrerit suspensionem vel absolutionem vel alias poenas.

4. Declaramus etiam praedicatores generales nominatos in capitulis provincialibus vel in congregatione, vim capituli provincialis habente, a diffinitoribus, habere vocem absque alia declaratione vel confirmatione.

5. Declaramus magistros institutos ad petitionem provinciae non indigere alia acceptatione eiusdem provinciae pro eodem gradu.

6. Ordinamus ad petitionem eiusdem provinciae, quod in conventibus civitatum Hispanorum, ubi non sunt octo religiosi, quos competenter alere possint, nullo modo socius eligatur, in conventibus autem, qui sunt in oppidis Indorum ad eligendum socium, duodecim esse debebunt, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane, et electio socii pro nulla habeatur.

7. Ordinamus praeterea non posse eligi in socium prioris eum, qui actu est in oppidis et doctrinis Indorum, et socium, qui vocem habuit in electione provincialis, non posse mitti ad eadem oppida seu doctrinas nisi post duos annos a die electionis provincialis computandos, et si commode fieri potest, volumus dictum socium triginta ad minus annos esse natum.

8. Ordinamus insuper, fratres nostros non posse mitti ad dicta oppida seu doctrinas Indorum nisi a capitulo provinciali vel congregatione, ab admodum rev. p. provinciali et diffinitoribus, nec poterunt dicti patres manere in praedictis oppidis seu doctrinis nisi per duos annos dumtaxat. In quibus duobus annis si aliquem dictorum patrum mori vel a sua doctrina amoveri quavis de causa contingat, ad admodum rev. p. provincialem et sex patres a consilio pertinebit de alio providere. Cui

p. provinciali concedimus, ut super istos duos annos dispensare possit cum magistris in theologia, patribus provinciae, praesentatis et sexagenariis.

9. Ordinamus et districte observari volumus, visitatorem absolventem aliquem priorem, non posse pro illa vice eligi in priorem illius conventus, cuius prior absolutus erat actu prior, et si secus factum fuerit, totum irritum declaramus.

10. Declaramus etiam, diffinitores capituli provincialis ante electionem provincialis eligi debere et non aliter; capitulum autem electionis prioris provincialis et congregatio poterunt fieri in aliqua domo Indorum, ad quod capitulum seu congregationem praesidentes conventuum per modum scrutinii et alii religiosi, qui sunt in doctrinis per epistolas mittant, quicquid habuerint contra provincialem; et quando provincialis officium suum finierit, mittant fratres ad provincialem noviter electum et ad diffinitorium, si quid contra praeteritum habuerint. Cavebunt tamen provincialis et diffinitores quicquam eorum, quae priores et fratres scripserunt, cuiquam revelare.

11. Concedimus eidem provinciae, ut deinceps capitulum electionis sive congregatio celebretur semper mense septembri in vigilia s. Matthaei, ita ut si provincialem mori vel amoveri contigerit in mense ianuarii vel alio quocumque mense, electio nihilominus provincialis debebit fieri die assignato.

12. Concedimus etiam eidem provinciae, ut si fuerit aliquod dubium circa electionem provincialis vel quod non sit rite facta et secundum ius, ad evitanda scandala pp. provinciae, magistri et praesentati cum diffinitoribus determinent et diffiniant, quid sit faciendum, in qua congregatione praesidebit diffinitor antiquior in professione. Ipse tamen provincialis electus, non intrabit cum praedictis patribus ad consilium, et quicquid ipsi diffinierint, scilicet vel quod maneat electus vel quod procedatur ad aliam electionem, pro rato habeatur et inviolabiliter observetur, usque dum ad reverendissimum mittatur decretum electionis et factus sit certior de omnibus et eius responsum habeatur.

13. Nullus in hac provincia religiosus admittatur nec recipiatur, quamtumvis cum licentia sui provincialis venerit, nisi qui ad eam studiorum gratia diverterint, inter quos eos solum recipi volumus, qui ad legendum artes et theologiam suo tempore habiles fuerint iudicati, sintque optimis moribus praediti, quorum admissio seu receptio ad rev. p. provincialem et diffinitores in capitulo provinciali vel congregatione pertinebit; praecipimusque in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali omnibus et singulis fratribus in eadem provincia commorantibus et ad ipsam non pertinentibus, qui hoc modo recepti

non sunt, ut ad suas provincias quam citius revertantur, et si per menses remanserint et huic praecepto non obedierint, eos voce activa et passiva privamus.

14. Commendamus admodum rev. p. provinciali conventus omnes reformatos suae provinciae, ut illos promoveat, illis faveat nec fratres in eisdem regulariter vivere volentes a quoquam perturbari patiatur.

15. Prohibemus omnibus istius nostrae provinciae patribus et fratribus, ne quis eorum per emendicatos secularium, etiam ecclesiasticorum, favores audeat sibi vel alteri procurare oppida et doctrinas Indorum sub poena privationis vocis activae et passivae per tres annos, ad quas doctrinas per tantumdem tempus mitti non poterunt.

16. Ordinamus etiam, quod nullus mistizus, quod aiunt, id est natus ex Hispano et Inda, possit ad habitum clericalem recipi; poterunt autem tales recipi ad habitum conversorum.

17. Praecipimus insuper admodum rev. p. provinciali et priori conventus nostri s. Petri Martyris de Quito sub poena absolutionis ab officiis, ne de caetero permittant fratres portare super humeros corpora defunctorum saecularium, praesertim in conventu studii generalis, praeterquam in casu obitus praesidentis senatus Quitensis, auditoris et episcopi, nec de facili mittant ad alia funera studentes, ne eorum studium impediatur.

18. Circa moniales autem volumus et ordinamus, quod illae, quae ab hinc octo annis habitum receperunt et propter negligentiam legere nesciunt nec persolvunt divinum officium, vocem non habeant, usque quo sciant legere. Dispensantes tamen cum monialibus antiquis et fundatricibus, quae a principio vocem in electionibus habere consueverunt. Praecipientes admodum rev. p. provinciali, ne de caetero permittat dictas moniales et sorores nostras votum emittere, nisi sciant legere et ordinarium calleant sub paena suspensionis ab officio. Cui etiam committimus, ut procuret ordinationes s. d. n. Clementis papae VIII. fel. rec. circa moniales in sua provincia observari.

19. Confirmamus insuper ordinationem factam in capitulo Vallisoletano et confirmatam in capitulo Romano 1608 circa oppida Indorum et circa aetatem fratrum; concedimus tamen admodum rev. p. provinciali, quod rationabili de causa et de consilio patrum graviorum circa eam possit dispensare, regulariter tamen eam volumus observari.

20. Confirmamus etiam ordinationem 42. eiusdem capituli Vallisoletani, qua sub formali praecepto praecipitur, ut dimidium synodorum, ut vocant, investitur ad emendos census perpetuos vel possessiones pro conventibus. Concedimus tamen admodum rev. p. provinciali, ut rationabili de causa et de consilio graviorum patrum circa eam possit dispen-

sare, sicut dispensatum fuit in capitulo Romano 1608 cum provincia s. Ioannis Baptistae de Perù.

21. Acceptamus conventus dominae nostrae Villae de Caxangue, sancti Dominici de Calli et sancti Hyacinthi de la Tavinga, et quod possint gaudere nomine prioratus, dummodo habeant requisita, ut in aliis capitulis ordinatum est.

Concedimus eidem provinciae, quod possit habere quatuor magistros et novem praesentatos, ex quibus sex erunt titulo lecturae sacrae theologiae et tres titulo praedicationis.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Gasparem Martinez, fr. Illephonsum Muñotium et fr. Petrum Ruano. Ad praesentaturam vero promovemus rr. pp. fr. Leonardum de Chaves, fr. Sebastianum Rosero, fr. Didacum de Angelis et titulo praedicationis p. fr. Manuelem de Quero.

Instituimus in praedicatores generales rr. pp. fr. Gabrielem de s. Philippo, fr. Franciscum de Saabedra, fr. Philippum de Ortiga, fr. Baltassarem Tamayo, fr. Hieronymum de Londono, fr. Michelem Martinez, fr. Franciscum de Hinogosa et pp. fr. Illephonsum Muñotii, fr. Ioannem de Arcaya et fr. Didacum Nunes.

Acceptamus et incorporamus in eadem provincia magisterium rev. p. fr. Francisci de la Camera, socii reverendissimi patris episcopi Quitensis.

S. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

Confirmamus magisterium rev. p. fr. Alvarez de Grixalva necnon et praesentaturam rr. pp. fr. Dominici de Padilla praedicatoris generalis et huius capituli diffinitoris et praesentaturam p. fr. Martini de Requena.

Confirmamus insuper in eadem provincia et inviolabiliter in ea observari volumus ordinationem illam, alias pro provinciis Indiarum in communi factam, nimirum quod in conventibus, qui non habent duodenarium numerum religiosorum completum, nullus socius prioris ad capitulum provinciale eligatur.

Concedimus etiam eidem provinciae, quod libere potiri et gaudere possit privilegio, alias sibi et aliis provinciis Indiarum tam a summis pontificibus quam a capitulis generalibus concesso, quod scilicet illi conventus iam erecti et in futurum erigendi, in quibus sex aut septem fratres assignati morabuntur, nomine, titulo ac privilegiis conventus gaudere possint, non obstante ordinatione in contrarium facta Romae anno 1601.

Concedimus praeterea admodum rev. p. provinciali eiusdem provinciae, quod possit pro negotiis ipsius provinciae eius terminos transire, si opus fuerit, et accedendo ad civitatem Mexicanam, ubi curia proregis est, instituto prius vicario generali, quem eligere debebit ipse provincialis

una cum patribus a consiliis provinciae, qui eius loco provinciam usque ad eius reditum gubernabit.

Concedimus quoque eidem provinciae, quod propter devotionem in beatam Virginem et in sanctissimum ipsius Rosarium solemne festum Rosarii fiat cum octava solemni in tota provincia.

S. Rosarii Philippinarum.

Provinciam nostram sanctissimi Rosarii Philippinarum magnos in gentium illius orbis conversione profectus fecisse et quotidie facere, in eaque observantiam regularem maxime vigere, magno nostro omnium gaudio certa iamdudum relatione percepimus. Quamvis autem fratrum numero sit parvula, longe tamen lateque diffusa est inter gentes illas, ita ut etiam ad Iapponia regna novissime ramos suos extenderit; quorum fructus quales ibi fuerint, vel ex eo colligi potest, quod cum aliqui Iappones in fide a nostris instructi receptique essent, in ipso fidei illorum initio ad tantam charitatis perfectionem devenerunt, ut pro ea animas suas posuerint, prout ex certa relatione typis excussa ad nos relatum est. Sed adhuc his non contenta, praecingit se, ut mittat ex suis aliquos ad populissimum regnum Chinae, quo vocantur ab illustrissimo d. fr. Ioanne de Pietate episcopo civitatis de Macao Lusitano ex nostro ordine assumpto. In sui autem exordio dicta provincia miserat iam aliquos ex suis omni exceptione maiores ad dictam civitatem, quae sita est in ipsomet regno Chinae, ut fundarent in ea conventum, a quo ad interiora regni esset facilis aditus, quod feliciter obtinuerunt. Qui tamen conventus sic ab eis erectus, non multo post a patribus nostrae congregationis Indiae orientalis provinciae nostrae Portugalliae, quod intra terminos eorum esse videretur, ablatus, dictae suae congregationi adiunctus est.

Nunc autem novissime in hoc nostro diffinitorio generalis capituli Parisiensis hac re diligenter discussa, auditisque in iudicio contradictorio partibus pro utraque provincia et mature consideratis rationibus adductis ac propositis, communi et unanimi omnium consensu decretum est, quemadmodum et per praesentes decernimus, praedictum conventum nostrum civitatis de Macao in regno Chinae restitui et incorporari debere, sicuti praesentium tenore restituimus et incorporamus, suae matri et fundatrici provinciae s. Rosarii Philippinarum; unde quamplures maximique proventus in fide sperantur. Quod quidem excutioni mandari praecipimus, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, patrocinio, favore atque auxilio piissimi et potentissimi Philippi III. Hispaniarum et Indiarum regis catholici, nomine huius diffinitorii capituli generalis praefati. Mandantes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto et poenis excommunicationis et gravioris culpae, privationis-

que omnium graduum et officiorum, ipso facto incurrendis, tam rev. p. provinciali vel praesidenti provinciae nostrae Portugalliae, quam rev. p. vicario vel praesidenti congregationis nostrae Indiae orientalis ac singulis eorum pro tempore, ut quamprimum effectivam, realem ac liberam dicti conventus nostri de Machao in regno Chinae possessionem tradant eidem provinciae s. Rosarii Philippinarum; quae eiusdem conventus possessionem quamprimum recipiat. Praecipimusque sub dictis praecepto et poenis tam patri priori vel praesidenti pro tempore quam fratribus eiusdem conventus de Macao, ut p. provinciali vel praesidenti pro tempore dictae provinciae s. Rosarii Philippinarum subiecti sint et obediant, non obstantibus in contrarium quibuscumque. In nomine patris et filii et spiritui sancti. Amen.

S. Petri Martyris.

Declaramus in eadem provincia ven. p. fr. Balthassarem de Pinarolio filium esse conventus s. Dominici de Pinarolio, cum fuerit receptus ad habitum nomine illius conventus, professionemque fecerit nomine conventus Taurinensis, inconsultis patribus Pinaroliensibus.

Approbamus affiliationem p. fr. Thomae Calcagni de Bugella factam pro conventu Vercellarum.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Hyacinti Ghisulpi de Mediolano et praedicaturam generalem p. fr. Lactantii de Novaria.

Promovemus ad magisterium rr. pp. baccalaureos fr. Iacobum Ambria de Mediolano, qui fuit baccalaureus studii, et fr. Ioannem Baptistam Ferrerium de Pinarolio.

Promovemus ad baccalaureatum rr. pp. lectores fr. Eugenium Palazzolium Astensem, fr. Dominicum Castilioneum de Mediolano, fr. Petrum Antonium Balada de Vercellis, fr. Hieronymum Olivetum de Bugela et fr. Gasparem Carcanum.

Instituimus in praedicatores generales rr. pp. fr. Franciscum Mariam Sandilianum de Cherio lectorem, fr. Melechiorem Lucinum de Mediolano lectorem et fr. Thomam Pannum Astensem.

Damus in regentem studii nostri s. Eustorgii de Mediolano pro annis 1612, 1613 et 1614 reverendum patrem fr. Hieronymum Reviolium baccalaureum; in baccalaureum vero pro supradictis annis rev. p. fr. Gasparem Carcanum, in magistrum studentium pro annis 1612 et 1613 incipiendo a festo Nativitatis Domini rev. p. fr. Timotheum Butium de Cherio lectorem.

Instituimus in magistrum sacrae theologiae rev. p. baccalaureum fr. Hieronymum Reviolium praefatum, dummodo expleto officio baccalaureatus exerceat officium regentis iuxta tempus praefixum in hoc generali capitulo.

Restituimus ad vocem activam et passivam p. fr. Bartholomaeum Ravaglium, p. fr. Ioannem Petrum Cignetum de Clarasco, p. fr. Thomam Calcagnum de Bugella et p. fr. Dominicum Facetta de Clarasco.

Aprutinae.

Concedimus provinciae sanctae Catharinae de Senis seu Aprutinae, ut lectores et praedicatores iuxta laudabilem eiusdem consuetudinem examinari et approbari debeant in studio generali ipsius provinciae in conventu videlicet sancti Dominici de Aquila, alias nec gaudeant titulis nec fungantur officiis, sed totum sit irritum et inane, nisi alias fuerint in aliquo alio studio generali ordinis examinati et approbati iuxta ordinationes capitulorum generalium.

Declaramus conventum Iesus Mariae et sancti Vincentii et conventum sancti Severi maioris in civitate Neapolitana et conventum sanctae Mariae ab Arcu in dioecesi Nolana pertinere ad eamdem provinciam sanctae Catharinae de Senis, alias Aprutinam, imponentes perpetuum silentium omnibus et singulis fratribus nostri ordinis et prohibentes sub poenis gravioris culpae et aliis reverendissimo magistro ordinis arbitrariis, ne quis de divisione aut avulsione dictorum conventuum ab ipsa provincia loqui, tractare aut procurare quomodolibet praesumat.

Ordinamus pro eadem provincia, ut nullus designetur in magistrum studentium, nisi saltem per duos annos theologiam praelegerit.

Ordinamus primo, ut examinatores et revisores testimonialium eorum, qui volunt recipi ad habitum ordinis sint quatuor, qui et omnes in civitate Neapolitana morentur.

Acceptamus in eadem provincia lecturam pro forma et gradu magisterii rr. pp. magistrorum fr. Antonii de Caramanico et fr. Thomae de Tocco, qui officio regentis in studio nostro generali sancti Dominici de Aquila functi sunt.

Acceptamus etiam magisteria rr. pp. fr. Angeli Varalli et fr. Ioannis Baptistae Antonelli necnon et praedicaturam generalem rev. p. fr. Timothei Lucensis cum omnibus gratiis et privilegiis consuetis.

Acceptamus insuper monasterium monialium sanctae Catharinae de Senis in civitate Aquilae cum clausura et omnimoda exemptione, qua omnia alia nostri ordinis monasteria quocumque modo potiuntur et gaudent.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Albertum Montagnolum baccalaureum ordinarium studii generalis eiusdem provinciae cum omnibus gratiis et privilegiis etc.

Instituimus in praedicatores generales ad petitionem ipsius provinciae rr. pp. lectores fr. Archangelum de Dominicis, fr. Dominicum Vellium, fr. Dominicum de Castellina et fr. Angelum Orabona.

Damus in regentem studii nostri generalis Aquilani rev. p. magistrum fr. Albertum Montagnolum pro anno 1613 post expletam lecturam regentis praesentis.

Damus in baccalaureum eiusdem studii rev. p. fr. Dominicum Eliam pro eodem anno 1613.

Damus in magistrum studentium rev. p. lectorem fr. Equitium Narniensem.

Declaramus domos nostras sancti Ioannis Baptistae de Atrio, beatae Mariae Annunciatae de Castro Sangri et sancti Ioannis Baptistae de Teramo privatas esse, quemadmodum etiam per praesentes privamus, privilegiis prioratus et praesertim voce in capitulis provincialibus eiusdem provinciae et reducimus illas ad pristinum statum, in quo erant antequam a reverendissimo patre nostro magistro generali ordinis eiusmodi privilegiis donarentur, cum appositam in erectione earum ad titulum, vocem et privilegia prioratus conditionem, nempe quod duodecim fratres de facto alerent, ex tunc usque adhuc minime servaverint neque servent.

Congregationis Occitanae reformatae.

Congregationem nostram Occitanam reformatam auctoritate apostolica ad instantiam et petitionem christianissimi Francorum regis Henrici IV. fel. mem. a reverendissimo p. n. magistro generali ordinis erectam et institutam approbamus et confirmamus, eique perpetuae firmitatis robur adiicimus; necnon et in vicarium eius generalem rev. p. magistrum fr. Sebastianum Michaelis, per litteras eiusdem reverendissimi magistri ordinis ipsimet congregationi praefectum, confirmamus cum eadem auctoritate et potestate super conventibus et fratribus nostris in dictis literis contentis et expressis, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Declarationes.

Primo declaramus, quod qui propter delicta sua privati fuerunt habitu ordinis aut eo se sponte et culpabiliter exuerunt et absque illo per aliquod temporis spatium permanserunt, si postea restitutus fuerit illis habitus, tempus ipsum, quo privati extiterunt, non computetur eis ad antiquitatem religionis.

Secundo declaramus, ordinationem illam capituli generalis 1601, qua sancitur, ut si superior noluerit procedere ad electionem novi prioris, tunc antiquior in ordine habeat facultatem convocandi vocales et procedendi etc., ita esse intelligendam, videlicet si post tres vel quatuor dies a vacatione prioratus, supprior requisitus noluerit convocare vocales nec procedere ad electionem prioris, tunc habeat facultatem antiquior in ordine etc.

Tertio declaramus, quod illi tantum sunt et haberi debent patres provinciae, qui fuerunt provinciales vel sunt in sacra theologia magistri provinciae et praeterea nulli alii, cuiuscumque aetatis, gradus et conditionis sint vel fuerint.

Commissiones.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, prout in capitulo proxime celebrato ex parte commissum erat, ut apud sanctissimum d. n. procurare faciat et obtinere, ut de beato Alberto Magno et de beato Ambrosio Sansedonio divinum officium per totum ordinem solemniter recitari possit sacrumque persolvi, eo modo quo fit de beata Agnete de Monte Politiano et de beato Ludovico Bertrando; idem etiam in specie committimus circa beatam Margaritam de Castello, ut reverendissimus magister ordinis aliquem patrem Romanae provinciae ad huiusmodi negotium accurate pertractandum eligat, cui huiusmodi onus iniungat.

Committimus etiam reverendissimo magistro ordinis, ut si fieri poterit, Romae erigatur officina typographica pro commoditate totius nostrae religionis, in qua possint excudi libri omnes tam ad chorum et cultum divinum quam ad commune regimen ordinis spectantes, prout sese obtulerit occasio aut paternitati suae reverendissimae videbitur expedire.

Committimus reverendissimo magistro ordinis et strictissime commendamus reformationem monasteriorum utriusque sexus provinciarum et congregationum Galliae, praesertim huius nostri conventus sancti Iacobi Parisiorum, conferentes eidem omnem auctoritatem et facultatem nostram, quae ad negotium hoc perficiendum fuerit necessaria; idem dicimus de monasteriis monialium, ita ut si invenerit easdem inobedientes et rebelles, possit earum curam deponere et renuntiare ordinariis. Decernimusque tam priores quam priorissas in posterum fore triennales, ita ut triennio sui regiminis expleto, intelligantur ipso facto absoluti et absolutae a suis officiis, nulla alia requisita declaratione, et libere possint sibi vocales per electionem canonicam de legitimo capite providere; omnibusque viribus laboret pro clausura monasteriorum, prohibendo etiam sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda et aliis arbitrariis et gravioribus, ne fratres introducant vel ingredi permittant intra septa et clausuram suorum conventuum mulieres cuiuscumque aetatis, status et conditionis, nec moniales clausuram suorum monasteriorum egrediantur aut exteras personas illuc ingredi permittant nisi in casibus a iure permissis.

Committimus eidem reverendissimo ad instantem petitionem rev. p. vicarii generalis nostrae congregationis Gallicanae et aliorum graviorum patrum eiusdem, ut extincto nomine congregationis eamdem erigat in

provinciam cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus caeterae ordinis provinciae gaudent, sub titulo sancti Ludovici regis Franciae, dummodo expresse renuntient omnibus indultis et privilegiis, quibus exemptionem ab obedientia magistri ordinis et capitulorum generalium possent quoquomodo praetendere, et dummodo reformationem sibi a reverendissimo magistro ordinis praescribendam recipiant.

Admonitiones.

Primo, admonemus admodum rr. pp. provinciales, ut prioribus conventuum auctoritatem, quae eisdem a sacris constitutionibus nostris et de iure communi concessa est, auferre aut limitare non attentent, et viceversa priores facultatem provincialibus tantum attributam sibi usurpare non praesumant.

2. Admonemus admodum rr. pp. provinciales et provinciarum vicarios et quoscunque capitulorum diffinitores conformiter ad ea, quae in pluribus capitulis generalibus et praesertim in capitulo generali Romae celebrato anno 1589 sancita et declarata fuere, non esse videlicet in potestate alicuius provinciae praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii non acceptare acta seu statuta capitulorum generalium, sed omnes et singulas provincias decretis et ordinatis in eisdem capitulis ita subiectas esse, ut unaquaeque earum teneatur ipsa acta in unoquoque conventu publicare, acceptare et inviolabiliter observare, utpote pro communi bono provinciarum, conventuum et fratrum facta. Et quatenus opus esset, auctoritate apostolica revocamus et annullamus quamcunque consuetudinem aut quodcumque aliud in contrarium existens.

3. Admonemus omnes et singulos utriusque sexus conventuum praesidentes, ut tam in receptione ad habitum quam in admissione ad professionem tacitam vel expressam faciant recipiendis et admittendis solemnem illam protestationem a sacris nostris constitutionibus praescriptam, videlicet, quod ipsa persona recipienda seu admittenda post professionem tenebitur ad observantiam regulae et constitutionum nostrarum, non prout hic vel ibi servatur, sed simpliciter, prout littera sonat, ita ut quandocunque praelatus suus ipsum ad exactam observantiam regularem compellat vel astringat, teneatur obedire simpliciter; promittit enim obedientiam secundum regulam b. Augustini et constitutiones fratrum praedicatorum; cuius protestationis sicut et professionis publicum et authenticum documentum ab ipso profitente propria manu subscriptum fieri et factum diligenter asservari et ad perpetuam rei memoriam faciant custodiri in libro ad hoc specialiter designato. Quod si provincialis invenerit priores aut priorissas ista non praestantes, irremissibiliter eos vel eas absolvat ab officiis et declaret incidisse in poenas gravioris culpae.

Concessiones.

Concedimus omnibus provinciis habentibus provinciales quadriennales et non habentibus capitulnm intermedium, si tamen haec concessio toti provinciae in primo capitulo provinciali congregatae proposita placuerit et ab omnibus fuerit acceptata, ut possint convocare congregationem ex prioribus praecipuorum conventuum et magistris antiquioribus et patribus, qui fuerunt provinciales, in qua fieri possint diffinitores ad instar capituli provincialis et haberi scrutinium de retentione vel amotione prioris provincialis, eligi diffinitor capituli generalis, si in praecedenti capitulo non fuerit electus; denique tantam habeat haec congregatio auctoritatem, quantam haberet capitulum intermedium formaliter convocatum.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, ut pro una vice tantum eligere possint aliquem patrem sacerdotem, in nostro ordine ad audientiam confessionum expositum, qui ipsos absolvere queat ab omnibus peccatis, casibus et censuris, quae et quas ante horum publicationem incurrissent. Idem absolutionis beneficium conferre poterunt monialibus ordinarii earundem confessarii.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. pp. diffinitoribus huius capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen post talem eius damnationem ad meliorem frugem reversus, in ipsa nostra religione per notabile aliquod temporis spatium religiose vivendo tanto se favore dignum exhibuerit.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Paulo V., qui ordinem nostrum mirifice fovet et diligit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu sanctae Romanae ecclesiae quil. sac. unam missam.

Pro augustissimo imperatore Rodulpho II. et statu Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege quil. sac. unam missam.

Pro christianissima Francorum regina quil. sac. unam missam.

Pro catholico Hispaniarum rege quil. sac. unam missam.

Pro serenissimo rege Poloniae quil. sac. unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Burghesio, nostri ordinis protectore, quil. sac. unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Asculano, ex ordine nostro assumpto, quil. sac. unam missam.

Pro illustrissimis et reverendissimis dominis cardinalibus sancti Officii universalis Inquisitionis quil. sac. unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quil. sac. unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis q. s. un. mis.

Pro omnibus principibus christianis, qui sub obedientia sedis apostolicae vivunt, et pro pace inter eos servanda ac pro bono totius christianae reipublicae quil. sac. unam missam.

Pro felici statu illustrissimae Urbis Lutetiae Parisiorum et pro nobilibus civibus eius catholicis quilibet sacerdos unam missam.

Pro statu et reformatione totius ordinis nostri et pro eius capite reverendissimo magistro ordinis et in eius societate laborantibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris et maxime pro his, qui huic capitulo eleemosynas elargiti sunt, quilibet sacerdos unam missam.

Ubi sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima christianissimi regis Francorum et Navarrae Henrici IV. quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus bonae memoriae illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam nostro generali capitulo in suis testamentis reliquerunt, quil. sac. unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a tempore praeteriti capituli generalis obierunt, quil. sac. unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. un. mis.

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Damus reverendissimo patri nostro magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, et eisdem addere vel minuere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, praesertim vero circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus et circa reformationem conventuum fratrum et monasteriorum monialium, secundum quod eius prudentiae videbitur expedire.

Praecipimus denique in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum, congregationum et vicariarum praesidentibus, ut acta huius capituli in omnibus conventibus suae curae subiectis, infra duos menses a receptione praesentium, legi et publicari faciant et inviolabiliter exequutioni mandari, et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio omnia, nullo praeter-

misso, legantur. Mandantes insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu habeantur eorumdem exemplaria, quorum unum in communi deposito cum aliis consuatur, alterum habeant priores seu praesidentes conventuum, tertium conservent magistri novitiorum, ne quis praetextu ignorantiae eorum, quae pie sancita sunt, se possit excusare. Volumus autem, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Fratres et sorores qui cum sanctitatis opinione obiere.

In provincia Aragoniae obiit Valentiae rev. p. fr. Martinus Suarez, socius et maxima familiaritate coniunctus bonae mem. fr. Dominico de Anadon, qui post admirabilis patientiae exemplum, quod in longa et molestissima sua aegritudine praestitit, de morte sua certior divinitus factus et decantato paulo ante obitum cantico « Te Deum laudamus », quievit in pace. Post eius transitum factus est ingens populi concursus ad tangendum, osculandum et religiose venerandum corpus eius.

In conventu nostro Oriolensi eiusdem provinciae obiit ven. p. fr. Petrus Portillo, pauperum amator, humilitate et vitae innocentia mirabilis, clarus miraculis in vita et post mortem. Cuius sanctitatem et virtutum studia, quibus in vita enituit, et maxima populi frequentia, qui ad inspiciendum venerabile corpus eius vestesque illius devotionis ergo scindendas et asportandas magna cum pietate sponte confluxit, testata sunt.

In civitate Valentina obiit ven. virgo soror Ursula Sepen, tertii ordinis de poenitentia, in abstinentia et divinarum rerum contemplatione assidua, quae multis ac admirandis a Christo domino, beatissima eius Matre ac gloriosissimo patriarca nostro s. Dominico aliisque sanctis cohonestata de caelo favoribus migravit in pace.

In villa Fontinentana eiusdem regni Valentiae obiit ven. soror Anna Arbuxer, tertii ordinis nostri de poenitentia, orationi contemplationique dedita, maximae erga infirmos charitatis, quibus ut plurimum solo manuum tactu et oratione sanitatem restituisse fertur. Haec caelesti perfusa dulcedine non raro post sacram Sinaxim ab omni sensu abstracta, in solo divinarum rerum obtutu defigi consueverat et tandem superatis multis variisque daemonum insultibus, perceptis devotissime sacramentis, crucem Christi Domini cum lachrymis amplexa, feliciter obdormivit in Domino.

In provincia s. Catharinae martyris de Quito obiit ven. p. fr. Chrystophorus de Pardave, vir timens Deum et tantae sanctitatis et simplicitatis, ut ab omnibus « dilectus Deo et hominibus » nuncuparetur. Hic pater

austerus in seipsum, clementissimus et mitis in alios fuit, vinum numquam bibit, parum et raro comedebat, ferro et cilicio ita corpus per multos annos ad extremum usque vitae suae diem constrinxerat, ut post mortem non nisi carnis laceratione ex humeris avelli potuerit, tabulis pro lecto utebatur, quandoque etiam super urticas dormiebat. Tantae fuit in infirmos virtutis, ut ad eum Indorum populi sanitatis recuperandae ergo confluerent, sed ut erat humilis, non suis precibus et meritis, sed cuidam medicamento, quod propriis ipse manibus conficiebat, habitam sanitatem tribuebat. Tandem septuagenarius revelato sibi a domino transitus sui die, cum esset sanus et sospes corpore, petitis et impetratis a priore conventus ecclesiasticis sacramentis et dicto « in manus tuas Domine » etc. migravit ad Dominum; cuius mortem in conspectu Domini praeciosam fuisse, maximus populi concursus ostendit, praecipue vero totius senatus regalis Quitensis, qui sponte cum episcopo non vocatus ad venerabile corpus eius inspiciendum et venerandum advenit.

In provincia s. Rosarii Philippinarum obiit rev. p. fr. Ioannes de Castro primus huius provinciae fundator, vir Deo plenus, qui post multos labores pro fidei dilatatione, maxime in regno Chinae perpessos, post vincula et carceres, recusato etiam episcopatu a catholico rege sibi oblato, contentus vilissimo strato, quo etiam mortis suae tempore dumtaxat usus est, cum nullo antea uteretur, plenus dierum requievit in pace.

In eadem provincia sex alii fratres, quorum nomina scripta sunt in libro vitae, in ipso itinere, cum irent ab Hispania ad dictam provinciam, in insula quadam dicta de Guadalupe, manibus barbarorum occubuere; quorum corpora cum postea christiani colligerent, viderunt multa in testimonium sanctitatis ipsorum signa, quae omnibus, qui in eadem classe erant, palam facta sunt.

In provincia s. Catharinae Senensis obiit Asculi rev. p. fr. Dionysius de Luca, prior nostri conventus s. Petri Martyris eiusdem civitatis, vir regularis observantiae tenacissimus, cum opinione sanctitatis tam apud fratres quam apud saeculares, cuius meritis et precibus plurima dicuntur patrata miranda, ob quae dicta civitas Asculana magno totius populi concursu et propriis expensis voluit peculiari et eminentiori loco corpus ipsius defuncti sepeliri.

Capitulum generale sequens, quod erit provincialium, celebrabitur in Italia in conventu a reverendissimo patre nostro magistro ordinis designando.

Finis.

ACTA CAPITULI GENERALIS
ROMAE
IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM
CELEBRATI
IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES
IX. IUNII ANNO DOMINI MDCXII.

Sub reverendissimo patre fr. Seraphino Sicco Papiensi, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo electo, diffinientibus admodum rr. pp. provincialibus ac diffinitoribus infrascriptis :

p. magistro fr. Petro de Amore provinciali Franciae,
p. magistro fr. Constantino Gandino de Brixia prov. utriusque Lombardiae,
p. magistro fr. Dominico Landio provinciali Romano,
p. magistro fr. Seraphino de Nuceria provinciali Regni,
p. magistro fr. Servatio Iungling provinciali Germaniae superioris,
p. magistro fr. Ioanne Chrysostomo provinciali Poloniae,
p. magistro fr. Ioanne Santato provinciali Graeciae,
p. magistro fr. Angelo Brixio provinciali Terrae sanctae,
p. magistro fr. Raphaele Riphoz provinciali Aragoniae,
p. magistro fr. Vincentio ab Antverpia provinciali Bohemiae,
p. magistro fr. Petro Paulo Passarono provinciali provinciae Provinciae,
p. magistro fr. Vincentio Candido provinciali Siciliae,
p. magistro fr. Michaele Ophovio provinciali Germaniae inferioris,
p. magistro fr. Baptista Baccarino provinciali Apuliae,
p. magistro fr. Paulo de Callio provinciali utriusque Calabriae,
p. magistro fr. Vincentio le Clerc provinciali Occitano,
p. magistro fr. Angelo Andronico provinciali Veneto,
p. magistro fr. Theophilo Lupatino provinciali Aprutino,
p. magistro fr. Antonio de Sotomayor diffinitore Hispaniae,
p. magistro fr. Paschasio de Iardins diffinitore Franciae,
p. magistro fr. Hieronymo Soncinate diffinitore utriusque Lombardiae,
p. magistro fr. Nicolao Sermartellio (1) diffinitore Romano,
p. magistro fr. Andrea de Caserta diffinitore Regni,
p. magistro fr. Michaele Cremerio diffinitore Theutoniae,
p. fr. Luca Ugolino de Brixia diffinitore Graeciae,
p. magistro fr. Bernardo Sarrià diffinitore Aragoniae,
p. magistro fr. Raphaele Cotta diffinitore Provinciae,

(1) De fr. Nicolao Sermartellio cf. Masetti l. c. pag. 124, 129.

p. magistro fr. Victorio de Zara diffinitore Dalmatiae,
p. magistro fr. Hieronymo Sangeorgio diffinitore Siciliae,
p. praesentato praedicatore gen. fr. Sebastiano de Pavia diff. Portugalliae,
p. praesentato et praedicatore generali fr. Petro Delgado diff. Bethicae,
p. fr. Thoma Caplotinio diffinitore provinciae Germaniae inferioris,
p. magistro fr. Bartholomaeo de Gallipoli diffinitore Apuliae,
p. magistro fr. Vincentio a Saracena diffinitore utriusque Calabriae,
p. magistro fr. Petro Bruno diffinitore Occitano,
p. magistro fr. Livio Leono diffinitore Veneto,
p. magistro fr. Ioanne Ambrosio de Alexandria diffinitore s. Petri Martyris,
p. magistro fr. Ioanne Dominico Montagnolo (1) diffinitore Aprutino.

Fr. Seraphinus Siccus Papiensis, sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum generalis magister et servus, universis eiusdem ordinis professoribus salutem et regularis observantiae incrementum.

Cum instituta s. p. n. Dominici sollicite tueri debeam et religionem nostram per totum terrarum orbem diffusam, pro magisterii mei munere auctam ornatamque magis ac magis in dies velim, Deum votis precibusque assidue oro, ut qui in eam me curam elegit, conatus quoque meos adiuvet, ut quibus praeesse me voluit, prodesse etiam valeam. Equidem natura studioque ad illam me rationem confirmatum esse intelligo, ut aliorum infirmitatibus compatiar, omnes diligam, omnium saluti prospiciam, omnes Christo Domino lucrifaciam, de nemine desperem. Quoniam vero qui in nostrum ordinem, vel non aetas pridem nomina dederunt, vel recens cooptantur, ad erudiendos populos ad iustitiam haereticosque confutandos comparantur, quibus in rebus ecclesiae catholicae maiores nostri magno semper adiumento extiterunt, danda strenue est opera, ut iunioribus grandiores natu exemplo simus; qua in capessenda et retinenda vitae irreprehensibilis observantia, qua in studiis naviter excolendis, ut bonus odor Christi omnibus nationibus dominicana religio existat, virtutibus floreat et ad Dei gloriam hominumque aedificationem pietate pariter et doctrina spectabilis, longe lateque propagetur. Quare invigilandum est mihi et modis omnibus enitendum, praedecessoris mei exemplo, ne quid in monasteriis nostris neque a praepositis neque a fratribus aliter fiat, atque oportet, nihilque committatur, quod a vetere et incorrupta religionis nostrae disciplina alienum esse videatur, minusque animarum nostrarum saluti conducat, cuius rei gratia divino instinctu omnes a saeculi procellis actibusque in hunc tutissimum religionis por-

(1) De fr. Ioanne Dominico Montagnolo cf. SSOP. II, 373.

tum confugimus. Vos igitur primum rogo, ut paternam sollicitudinem meam vestris apud Deum precibus adiuvetis; deinde hortor et moneo, ut leges in his commitiis generalibus de doctissimorum et probatissimorum patrum iudicio ac consilio editas libenti animo suscipiatis, ad eas si quae sint corrigenda et reformanda, tamquam ad certam normam dirigatis et reformetis. Spero autem in Domino brevi fore, ut cum per provincias monasteria constituta visitabo, nihil non optime dispositum inveniam.

Valete, filii carissimi, et Deum pro me orate.

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam celebrati in festo sanctissimi Pentecostes nona iunii anno Domini 1612 sub reverendissimo p. fr. Seraphino Sicco Papiensi, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, in eodem capitulo electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper Virginis, et b. p. n. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Denuntiationes.

Denuntiamus omnibus nostri ordinis fratribus, illustrissimum et reverendissimum d. fr. Augustinum Galaminium tituli s. Mariae de Aracaeli ex magistro generali ordinis praedicatorum fuisse assumptum a sanctissimo d. nostro Paulo papa V. ad amplissimam cardinalatus dignitatem, ob idque tantum beneficium et honorem ordinem nostrum ingentes et immortales eidem sanctissimo d. n. gratias egisse.

Denuntiamus, vacante magisterio generali ordinis, ob praefatam assumptionem eiusdem illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis de Aracaeli, in hoc generali capitulo electum fuisse summo patrum consensu reverendissimum p. fr. Seraphinum Siccum Papiensem, totius ordinis in Romana curia procuratorem et vicarium generalem, assistentibus in eadem electione illustrissimis et reverendissimis dd. cardinalibus Burghesio, ordinis nostri protectore, et de Aracaeli, nuper magistro generali; eundemque electum magistrum ordinis, ipso electionis die solemni processione ad s. d. n. Paulum papam V. fuisse deductum et ab eodem sanctissimo benevole et amanter acceptum.

Denuntiamus, ab eodem reverendissimo p. magistro fr. Seraphino Sicco Papiensi institutos fuisse in vicarium eius generalem admodum rev. p. magistrum fr. Raphaelem Riphoz Barchinonensem provincialem provinciae Aragoniae. In procuratorem generalem ordinis in Romana curia admodum rev. p. magistrum fr. Lucam Castellinum Faventinum eiusdem

reverendissimi generalis socium provinciae utriusque Lombardiae. In provincialem Terrae sanctae admodum rev. p. magistrum fr. Thomam Marinum praesentis capituli secretarium, provinciae Romanae.

Denuntiamus, s. d. n. Paulum papam V. societatibus sanctissimi nominis Dei in ecclesiis nostris per universum terrarum orbem constitutis concessisse indulgentiam plenariam perpetuis temporibus duraturam pro secunda dominica cuiuslibet mensis per litteras apostolicas in forma brevis sequentis tenoris:

Paulus papa V.

Ad perpetuam rei memoriam. Pias Christifidelium confraternitates ad pietatis et christianae charitatis opera exercenda canonice institutas, ut in eorumdem operum exercitio quotidie magis confoveantur, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus non praetermittimus invitare, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii confratres confraternitatum in ecclesiis fratrum ordinis praedicatorum ubique canonice sub invocatione nominis Iesu institutarum, ex antiquo ipsarum confraternitatum instituto secunda dominica cuiuslibet mensis solemnem processionem peragere soleant, nos ipsas confraternitates, quibus certas indulgentias et peccatorum remissiones per alias nostras litteras in huiusmodi forma brevis expeditas olim concessimus, ampliori dono decorare volentes ac litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in aliqua ex dictis confraternitatibus ubique in ecclesiis fratrum praedicatorum ordinis huiusmodi canonice institutis, nunc descriptis et pro tempore describendis, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui processioni secunda dominica cuiuslibet mensis, ut praefertur, per dictas confraternitates celebrari solitae, devote interfuerint et pro sanctae matris ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione ac christianorum principum concordia pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut si alias christifidelibus in dictis confraternitatibus, seu aliqua earum descriptis praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, illa nulla sit. Datum Romae apud s. Marcum sub anulo piscatoris die 28. septembris 1612 pontificatus nostri anno octavo.

Gratis pro Deo et scriptura.

S. Cobellutius.

Denuntiamus, die 19. mensis ianuarii 1605, indictione 3. sub fel. rec. Clemente papa VIII. ab illustrissima civitate Neapolitana, approbante ac laudante eodem summo pontifice, sanctum Thomam Aquinatem doctorem angelicum novum patronum electum protectoremque adscitum fuisse. Cuius rei seriem et in eiusdem sanctissimi praeceptoris, eiusque integerrimae et ab omni prorsus errore immunis doctrinae commendationem et nostrae dominicanae familiae ornamentum, praefataeque rei confirmationem a sancta Romana et apostolica sede, veritatis magistra, brevia emanata, gravissimis patribus hoc ipsum poscentibus in praesentis capituli actis inseri totique ordini nostro conspicua fieri curavimus; sunt autem quae sequuntur.

A tergo:

Dilectis filiis nobilibus viris deputatis a civitate Neapolitana.

Intus vero:

Clemens papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. In quo nos pastoralis officii nostri cura excitati elaboramus tantopere, ut hominum cogitationes omnes ad cultum divinum atque ad sanctorum venerationem intendantur, in id vos sponte ferri cum videamus, inenarrabili certe laetitia in Domino exultamus. Gratia Dei facitis id quod facitis, et gratia Dei in vobis vacua non est, cum donis caelestibus cumulati gratos vos exhibetis, memoresque beneficiorum aucta in Deum pietate, atque in sanctos eius reverentia. Quarum quidem cogitationum, ut auctorem verum Deum maxime oportet agnoscere, ita etiam affirmandum eas ipsas piis precibus eorum, in quorum tutela civitas ista est adscita, divinae maiestati acceptas esse magis. Proinde pie prudenterque cogitatis de novo civitati patrono adsciscendo, cive vestro divinae voluntatis angelico interprete, vitae sanctitate et miraculis claro Thoma Aquinate, cuius doctrinae tantum fuit tributum, ut christianae eruditionis suae divinum etiam illud habeat testimonium: « Bene de me Thoma scripsisti ». Tali vos tantoque deprecatore, quia iure arbitramini divinos thesauros facilius vobis posse patere, suppliciterque ac demisse rogatis, ut ad reliquos patronos istius civitatis is quoque adiungatur; nos auctoritate nostra apostolica pium sanctumque istud vestrum consilium probamus vobisque, ut id liceat, concedimus, quod si quid et preces nostrae valent, pro vobis etiam humillime supplicamus, vobis idem ut presto sit, vestrasque orationes pio e corde profectas porrigat divinae maiestati curetque, ut vobis sint eaedem salutares. Unum id monemus civitatem istam tamquam novo sponso e caelo venienti occurrere oportere circumdatam monilibus, sicut sponsam ornatam viro suo, ut ille vestimentorum, hoc est bonorum operum odore suavissimo captus charitatis vinculo sponsae adhaereat ar-

ctiori. Ratum id habeat, qui bonus omnibus propitius est Deus, et quam nos ad augendam pietatem vestram vobis nunc benedictionem nostram impartimur, sua idem sanctissima gratia prosequatur cumulatissime. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XXII. novembris MDCIII pontificatus nostri anno duodecimo.

Martius Malacrida.

Decretum autem praedictorum deputatorum civitatis Neapolitanae est sequentis tenoris:

Quod virum sanctissimum Thomam Aquinatem novum patronum urbi adsciscimus, ut ea res invictissimo atque augustissimo regi nostro Philippo, cunctis patrum ordinibus populoque Neapolitano prospera et laeta eveniat, votis omnibus precamur. Igitur quod omnibus innotescat hodie 19. mensis ianuarii anni 1605 indictione 3. constituti in nostra praesentia Fulvius Constantius marchio Corleti et supremi a latere consilii regens, Ioannes Simon Moccia, Horatius Ligorius, Marcus Antonius Mormilis, Alphonsus Ligorius, Franciscus Mormilis de Sedili Portae novae, Felix de Marra, Marcus Antonius Caracciolus de Sedili Capuanae, Ioan. Paulus Sanfelicius, Fabius Surgens, Caesar Carmignanus quondam Renaldi, Carolus Miroballus, Horatius Muscetola de Sedili Montaneae, don Caesar Pappacoda, Fabritius Tuttavila, Hieronymus Macedonius de Sedili Portus, Ascanius Carafa, Claudius Milanus, Alonsus Brancatius de Sedili Nidi, Anellus de Martino, Franciscus Imperatus U. I. D., Horatius Campansilis U. I. D., Octavius de Martino U. I. D., Iacobus Pintus, Franciscus Pavellus, Ioannes Hieronymus Romanus et Antonius de Iacobo pro fidelissimo populo.

Deputati ab hac fidelissima civitate Neapolitana praesentes in templo d. Dominici ante aram maximam, astante frequentissima nobilium corona ac fere innumerabili tum civium tum exterorum multitudine. Praedicti deputati publice declaravere hanc fidelissimam civitatem Neapolitanam iamdiu summo studio concupivisse atque exoptasse, d. Thomam de Aquino, divinae voluntatis angelicum interpretem, vitae sanctitate, miraculis et eruditione insignem inter urbis tutelares patronos referre, ut praeter Ianuarium, Athanasium, Asprenum, Agrippinum, Severum, Eusebium et Anellum sancti quoque Thomae adiunctis precibus, praepotens et miserator Deus mala omnia avertat bonaque plena manu largiatur.

Huius autem optandi patrocinii praeter causas, quae cum aliis possunt esse communes, illae etiam accesserunt, quod ex hac ipsa urbe a nobilissima Aquinorum familia originem trahat, quod hinc primum disciplinis eruditus, quod bonae vitae partem in hac urbe et sacra aede tra-

duxerit, quo tempore cives omnes singulari studio complexus est, eosque publice sacras litteras docuit, quod hinc etiam divinum illud oraculum: « Bene scripsisti de me Thoma » audire meruerit. Quamobrem re communicata cum illustrissimo et excellentissimo d. d. Ioanne Alphonso Pimentel de Herrera, Beneventanorum comite optimo et praestantissimo prorege, non modo potestatem fecit, sed cohortatus etiam est operam suam apud pontificem maximum pollicitus ac postea rem omnem singulari pietate promovit. Tandem sanctissimus d. Clemens VIII. pontifex maximus civitatis precibus commotus, collaudato eius studio ac pietate, ut id faceret, voti compotem fecit, transmissis ad hanc fidelissimam civitatem ipsosque deputatos infrascriptis apostolicis litteris in forma brevis.

Quare praefati deputati civitatis nomine eius voluntatem adimplere volentes, Thomam de Aquino, doctorem angelicum, in patronum et protectorem accipiunt atque inter caeteros urbis tutelares ascribunt, eundemque sanctum submisse atque enixe obsecrant, ut assiduas pro ea ad Deum preces effundat, urbemque a peste, fame et bello, caeterisque infortuniis vindicet ac tueatur, et in fidem ac tutelam acceptam cives atque incolas omni bonorum genere cumulet ac divinum praecipue obsequium nobis impetret. Praeterea Philippum III. regem nostrum, catholicae fidei defensorem acerrimum, cum prole sua protegat et foveat, sanctam iustamque eius voluntatem fortunet et dirigat, eique longaevam ac felicem aetatem exoret. Praedicti denique deputati eiusdem s. Thomae augustissimam imaginem eius brachii dexteri partem, quo scribente profligavit haereses, sacras litteras illustravit, quam fideli huic civitati fratres dominicanae religionis elargiti sunt, in argentea theca repositam ad sacellum illud templi maximi, quod thesaurum appellamus, quodve caeterorum patronorum asservandis reliquiis dicatum est, asportari et collocari volunt, huiusque translationis diem, qui est hodie, singulis annis, ut diem festum colendum ac celebrandum fore pollicentur. Iurantes ad sancta Dei evangelia meque notarium publicum rogavere, ut haec omnia ad futuram rei memoriam meis tabulis referrem universo acclamante populo ac s. Thomae nomen saepius iterante et ad sua vota invocante.

A tergo:

Dilecto filio nobili viro comiti Beneventanorum in regno Neapolitano proregi.

Intus vero:

Clemens papa VIII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem. Quantum prodesse possint, qui praesunt aliis, vitae integritate et pietate, licet id ex tua nobilitate facile coniicere, quippe omnes animi conatus ad Dei

gloriam atque publicam utilitatem, cum tu dirigas, tacita tui aemulatione populos ad eos imitandos, atque ad eorum normam, vitam, moresque formandos inflammas. Erat quidem antea multo optandum, ut civitas ista pietati in primis dedita, novum patronum ad reliquos, quos habet, addendum curaret Thomam Aquinatem, cuius divino eloquio et caelesti doctrina, miraculisque illa quidem illustris, merito apud remotissimas nationes, summa christiani nominis cum laude atque ecclesiae utilitate celebratur; verum id tuae debebatur virtuti, ut sanctum consilium, etsi acceptum Deo referre oporteat, a quo quicquid boni agimus ac cogitamus, proficiscitur, ex quo nostra omnis sufficientia emanat, tuum tamen in eo etiam studium laudaretur, quo factum est, ut multorum sopita pene pietas te procurante excitetur, atque in oculis omnium, immo in Dei conspectu appareat altior a terra atque eximior; et nos solemus, ut decet, semper favere supplicationibus, sed huic certe ardentiori quadam voluntate annuimus, quod et nos ipsi angelico huic doctori et nostro et totius christianae ecclesiae nomine plurimum debemus, et tua in eum extat pietas singularis. Hoc igitur patrono una cum aliis utatur civitas, hunc in rebus ad usum vitae, ad salutem animarum necessariis fautorem atque adiutorem imploret, nostrique saltem et tui, qui id ipsum optas tantopere, publicisque et privatis precibus teneat memoriam, colatque beneficii accepti recordatione perpetua. Firmum hoc, quod nos auctoritate apostolica et benedictione nostra habemus, firmius faciat Deus sua gratia et benedictione sanctissima. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXII. novembris MDCIII pontificatus nostri anno duodecimo.

A tergo:

Dilectis filiis nobilibus viris civitatis Neapolitanae deputatis.

Intus vero:

Clemens papa VIII.

Dilecti filii, nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem. Sicut angeli in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis ineffabili Dei providentia, non modo singulorum hominum curam gerunt, verumetiam ipsis urbibus et provinciis praesident, ita sancti cum Christo regnantes, qui vitam meruerunt angelorum, non solum privatos quosque homines suis orationibus adiuvant, sed publicas civitates et regna continua protectione defendunt. Sunt enim communes generis humani custodes et legati apud Deum potentissimi, sunt cunei inexpugnabiles et nostrae salutis praesules, qui secretorum conscii divinorum familiarius clementiam Dei pro nostris exorant laboribus et nequissimi daemonis insidias ac conatus ab omnibus divina virtute depellunt. Verum quo plures numero ac meritis praestantiores sunt, qui pro salute homi-

num in caelestibus regnis apud Deum intercedunt, eo homines ipsi desiderata bona facilius impetrant et impetratis diutius perfruuntur. Cum igitur in isto nobili regno plurimi olim sanctitate, miraculis et doctrina insignes viri claruerint, qui universam ecclesiam Dei suarum virtutum splendorem illustrarunt, inter hos autem sancti illi Asprenus, Ianuarius, Agrippinus, Severus, Athanasius, aliique complures tum episcopi tum abbates praecipue floruerint, quos merito haec vestra civitas certos sibi patronos adoptavit. Cumque superiorum temporum memoria sanctus Thomas ordinis praedicatorum, doctor angelicus, ex antiqua et nobili comitum de Aquino familia oriundus similiter in eodem regno tum sanctitatis ac miraculorum gratia tum doctrinae laude clarum extiterit, laudabili consilio eadem civitas illum certis patronis suis adiungendum statuit. Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis iure optimo debetur, ac doctrinae quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinarum genere singulari ordine ac mira perspicuitate sine ullo prorsus errore conscripsit, in quibus conscribendis interdum sanctos apostolos Petrum et Paulum colloquentes, locosque illi quosdam Dei iussu enarrantes habuit, et quos deinde conscriptos expressa Christi domini voce comprobatos audivit. Cum autem illi nunc peculiare eiusdem vestrae civitatis patroni nomen accedat, sperandum est fore, ut rationem perfectae charitatis, qua Deo propinquior est, et patrocinii ad quod eligitur, vobis magis proficiat precibus, quod eiusdem antedicta doctrina eximiae virtutes et summa praesertim, qua semper excelluit humilitas, hunc ipsum honorem postulasse videntur. Quapropter cum ille tam religiose ac demisse semper de se ipso existimaverit, ut inter caetera oblatum a fel. rec. Clemente IV. Romano pontifice praedecessore nostro civitatis vestrae archiepiscopatum insigni cum modestia recusaverit, merito Deus hoc tempore vobis in animum induxit, ut eum, qui cum in terris esset, vobis ad summam humilitatem praeesse noluit, nunc cum in caelis est propter eiusdem sanctitatem in numerum vestrorum patronorum adsciscatis. Qua quidem in re nos pietatem et consilium vestrum plurimum in Domino commendantes electionem a vobis factam auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, illique nostrae et apostolicae confirmationis robur adiicimus et ut in posterum idem sanctus Thomas inter caeteros civitatis vestrae patronos connumeretur, utque etiam ab universo clero saeculari et regulari utriusque sexus cuiusvis ordinis eiusdem civitatis officium de ipso sancto Thoma tamquam de patrono publice et privatim recitari debeat, perpetuo statuimus et mandamus. Sicque ab ipsis et aliis, ad quos spectat observari debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit

attentari, decernimus. Quocirca Deum bonorum omnium auctorem et parentem vobis omnibus precamur, ut meritis quoque ac precibus huius vestri novi protectoris omnes humani generis hostis insidias a vobis longe repellat, civitatem in pace custodiat et universum regnum caelesti benedictione tueatur.

Paulus papa V.

Ad perpetuam rei memoriam. Splendidissimi catholicae fidei athletae beati Thomae Aquinatis, cuius scriptorum clypeo militans Ecclesia haereticorum tela feliciter eludit, honores et venerationem in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudeamus, et iis, quae ad illius honorem devote sancita sunt, ut firma et illibata permaneant, libenter apostolicae firmitatis robur adiicimus. Alias siquidem postquam dilecti filii deputati et electi civitatis Neapolitanae praeter sanctos Ianuarium, Athanasium, Asprenum, Agrippinum, Severum, Eusebium et Anellum dictae civitatis certos patronos, etiam s. Thomam ordinis fratrum praedicatorum, doctorem angelicum, ex nobili comitum de Aquino familia oriundum, cuius natalibus praedicta civitas originem dedit, quique in nobili regno Neapolitano cum sanctitatis et miraculorum gratia, tum doctrinae laude clarus extitit, dictis sanctis patronis laudabili consilio adiungendum duxissent, fel. rec. Clemens papa VIII. praedecessor noster dictorum deputatorum et electorum pietatem et consilium plurimum in Domino commendans, electionem ab ipsis factam per suas in simili forma brevis litteras apostolica auctoritate confirmavit, et ut in posterum idem s. Thomas inter caeteros civitatis praefatae sanctos patronos connumeraretur, atque etiam ab universo clero saeculari et regulari utriusque sexus cuiusvis ordinis eiusdem civitatis officium de ipso s. Thoma, tanquam de patrono, publice et privatim recitari deberet, perpetuo statuit et praecepit ac anniversarium diem translationis brachii dicti beati Thomae ex ecclesia sancti Dominici ad ecclesiam metropolitanam factae, qui vigesimus mensis ianuarii fuit, tamquam festum de praecepto et duplici officio in civitate et dioecesi Neapolitana celebrandum esse ordinavit. Cumque subinde compertum fuisset sub eundem diem vigesimum ianuarii festum diem s. Sebastiani martyris cadere, qui pariter duplici officio celebratur et ea propter eodem die festum translationis huiusmodi modo praemisso celebrari non posse, nos eorundem deputatorum et electorum supplicationibus nobis tunc porrectis inclinati, per alias nostras similes litteras celebrationem anniversarii duplici officio in civitate et dioecesi Neapolitana singulis annis faciendam iuxta ritum breviarii Romani in diem decimam nonam ianuarii transtulimus, utque in civitate et dioecesi praedictis singulis annis in perpetuum die 19. ianuarii festum translationis brachii s. Thomae de Aquino ad praescriptum breviarii Ro-

mani ritum celebrari posset, concessimus et indulsimus. Postmodum vero, sicut nomine eorumdem deputatorum et electorum coram nobis nuper propositum fuit, eiusdem civitatis deputati in ecclesia s. Dominici praedictae civitatis congregati, nomine totius civitatis et frequentissimo nobilium coetu ac plurima cum civium tum externorum multitudine adstante, per publicum desuper confectum instrumentum, dictum b. Thomam de Aquino, doctorem angelicum, in patronum et protectorem dictae civitatis acceperunt, atque inter ceteros eiusdem civitatis tutelares sanctos adscripserunt, eumdem sanctum subnixe et enixe obsecrantes, ut assiduas pro dicta civitate ad Deum preces fundat, eamque a peste, fame et bello, ceterisque calamitatibus vindicet ac tueatur, pollicentes etiam se medio eorum iuramento, anniversarium diem translationis huiusmodi tamquam festum de praecepto se celebraturos, prout in dicto instrumento plenius dicitur contineri. Quare iidem deputati et electi nobis humiliter supplicari fecerunt, ut pio eorum beatum doctorem honorandi studio huiusmodi auctoritate apostolica suffragari dignaremur. Nos litterarum praedictarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso habentes ac ipsos deputatos et electos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad affectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, non solum huiusmodi, sed etiam dilecti filii nostri Octavii tituli sanctae Praxedis, S. R. E. presbyteri cardinalis Aquavivae nuncupati, ecclesiae Neapolitanae ex concessione et dispensatione apostolica praesulis, supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati diem praedictum 19. ianuarii, tamquam anniversarium translationis brachii sancti Thomae perpetuis futuris temporibus in dicta civitate Neapolitana diem festum de praecepto fore et esse et uti talem ab omnibus et singulis ipsius civitatis incolis custodiri et celebrari inviolabiliter debere eadem auctoritate statuimus, ordinamus, praecipimus ac mandamus. Ac praeterea quoniam ut eadem propositio subiungebat, publicas etiam processiones eodem die celebrari, seu fieri praedicti deputati et electi desiderant, nos, ut omnia rite et ad animarum aedificationem in Domino peragantur easdem processiones nunc et pro tempore existentis dictae ecclesiae Neapolitanae praesulis, quando ac quomodo illi videbitur, peragi volumus et mandamus, irritum et inane decernentes, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 17. decembris 1607 pontificatus nostri anno tertio.

Scipio Cobellutius.

Item denuntiamus, ab eodem s. d. n. Paulo papa V. emanatum fuisse breve sub die 22. aprilis praesentis anni sequentis tenoris:

Paulus papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosanctum eucharistiae sacramentum, in quo aeterni patris unigenitus filius Deus de Deo, Deus verus de Deo vero, humani generis redemptor Christus Iesus Dominus noster praesens existit, ut omni cultu et veneratione honorandum catholica ecclesia merito profitetur, ita nos, quibus eadem ecclesia regenda, ipso domino auctore, licet immeritis, credita est, cum sese aliqua praebet occasio, illud rationabili obsequio et cultu honorificandi libenter amplectimur et piis votis id exposcentibus annuimus. Itaque carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici supplicationibus nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus christifidelibus in regnis et dominiis dicto Philippo regi subiectis existentibus, qui sanctissimum eucharistiae sacramentum nominari audientes, illud honoris et reverentiae aliquo conspicuo signo venerati fuerint, quoties id egerint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritatae confisi, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 27. Aprilis 1612 pontificatus nostri anno septimo.

Scipio Cobellutius.

Quapropter omnibus ac singulis rr. pp. provincialibus, prioribus ceterisque provinciarum et conventuum nostrorum in regnis et dominiis eidem sacrae catholicae maiestati subiectis existentium praesidentibus in meritum sanctae obedientiae iniungimus et mandamus, ut praefatum breve apostolicum ac in eo contentas indulgentias omnibus christifidelibus, ad ecclesias nostras convenientibus, publice denuntianda curent, quo eiusdem divinissimi sacramenti devotio et reverentia in dies augeatur.

Item denuntiamus, ab eodem sanctissimo d. n. Paulo papa V. licentiarum ingrediendi monasteria monialium saecularibus mulieribus hactenus concessarum nuper emanasse revocationem per apostolicum breve sequentis tenoris:

Paulus papa V. Ad futuram rei memoriam. Monialium statui, quae secularia desideria abnegantes, Dei obsequio sese addixerunt, pastorali sollicitudine consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosam earum quietem et regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus, prout in domino conspicimus salubriter expedire. Quoniam itaque, sicut accepimus, experientia compertum est, non levia incommoda licentias ingrediendi monasteria monialium mulieribus

secularibus concessas dictis monialibus inferre, nos malis huiusmodi opportuno remedio providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias ingrediendi monasteria monialium ubique locorum existentium ac cum monialibus conversandi et refectionem sumendi corporalem, mulieribus cuiuscumque status, gradus et conditionis existentibus, etiam marchionali et ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus et efficacioribus ac insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus et etiam a nobis concessas, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, apostolica auctoritate tenore praesentium revocamus, cassamus et irritamus ac revocatas, cassas et irritas esse decernimus. Inhibentes mulieribus praedictis licentias huiusmodi habentibus sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua nonnisi a nobis seu Romano pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, ne monasteria praedicta praetextu licentiarum huiusmodi ingredi audeant seu praesumant, ipsorum vero monasteriorum abbatissis, seu priorissis ac superioribus sub eadem ac privationis suorum officiorum, quae obtinent, et inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda ipso facto sine alia declaratione incurrendis poenis, ne eas introducere seu admittere vel admissas quoquomodo retinere audeant seu praesumant. Quocirca dilectis filiis nostris et apostolicae sedis pro tempore existentibus nuntiis ac locorum ordinariis, necnon dictorum monasteriorum praelatis et superioribus praecipimus et mandamus, quatenus praesentes literas publicari et praemissa omnia observari faciant. Contradictores quoslibet ac praemissis non parentes per praedictas et alias sententias, censuras et poenas aliaque iuris et facti remedia opportuna, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die 10. iulii 1612 pontificatus nostri anno octavo.

S. Cobellutius.

Item denuntiamus, ab eodem sanctissimo d. n. Paulo V. pro provinciis Indiarum occidentalium emanasse breve sequentis tenoris:

Paulus papa V. Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus, dilectus filius noster Augustinus titulo s. Mariae de Aracaeli presbyter card., dum in minoribus constitutus officio magistri generalis ordinis fratrum praedicatorum fungeretur, prout adhuc fungitur, pro sua prudentia et diligentia reformationi domorum regularium dicti ordinis in Indiis occidentalibus existentium invigilans, gravissimis et urgentissimis causis adductus diversa statuta et ordinationes a prioribus et aliis superioribus ac fratribus dictarum domorum observanda ediderit, nonnullosque visitatores ad visitandum et reformandum domos et illorum superiores ac fratres huiusmodi cum facultatibus ad id necessariis auctoritate sui generalatus officii et a nobis illi attributa deputaverit, nos, quibus dicti Augustini cardinalis reformandi sui ordinis zelus, singularis prudentia et doctrina perspecta sunt, quorumcumque statutorum et decretorum ac deputationum per eum, ut supra factorum tenore, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, omnibus et singulis dicti ordinis superioribus, prioribus et fratribus in dictis Indiis existentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub privationis officiorum et vocis activae et passivae, necnon excommunicationis poenis, apostolica auctoritate tenore praesentium praecipimus et mandamus, ut statuta et ordinationes praedicta, iuxta illorum tenores omnino observent, visitatores praefatos recipiant et admittant, illisque opem et auxilium, ut susceptam visitationem peragere valeant, praestent ac eisdem in omnibus et per omnia quoad ea, quae ab eis in visitationibus huiusmodi, etiam post dimissum a dicto Augustino cardinali praefatum magistri generalis officium, statuta, gesta et ordinata fuerint, reverenter pareant et obediant. Nos enim dictis visitatoribus a praedicto Augustino cardinali deputatis visitatoris munus, iuxta facultates ab eodem cardinali illis attributas et praefato eius generalatus officio cessante, obeundi et contradictores per sententias, censuras et poenas, aliaque iuris et facti remedia compellendi, necnon quaecumque in praemissis necessaria et opportuna faciendi facultatem et auctoritatem auctoritate et tenore praesentis concedimus et impartimur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die tertia ianuarii 1612 pontificatus nostri anno septimo.

S. Cobellutius.

Declarationes.

1. Declaramus, nullo modo posse priores conventuales mittere fratres sibi subditos ad alias provincias ratione studiorum, quod quidem praesertim a patribus prioribus conventualibus provinciae nostrae superioris Germaniae sub poena absolutionis ab eorum officiis ipso facto incurrenda in posterum fieri prohibemus. Itaque fratres mittendi ratione studiorum ad conventus aliarum provinciarum iuxta concessionem factam in capitulo Parisiensi 1611 provinciis Galliarum, Germaniae superioris et inferioris, Bohemiae et similium, nonnisi a capitulis provincialibus vel patribus provincialibus earumdem mittantur, praemisso examine et approbatione eorum circa literarum sufficientiam morumque honestatem; fratres autem non sacerdotes in Italia ab una provincia ad aliam ratione studiorum nullo modo mittantur. Fratres quoque cum legitima licentia in provincia, praesertim ex remotioribus, magisque indigentibus provinciis advenientes, patres provinciales charitative et humaniter recipiant, et quamprimum fieri poterit, de idoneis conventibus iuxta eorum indigentiam eis provideant, quatenus studiis vacare ac in eisdem proficere valeant. Caveant autem patres provinciales, ne huiusmodi advenientes fratres vagari de conventu in conventum atque huc illucque discurrere compellant. Quod etiam sub poena absolutionis ab eorum officiis ipso facto incurrenda fieri prohibemus. Quam etiam poenam incurrant priores seu praesidentes conventuum, qui huiusmodi fratres a patre provinciali ad eorum conventus destinatos recusaverint ac dimiserint. Quod si aliqua rationabili causa eosdem nequaquam retinere potuerint, nihilominus advenientes quousque patrem provincialem monitum fecerint eiusque responsum obtinuerint, in suos conventus recipiant et retineant.

2. Declaramus, quod cum in constitutionibus nostris dicitur, quod infra mensem electionis numerus eligentium non augeatur, non debet intelligi, quando quis intra tempus electionis complet sex annos suae professionis, si est sacerdos vel sacrum ordinem presbyteratus suscipit et explet sex annos a professione; poterit enim in praefatis casibus vocem habere in electione; et idem dicitur, si contingat priorem mori, iuxta declarationem capituli generalis Venetii celebrati 1592, quia tunc nulla fraus praesumi potest.

3. Declaramus, omnes ac singulos patres ac fratres nostri ordinis, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, qui licentias hucusque a reverendissimis magistris generalibus ordinis et a quocumque ipsorum inferiori obtinuerint manendi extra ordinem vel in societate reverendissimorum archiepiscoporum ac episcoporum vel quacumque alia de causa, tam in Europae quam Indiarum orientalium ac occidentalium partibus existentes, subiectos esse quoad morum correctionem priori

tam provinciali quam conventuali seu praesidenti vicinioris conventus vel loci nostri ordinis, quemadmodum praesenti decreto eosdem subiicimus. Revocantes ac irritas et nullas declarantes quascumque facultates et licentias in contrarium hucusque concessas et in posterum concedendas, quas pro expressis habemus, ac si eaedem de verbo ad verbum hic insertae forent. Onerantes ac in diem Domini aggravantes conscientias praelatorum ac praesidentium provinciarum et conventuum nostrorum, sub quorum districtu et ditione praefatos fratres morari contigerit, ut eosdem in viam salutis incedere, verbo et exemplo christifideles aedificare, modestamque ac religiosam vitam, etiam, si opus fuerit, per praecepta et censuras aliasque poenas contra rebelles a constitutionibus nostris praescriptas ducere compellant. Quibus praelatis ac praesidentibus ad hoc exequendum tenore praesentium omnem necessariam ac opportunam facultatem ac potestatem concedimus. Non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Confirmationes.

1. Confirmamus ordinationem 9. capituli generalis Neapolitani 1600, quae confirmata est in aliis sequentibus capitulis, qua praecipitur in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, omnibus et singulis fratribus, cuiuscumque sint gradus aut conditionis, ne audeant extrahere a bibliotheca communi libros, quicumque illi sint, sine licentia superioris conventus, qui ipsam nullo modo dare poterit nisi in casu alicuius necessitatis et de patrum consilio.

2. Confirmamus et approbamus omnes gradus et praedicaturas generales ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli datas, dummodo fuerint servatae conditiones in literis eorum patentibus ab eodem praescriptae et vera fuerint, quae in eisdem literis patentibus pro ipsis obtinendis exposita et in narrativis earum expressa habentur; ubi vero conditiones servatae non sint aut narrata non vera, inanes et nullae habeantur et sint quaecumque dictorum graduum et praedicaturarum generalium collationes sive promotiones. Idem de promotis in hoc capitulo et de promovendis in posterum intelligatur. Si quid autem in contrarium quavis ratione factum aut dissimulatam fuerit, totum illud irritum et inane fore et esse decernimus et declaramus. Quapropter inhaerentes dispositioni constitutionum nostrarum distinct. 2. cap. de studentibus, iniungimus ac mandamus cuilibet diffinitorio capituli provincialis in quacumque provincia, ut praefatum nostrum decretum in hac confirmatione contentum quamprimum executioni mandent, super quo eorum conscientias in diem Domini aggravamus.

3. Confirmamus ea, quae habentur in capitulo generali Venetiis celebrato 1592, videlicet quod numerus praedicatorum generalium in nulla provincia potest excedere numerum prioratuum eiusdem provinciae, sique aliqui modo reperiantur praedicatores generales instituti ultra praefatum numerum, decernimus ipsos non esse praedicatores generales neque gratiis aut privilegiis quoquomodo eisdem praedicatoribus concessis uti posse. Concedimus quidem ipsis, quod aliorum decedentium locum successive occupare possint secundum ordinem suae institutionis, dummodo tamen conditiones a constitutionibus nostris in praedicatoribus generalibus requisitas habeant, irritum et nullum declarantes, si quid in contrarium fieri contigerit vel attentari. Super quo conscientias admodum rr. patrum provincialium oneramus.

4. Confirmamus ordinationem in capitulo Romano 1601 factam et Vallisoleti 1605 confirmatam, qua praecipitur sub praecepto formali, ut quotiescumque in aliquo conventu fratrem mori contigerit, praelatus illius conventus infra spatium sex dierum teneatur omnes suae provinciae conventuum et locorum praesidentes de eiusdem fratris obitu reddere certiores, pro cuius anima quilibet sacerdos eiusdem provinciae unam missam celebret, clerici vero non sacerdotes septem psalmos poenitentiales, conversi rosarium beatissimae Virginis recitare teneantur.

5. Confirmamus denique omnia acta capituli generalis Parisiensis anno superiori 1611 celebrati eaque inviolabiliter observari praecipimus.

Admonitiones.

1. Admonemus admodum reverendos pp. provinciales, ne gravent conventus assignando in eis plures praedicatores generales, sed distribuant eos per conventus, pro quibus constituti fuerunt. Quod si ad eosdem conventus accedere et in eis permanere recusaverint, sint privati voce activa in capitulo provinciali.

2. Admonemus eosdem admodum reverendos pp. provinciales et patres priores ac quoscumque conventuum praesidentes, ut non permittant clericos saeculares aut regulares alterius ordinis tempore Quadragesimae vel Adventus vel regulariter infra annum praedicare in ecclesiis nostris aut in ecclesiis monialium nostrae curae subiectarum, sed deputent in ecclesiis nostris patres idoneos et sufficientes, qui praedicationis munus subire et prosequi valeant; similiter provideant monialibus de patribus gravioribus, qui eis verbum Dei cum exemplo praedicent; qui vero contrafecerint, ipso facto absolutionem a suis officiis incurrant.

3. Admonemus omnes ac singulos nostri ordinis patres ac fratres, cuiuscumque gradus, status ac conditionis existant, eisdemque iustis de causis et ad tollenda, evitandaque multa incommoda, quae in dies oriri cognovimus, in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub for-

mali praecepto necnon sub poenis excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, a qua nonnisi per magistrum ordinis vel eius vicarium generalem praeterquam in mortis articulo possint absolvi, et si praelati fuerint sub poena etiam absolutionis a suis officiis ipso facto incurrenda, praecipimus et mandamus, ne in Romana curia negotium aliquod, cuiuscumque illud generis sit, per se vel per alium, pro se vel pro alio, etiam praetextu procurationis vel commissionis sibi datae a propria provincia vel conventu, quomodolibet tractare, procurare, inchoare aut attentare audeant nisi per praefatum admodum rev. p. procuratorem ordinis vel de eius scitu et expressa licentia in scriptis. Revocantes praesentium tenore omnes facultates hactenus in contrarium datas et si quas in posterum his contrarias dari contingat.

4. Admonemus admodum reverendos pp. provinciales, ut diligenter et exacte incumbant et intendant reformationi provinciarum, quae illis sunt creditae, tam circa tria vota essentialia quam circa victum et vestitum fratrum et quae ad itinera eorum perficienda necessaria sunt et praesertim circa curam et provisionem infirmorum, ne ob defectum eorum, quae necessitas postulat, iidem proprietarii effici cogantur. Invigilent itidem circa divinum officium et cultum diurnum atque nocturnum, ut persolvatur accurate iuxta nostrarum constitutionum formam, cuique omnes intersint; necnon diligenter caveant, ut omnes fratres, etiam magistri, in communi refectorio comedant, non autem in cameris. Irritamus autem quamlibet licentiam hactenus concessam super praemissis.

5. Admonemus iniungimusque omnibus nostri ordinis fratribus, ut in litaniis post invocationem s. Ioannis Baptistae invocetur etiam s. Ioseph sponsus beatissimae Virginis.

Commissiones.

Committimus reverendissimo p. magistro generali, quatenus porrigat sanctissimo d. n. supplicationem, ut habita diligenti inquisitione de sanctitate vitae ac miraculis b. Ambrosii Sansedonii de Senis ad solemnem dicti beati canonizationem procedere dignetur. Interim autem sua reverendissima paternitas procurare faciat et obtinere, ut de dicto beato ac etiam de b. Alberto Magno divinum officium per totum ordinem solemniter recitari possit sacrumque persolvi eo modo, quo fit de b. Agnete de Monte Politiano et de b. Ludovico Bertrando.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut pro sua prudentia ordinare velit, ut in singulis provinciis, in quibus commode observari poterit, instituatur unus ex praecipuis conventibus pro instruendis fratribus in officio praedicationis. In quo conventu semper vigeat lectio sacrae scripturae et moralis theologiae, in quo assignentur fratres ex sua

vel aliena provincia, de scitu tamen et consensu reverendissimi magistri ordinis, qui sunt insignes in officio praedicationis, ut possint studentes de modo praedicandi ac conciones componendi instruere, et non mittant ad eos conventus nisi fratres, quos invenerint idoneos ad officium praedicationis laudabiliter exercendum.

Concessiones.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, ut pro una vice tantum eligere possint aliquem patrem sacerdotem in nostro ordine ad audientiam confessionum expositum, qui ipsos absolvere queat ab omnibus peccatis, casibus et censuris, quae et quas ante horum publicationem incurrissent, a quibus reverendissimus p. generalis potest absolvere. Idem absolutionis beneficium conferre poterunt monialibus ordinarii earumdem confessarii.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus admodum rr. pp. provincialibus et diffinitoribus huius capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen post talem eius condemnationem ad meliorem frugem reversus, in eadem nostra religione per notabile aliquod temporis spatium religiose vivendo tanto se favore dignum exhibuerit.

In provincia Hispaniae.

Acceptamus moderationem ultimo factam ab illustrissimo et reverendissimo card. de Aracaeli, dum esset magister ordinis, qui auctoritate apostolica et ad petitionem gravissimorum virorum moderatus est alternativam factam in capitulo Parisiensi, anno 1611 videlicet, quod electiones priorum provincialium in illa provincia alternative semper fierent, nempe ut in proxime futura electione eligeretur prior provincialis, qui sit filius s. Stephani Salmanticensis, in secunda filius provinciae, in tertia filius conventus s. Pauli Vallisoletani; quam sic moderatus est, videlicet quod cum modernus dictae provinciae prior provincialis sit ex filiis conventus s. Pauli Vallisoleti, in primo futurae electionis provincialis capitulo eligatur ex filiis conventus s. Stephani Salmanticensis; in secundo ex filiis reliquorum conventuum; in tertio ex filiis praefati conventus s. Pauli Vallisoletani; in quarto ex filiis reliquorum conventuum; in quinto iterum ex filiis s. Stephani Salmanticensis, et sic deinceps in perpetuum, modo et ordine praefato. Quod si secus factum fuerit, dicta auctoritate apostolica totum irritum, cassum et nullum fore declaravit.

Committimus p. provinciali et diffinitorio eiusdem provinciae, ut conventus, qui non habent duodenarium numerum fratrum, ad alios conventus reducant vel extincto titulo prioratus et conventus instituant in

vicariatus, exceptis conventibus de Santillana et de Potes propter necessitatem illius regionis asperae et incultae.

Concedimus eidem provinciae ad eius instantiam, quod gradus magisterii, praesentaturae vel praedicatorum generalium non dentur nisi praehabita consultatione, an illi qui ad gradus praedictos promoventur, habeant requisita iuxta constitutiones et sint digni, ut talibus honoribus ornentur.

Committimus admodum rev. p. provinciali et maiori parti provinciae in capitulo provinciali, ut erigere possint vicariam de Lerma in prioratum cum certis conditionibus, quas dicti patres magis iudicaverint iustas et convenientes iuxta constitutiones nostras et servatis servandis.

Concedimus conventui sanctae Mariae Dominarum Salmanticae, quod possit celebrare festum sancti Alexii sub toto duplici; conventui vero sanctae Mariae Magdalenae de Aldeanueva, quod possit celebrare festum sancti Ioannis ante Portam Latinam sub toto duplici, et conventui sanctae Mariae de Atocha, quod possit celebrare festum s. Gabrielis sub toto duplici eo die, quo celebratur a clericis in illo archiepiscopatu, dummodo non intermittatur officium b. Mariae.

In provincia Franciae.

Confirmamus omnia iura provinciae nostrae Franciae in conventu Parisiensi circa studium, ad ius assignandi et ad ordinem promotionum, in quibus filii provinciae Franciae sunt aequalis conditionis filii congregationis Gallicanae.

Confirmamus acceptationem monasterii monialium Divionensium factam in capitulo generali Parisiensi proxime praeterito.

Ordinamus, ut in posterum ex dicta provincia Franciae nullus mittatur ad studium Parisiense, nisi bene instructus sit in humanioribus literis et nisi fuerit assignatus a p. provinciali dictae provinciae vel a capitulo provinciali.

Ordinamus, ut nullus nominetur ad lecturam sententiarum, qui non studuerit in theologia per quatuor annos et nisi approbatus fuerit a patre provinciali de licentia reverendissimi magistri ordinis.

Item ordinamus, ut non promoveatur ad magisterium, qui non legerit ad minus per quatuor annos continuos theologiam in dicta provincia vel in aliquo studio generalis de speciali licentia reverendissimi magistri ordinis.

Item ordinamus, quod praedicatores generales non instituantur, nisi habeant conditiones requisitas secundum nostras constitutiones.

Ordinamus insuper, ut non instituantur lectores nisi ad hoc, ut actu exerceant officium lectoratus; qui vero titulum lectoratus ad hoc tantum

obtinuerunt aut in futurum obtinebunt, ut paternitatem consequantur, titulo lectoratus priventur.

Abrogamus et tollimus omnia iura, quae praetendunt conventus et patres sibi deberi ab iis, qui instituuntur in patres a consiliis. Similiter prohibemus fieri expensas, convivia et recreationes pro lectoratu, sublectoratu, paternitate et similibus, imponimusque omnibus et singulis perpetuum silentium super huiusmodi praetensionibus.

Declaramus suppriores et sindicos in dicta provincia iuxta ordinationes capitulorum generalium et provincialium, completo biennio, absque ulla declaratione ipso facto esse absolutos nec posse ad idem officium in eodem conventu reassumi.

Mandamus admodum rev. p. provinciali, quamprimum ad suam provinciam redierit, ut una cum omnibus graduatis dictae provinciae pertractet, quid faciendum sit ad instaurationem dictae provinciae ab haereticis quasi desolatae, et quae opportuna iudicaverint, quam citius executioni mandentur.

Deputamus et instituimus quinque conventus secundum praecipuas nationes dictae provinciae, in quibus novitii recipiantur ad habitum et educentur ac in regulari observantia instruantur, videlicet pro natione Franciae conventus Carnotensis, pro natione Campaniae et Lotharingiae conventus Tullensis, pro natione Burgundiae conventus Divionensis, pro natione Aquitaniae conventus Pictaviensis, pro natione Normandiae et Andegavensi conventus Cadomensis.

Ordinamus in eadem provincia, quod erigantur tria studia; pro humanioribus quidem literis deputamus conventum Gratianopolitanum, pro philosophia vero conventum Andegavensem et pro theologia conventum Bituricensem.

Approbamus magisteria rr. p. fr. Francisci Chevallier in universitate Pictaviensi, fr. Aegidii de Amore regentis Parisiensis, fr. Paschasii de Iardins Parisiensis, fr. Ioannis Michaelis Parisiensis, fr. Thomae Martelli et fr. Sebastiani Garzonetti Parisiensis.

Promovemus ad magisterium rr. pp. licentiatos fr. Matthaeum de Cruce, fr. Ioannem Guillon et fr. Sebastianum Dominicum, servatis servandis.

In provincia utriusque Lombardiae.

Confirmamus ordinationem tertiam factam in capitulo generali Romae celebrato 1608, quae est infrascripti tenoris, videlicet: ordinamus et sub poena excommunicationis mandamus fratribus conventus nostri sanctae Catherinae de Formello in urbe Neapoli, ut circa statum, dispositionem et gubernationem conventus hactenus usu et consuetudine servatam nihil prorsus immutare vel innovare audeant, aut quoquomodo

sese a provincia nostra utriusque Lombardiae disiungere aut separare praesumant, cum super huiuscemodi rebus illis iam impositum fuerit silentium, ut constat ex literis patentibus rev. admodum p. vicarii generalis ordinis praeteriti.

Ordinamus, quod de caetero fratres eiusdem provinciae utriusque Lombardiae, qui in aliarum provinciarum studiis in lectores fuerint examinati et approbati, titulo et privilegiis lectorum in eadem provincia Lombardiae gaudere non possint, nisi prius in studio conventus s. Dominici de Bononia in lectores examinati et approbati fuerint.

Declaramus rr. pp. magistros exemptos esse ab officio hebdomadariae, etiamsi non sint magistri acceptati in provincia.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Seraphini Burrae de Brixia, rev. p. fr. Constantini Gandini de Brixia, provincialis dictae provinciae, rev. p. fr. Dominici de Mantua, prioris Mantuae primo, rev. p. fr. Michaelis Angeli de Forlivio inquisitoris Mutinensis, rev. p. fr. Dionysii Serra Ianuensis, rev. p. fr. Pauli de Forlivio, prioris s. Sixti in Urbe, ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli promotorum.

Approbamus affiliationem p. fr. Pauli de Gabiano lectoris ex conventu Neapolitano ad conventum Brixiensem primo et p. fr. Vincentii de Colonio ex conventu suo originali ad eundem conventum Brixiensem primo.

Approbamus filiationem p. fr. Petri Martyris de Chio praedicatoris ex conventu Chiensi ad conventum s. Mariae Angelorum civitatis Ferrariensis, fr. Benigni de Sebenico a conventu Sebenici provinciae Dalmatiae ad conventum s. Martiani de Terdona et p. lectoris fr. Thomae de Argenta a conventu s. Ioannis Baptistae de Argenta ad conventum s. Andreae de Faventia.

In provincia Romana.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Francisci de Magdalenis (1), fr. Thomae Caccinii (2), fr. Bernardini Quintilii, fr. Andreae Vellii, fr. Ioannis Cencinii, fr. Hieronymi Torsii, fr. Thomae Burlamachii, fr. Petri de Trevio et quoscumque alios promotos ad magisterium et praedicatores generales institutos ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, dummodo fuerint servatae conditiones in literis patentibus contentae et non aliter, ut supra dictum est.

Approbamus affiliationem admodum rev. p. magistri fr. Vincentii Alberti Narniensis pro conventu s. Dominici de Perusio. Item affiliationem rev. p. lectoris fr. Gregorii Ursini Romani factam cum assensu sanctissimi d. n. pro conventu sanctae Mariae super Minervam de Urbe.

---

(1) De fr. Francisco de Magdalenis cf. SSOP. II, 473.

(2) De fr. Thoma Caccinio cf. l. c. pag. 559.

Concedimus eidem provinciae, quod possit celebrare officium de angelo custode sub toto duplici die non impedita immediate sequenti festum s. Michaelis de mense septembris, sicuti pluribus aliis provinciis iam concessum est, dummodo non intermittatur officium b. Virginis.

Ordinamus, quod de caetero fratres eiusdem Romanae provinciae, qui in aliarum provinciarum studiis in lectores fuerint examinati et approbati, titulo et privilegiis lectoris in eadem Romana provincia gaudere non possint, nisi prius in collegio Romano s. Mariae super Minervam in lectores examinati et approbati fuerint.

Confirmamus ordinationes nostri Romani collegii s. Thomae super Minervam in praecedenti capitulo generali Parisiensi approbatas et confirmatas.

Confirmamus praedicaturam generalem p. fr. Paulini Barzii Lucensis a reverendissimo patre magistro generali tunc vicario generali ordinis concessam.

Approbamus concessionem factam anno 1608 ab illustrissimo et reverendissimo d. d. cardinali de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, rev. p. magistro fr. Antonino Foebeo Urbevetano primario lectori sacrae theologiae in conventu nostro praedicatorum Tholosae, congregationis reformatae Occitanae, ut tempus quadriennii iam elapsi ac totum sequens, quo sacram theologiam in eodem conventu praelegit et in posterum praeleget, eidem admittatur, quemadmodum praesenti decreto admittimus, ac si pro forma et gradu magisterii per idem tempus eandem lecturam sacrae theologiae in studio nostro generali Perusino perfecisset, necnon et eiusdem magisterium approbamus, salvis tamen suae provinciae iuribus.

In provincia Regni.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo generali 1608 videlicet, quod studentes formales et alii omnes clerici, qui tum philosophiae tum etiam theologiae incumbunt, singulis annis examinentur non solum circa sufficientiam literarum, sed etiam circa morum honestatem, onerantes conscientiam examinatorum, ut nonnisi idoneos admittant et ineptos excludant. Declaramusque, quod non solum debent examinare moderatores studii s. Dominici, sed etiam alii consueti patres.

Assignamus in studentes formales in studio s. Dominici de Neapoli fr. Ioannem Baptistam Caracciolum de Neapoli, fr. Marcum de Angelis de Neapoli, fr. Marcum Romanum, fr. Hieronymum de Balneolo, fr. Ludovicum de Neapoli, fr. Paulum Caracciolum de Neapoli (1), fr. Albertum de Ottato, fr. Michaelem Torres de Neapoli (2), fr. Augustinum de Monte

(1) De fr. Paulo Caracciolo cf. SSOP. II, 561.
(2) De fr. Michaele Torres cf. l. c. pag. 545.

Corvino. Volumusque, quod omnes recipiantur successive pro primis locis vacantibus secundum ordinem professionis.

Assignamus pro rata provinciae Regni in studio Panormitano fr. Marianum de Neapoli et fr. Dominicum de Puteolis.

In provincia Theutoniae.

Concedimus provinciae Theutoniae ad eius petitionem, ut numerus magistrorum sit denarius tantum, licentiatorum octonarius, praedicatorum autem generalium secundum numerum conventuum et non amplius.

Confirmamus commissionem factam in capitulo generali Parisiis proxime celebrato admodum rev. p. procuratori ordinis, quatenus apud sanctissimum d. n. obtineat, ut bona temporalia quatuor congregationum monialium tertiae regulae ordinis nostri, quae videlicet in Haigerloch, Stetten, Zimmern et Weildorff, ordini ad sustentationem studentium applicentur et recuperatio dictorum bonorum reverendissimo episcopo Constantiensi committatur.

Confirmamus restitutionem conventuum nationis Austriacae tam in ipsa Austria quam in Stiria et Karinthia existentium factam dictae provinciae Theutoniae, committimusque admodum rev. p. provinciali eiusdem provinciae in meritum sanctae obedientiae, ut dictos conventus in regressu omnino visitet et sub sua cura suscipiat.

Promovemus in eadem provincia ad gradum praesentaturae rr. pp. fr. Christophorum Protigensem priorem Confluentium, fr. Gasparem Fleschendreber priorem Herbipolensem et fr. Matthiam Aierschaidt priorem Coloniensem.

Assignamus pro rata dictae provinciae in studio nostro generali s. Dominici de Bononia p. fr. Albertum Huntiman Saxonem conventus Coloniensis.

In provincia Poloniae.

Denuntiamus post concessionem factam in capitulo generali Parisiensi proxime praeterito provinciae nostrae Poloniae ad sui petitionem circa electionem et durationem priorum provincialium et diffinitorum tam capitulorum generalium et sociorum eorumdem, quam etiam diffinitorum capitulorum provincialium, in praesenti generali capitulo patres pro utraque parte comparuisse et nobis humiliter supplicasse, ut praefatam concessionem generalis capituli Parisiensis iuxta infrascriptum modum moderari vellemus. Quapropter cupientes nos, quantum in nobis est, finem controversiis imponere et unicuique, quod suum est reddere, praecavereque, ne in posterum altera ex partibus diffidentibus ab altera aliquid patiatur, ex communi consensu partium hasce ordinationes in posterum perpetuo duraturas circa electionem provincialium, diffinitorum capitulorum generalium et sociorum eorumdem et diffinitorum ca-

pitulorum provincialium statuimus, decernimus et sancimus, primo, ut duo provinciales eligantur immediate ex filiis aliorum conventuum, tertius autem ex conventu Cracoviensi et sic deinceps. Secundo, ut una vice sit diffinitor capituli generalis ex corpore aliorum conventuum, altera autem vice immediate sit ex conventu Cracoviensi; diffinitore autem existente pro capitulo generali ex filiis aliorum conventuum, socius eligatur ex conventu Cracoviensi, et similiter diffinitore existente ex conventu Cracoviensi, socius eligatur ex filiis aliorum conventuum. Tertio, ut existente provinciali ex sorte filiorum aliorum conventuum, sint duo tantum diffinitores capituli provincialis ex sorte eorumdem et ex conventu Cracoviensi duo; existente vero provinciali ex sorte conventus Cracoviensis, sint tres diffinitores ex sorte filiorum aliorum conventuum et quartus ex filiis conventus Cracoviensis. Quotiescumque autem ex filiis aliorum conventuum provinciae Poloniae, praeter Cracoviensem, eligentur in provinciales, diffinitores et socios, ita sint aliorum, ut inter se sint diversorum. Declarantes, quod in posterum provinciales debebunt esse quadriennales cum celebratione intermediae congregationis iuxta primam concessionem capituli Parisiensis praefati 1611 factam omnibus provinciis habentibus provinciales quadriennales et non habentibus capitulum intermedium, ut ibidem dicitur. Cui quidem congregationi interesse tenebuntur soli patres magistri, vicarii nationum et priores praecipuorum conventuum et qui fuerunt provinciales. Declaramus tandem omnes et quascumque ordinationes, concessiones, declarationes, monitiones, praecepta et mandata, omniaque in illis contenta, tam capitulorum generalium quam etiam reverendissimorum magistrorum ordinis iuxta praefatam conventionem, determinationem ac ordinationes suprascriptas intelligi et explicari debere et non aliter. Volumus autem et sub praecepto formali in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae atque sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, utrique parti praecipimus, ne quispiam in posterum audeat hanc ordinationem aut abrogare aut contra eam aliquid innovare aut ei in aliquo contravenire. Quod si secus attentatum fuerit a quocumque, ultra censuras latas poenis gravioris culpae et carceris per triennium irremissibiliter ipso facto per suos superiores, quorum conscientias in hoc aggravamus, puniatur tamquam pacis publicae turbator; neque in hoc a quovis praeterquam ab ipso reverendissimo magistro generali ordinis dispensetur. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Item statuimus, ut provinciales expleto officio provincialatus locum teneant iuxta nostras constitutiones. Priores autem in eadem provincia ultra quadriennium in suis prioratibus non perseverent, sed expleto quadriennio sint ipso facto absoluti nec possint immediate reeligi.

Statuimus, ut in quovis studio generali nullus frater eiusdem provinciae admittatur ad officium lectoratus ante completum triennium studii sacrae theologiae, nisi forte cum aliquo ex evidenti necessitate et praevia informatione a magistro ordinis fuerit dispensatum.

Concedimus eidem provinciae, ut numerum magistrorum duodenarium, baccalaureorum vero quindenarium habeat, ultra quem plures magistri vel baccalaurei esse non possint; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Damus in regentem studii nostri generalis Cracoviensis admodum rev. p. mag. fr. Ioannem Chrysostomum post expletum officium sui provincialatus, in baccalaureum ordinarium rev. p. fr. Dominicum Fiolinum, in magistrum studentium pro primo anno rev. p. fr. Martinum, pro secundo anno rev. p. fr. Hyacinthum Kielcovium, dummodo in praefatis provisionibus nulli fiat praeiudicium.

Absolvimus ab officio commissariatus eiusdem provinciae absolutumque decernimus et declaramus tenore praesentium rev. p. magistrum fr. Hyacinthum Suscium, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Confirmamus ordinationem in capitulo Romano 1583 factam de graduatis non promovendis in praedicatores generales, et qui modo tales existunt, volumus, ut dicto munere sint privati, sicuti de facto privamus.

In provincia Graeciae.

Denuntiamus a capitulo generali Parisiensi proxime praeterito vicariam nostram Graeciae restitutam fuisse in provinciam, sub titulo provinciae Graeciae, cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus antea gaudebat et in praesenti capitulo habuisse votum in electione magistri ordinis. Quamquidem restitutionem confirmamus et approbamus. Erigimus in prioratum seu conventum locum nostrum s. Mariae Magdalenae civitatis Retimi.

Revocamus ad dictam provinciam omnes filios eiusdem provinciae, qui sub quovis praetextu commorantur in aliis provinciis, exceptis his, qui causa studii in aliis provinciis sunt assignati.

Declaramus, in posterum nullum ex filiis dictae seu pro eadem provincia professis posse affiliari ad conventus aliarum provinciarum iuxta ordinationem factam in capitulo Romae celebrato anno 1569.

Ordinamus ad tollenda multa scandala, ut nullus frater, qui non pertineat ad dictam provinciam, illuc se conferre aut proficisci praesumat sub quovis praetextu sine licentia reverendissimi p. generalis aut admodum rev. p. vicarii generalis totius ordinis.

Declaramus p. fr. Aurelium de Mediolano pertinere ad provinciam s. Petri Martyris, pro qua eius translatio approbata fuit in capitulo Neapolitano.

Item declaramus p. fr. Lucam de Brixia, filium eiusdem provinciae Graeciae, debere gaudere voce et loco super omnes, qui non fuerunt vicarii provinciales in eadem provincia, iuxta decretum rr. pp. iudicum in causis civilibus praesentis capituli.

In provincia Aragoniae.

Ordinamus in provincia Aragoniae ad eius petitionem, ne in posterum concedatur, quod priores possint reeligi in eodem conventu immediate post completum officium sui prioratus nisi admodum rev. p. provincialis pro tempore rationes vocalium petentium eumdem priorem de novo eligi in eodem conventu veras et necessarias iudicaverit atque ipsi petitioni se subscripserit.

Approbamus omnes translationes affiliationum ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, concessas, servatis servandis. Prohibemus autem in posterum, ne huiusmodi translationes filiationum admittantur sine consilio et plena informatione rev. admodum p. provincialis pro tempore.

Confirmamus concessionem factam admodum rev. p. provinciali Aragoniae pro tempore a bonae memoriae rev. p. fr. Hippolyto Maria Beccaria magistro generali ordinis, vivae vocis-oraculo, videlicet quod pro conventibus, in quibus non possunt erigi novitiatus pro alendis et recipiendis novitiis puris, p. provincialis pro tempore possit nominare aliquos novitios receptos in maioribus conventibus, qui emittant professionem pro iisdem conventibus; qui conventus tenebuntur providere dictis novitiis sic nominatis de vestibus secundum consuetudinem dictae provinciae.

Confirmamus pro dicta provincia concessionem factam in capitulo generali Neapolitano 1600 omnibus provinciis Hispaniarum et Indiarum, videlicet, quod cum iam sint sublata capitula provincialia intermedia, praedicatores generales possint institui in capitulo electionis. Huiusmodi autem institutiones fiant sine alicuius praeiudicio, ita ut instituantur semper magis benemeriti iuxta omnia requisita ad praedicatorem generalem secundum constitutiones nostras, et si tales inveniantur, qui sint filii conventuum, pro quibus debent fieri et creari praedicatores generales, isti omnibus aliis praeferantur, non obstantibus quibusvis literis patentibus concessis alicui pro primo loco vacante.

Concedimus eidem provinciae, ut in capitulo provinciali proxime celebrando deputentur ex qualibet natione, videlicet Cataloniae, Aragoniae et Valentiae decem magistri antiquiores, duo ex insula Sardiniae et duo ex insula Maioricarum, qui omnes compleant numerum 34 magistrorum, qui numerus in posterum nullo modo possit augeri. Volumus autem, quod quotiescumque contigerit aliquem ex dictis 34 magistris mori,

petatur intra dictum numerum unus magister ex eadem natione, cuius erat magister qui obiit. Prohibemus autem novos creari magistros loco eorum, quos contigerit mori, ex his, qui sunt extra numerum, quousque omnes magistri redacti sint ad praefatum numerum trigintaquatuor. Quod si forsan aliquis loco illorum, qui sunt extra numerum, creabitur magister, non gaudeat voce nec loco nec in provincia pro magistro habeatur neque in posterum habeantur pro graduatis nisi illi, qui fuerint petiti ab ipsa provincia et ab ea acceptati, sicut ordinatum fuit in capitulo generali Romae celebrato anno 1589; quam ordinationem de novo confirmamus et inviolabiliter observari volumus.

Circa numerum vero praesentatorum ex qualibet natione deputentur tredecim, inter quos unus assignetur titulo praedicationis; ex insula autem Maioricarum tres et totidem ex insula Sardiniae, videlicet, duo pro lectione et unus titulo praedicationis, quem etiam insulae Ivicae concedimus, ita ut omnes numerum 46 compleant et adaequent.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo Parisiensi, ut nullus possit peti vel promoveri ad gradum magisterii, qui non legerit in aliqua universitate. Declarantes per universitatem intelligi debere non solum de universitate ordinis, sed etiam de universitate saeculari.

Acceptamus domum in oppido Magalensi dioecesis Caesaraugustanae sub titulo s. Mariae de Rosario seu de horto, dantes eidem in vicarium p. fr. Ioannem Habarca praedicatorem generalem.

In collegio ss. Dominici et Georgii civitatis Dertusae damus in regentem pro alio triennio rev. p. fr. Blasium Verdu magistrum, dummodo legat lectionem textus d. Thomae et non aliter. In conventu Barchinonensi damus in regentem rev. p. fr. Thomam Roca magistrum, in magistrum studentium rev. p. fr. Vincentium Ferreres. In conventu Valentino damus in magistrum studentium p. fr. Gasparem Catalam de Monçonis et in lectorem artium p. fr. Gundisalvum Hernando. In conventu Luchentino damus in lectorem artium p. fr. Ioannem Imperial. In conventu Caesaraugustano damus in lectorem artium p. fr. Raymundum Sans. In conventu s. Dominici Maioricarum damus in lectorem artium p. fr. Hyacinthum Gallur.

Committimus capitulo provinciali proxime celebrando, ut provideat de aliis studiis sine praeiudicio et servata iustitia.

Confirmamus concessionem factam conventui Barchinonensi ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, ut in dicto conventu possint celebrari octavae solemnes de b. Raymundo et festum s. Hilarii transferatur in proximam feriam vacantem post octavam b. Raymundi.

Concedimus monasterio s. Agnetis Caesaraugustano, ut possint ce-

lebrare festum de Angelo custode sub toto duplici eo die, quo celebratur in ecclesiis clericorum saecularium, et quod celebrare possit octavas solemnes de b. Agnete, dummodo non intermittatur officium beatae Virginis.

Confirmamus concessionem eidem provinciae ad eius petitionem in capitulo Parisiis factam, nimirum, quod fratres conversi de caetero emittant professionem pro illo conventu, in quo ad ordinem recipiuntur, observenturque omnia alia, quae in dicta concessione habentur.

Confirmamus alternativam concessam eidem provinciae Aragoniae in duobus capitulis generalibus Romano anno 1601 et Vallisoletano anno 1605 celebratis circa electionem p. provincialis, quam volumus inviolabiliter observari.

Acceptamus praesentaturas rr. pp. fr. Petri Charles, fr. Marci Serra et fr. Raymundi Toralla.

Item acceptamus praedicaturas generales rr. pp. fr. Gabrielis Colom pro collegio Oriolensi et fr. Iacobi Ballester pro conventu s. Honufrii. Item affiliationem p. fr. Andreae Torellas a conventu s. Petri Martyris Calataiubii ad conventum Barchinonensem ab illustrissimo card. de Aracaeli, tunc ordinis magistro, concessam.

Cum ex speciali commissione capituli generalis Parisiensis proxime praeteriti ab illustrissimo et reverendissimo d. card. de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis nostri, emanatum fuerit quoddam decretum super erectione conventus s. Illephonsi Caesaraugustae per literas patentes suae illustrissimae Dominationis Parisiis sub die 16. iunii 1611 datas, quarum executio ob propositas de novo nonnullas rationes, quae in eodem capitulo examinatae et productae non fuerant, quousque examinarentur, eiusdem illustrissimi tunc reverendissimi magistri generalis mandato suspensa est; in praesentiarum omnibus mature consideratis, examinatis ac iterum iterumque peroptime inspectis, prout tanti momenti res perquirebat, suprascriptum decretum ac praefatas literas patentes eiusdem illustrissimi card. de Aracaeli, tunc magistri generalis ordinis, approbamus et confirmamus et eisdem perpetuae firmitatis robur adiicimus. Praecipimusque in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis latae sententiae, ut quamprimum executioni mandentur et conventus in civitate Caesaraugustana sub titulo s. Illephonsi statim aedificari incipiat, qui sit conventus et non collegium; eaque omnia et singula inviolabiliter serventur, quae ab adm. illustri d. Alphonso de Villalpando fundatore, de ordine nostro optime merito, in suo testamento praescripta et ab illustrissimo et reverendissimo bonae memoriae card. Xavierre tunc magistro generali ordinis nostri approbata et acceptata et a generali capitulo Vallisoleti anno 1605 celebrato confirmata sunt; non obstantibus in contrarium quibus-

cumque; ac sub eisdem praecepto formali et poena excommunicationis latae sententiae super hoc negotio perpetuum silentium imponimus.

Acceptamus de novo universitatem in nostro collegio b. Mariae de Succursu et s. Ioseph civitatis Oriolensis apostolica auctoritate Iulii III. et Pii V. fundatam et in capitulo generali Romae celebrato anno 1569 acceptatam, hortamurque rev. p. rectorem dicti collegii, ut praeclarum opus iam inceptum, in uberiorem universitatis splendorem, angelicique doctoris d. Thomae Aquinatis, dictae universitatis patroni, gloriam ad debitum finem perducat.

Concedimus provinciae Aragoniae, ut in eius capitulo provinciali proxime celebrando praescribat modum et ordinem, quo congregatio ex prioribus praecipuorum conventuum et magistris antiquioribus iuxta acta capitulorum generalium Valentiae anno 1596 concessione quarta et Parisiis anno 1611 celebratorum valeat convocari, videlicet quot patres, qui et ad quid in dicta congregatione debeant intervenire.

In provincia Bohemiae.

Concedimus eidem provinciae ad eius petitionem, ut feria quarta vacante cuiuslibet hebdomadae possit celebrare officium de s. Hyacintho, primo fundatore et institutore ordinis nostri in partibus septemtrionalibus.

Revocamus in provinciam Bohemiae propter maximam penuriam fratrum in dicta provincia p. fr. Iordanum de Praga ex studio Tholosano, p. fr. Emmanuelem de Ratibora (1) Silesium ex Brixia et p. fr. Petrum Martyrem de Verona ex Mediolano, qui omnes sunt filii eiusdem prov.

Assignamus in studio nostro generali Bononiae in studentes formales pro rata dictae provinciae p. fr. Dominicum de Praga et p. fr. Vincentium Rosarium de Silesia.

In provincia Provinciae.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Francisci Guidi conventus Aquensis, fr. Blasii Furrerii conventus Tolonensis, fr. Raphaelis Cotta conventus Nixiae et fr. Ludovici Tornerii conventus Tarasconensis.

Approbamus baccalaureatus rr. pp. fr. Antonii Lion conventus Barsiloniae, fr. Ioannis Raberii conventus s. Maximini, fr. Dominici Fabri conventus Barsiloniae, fratrum Guillelmi, Petri et Stephani Gerardi conventus Buxensis.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. baccalaureos fr. Antonium Lion conventus Barsiloniae, fr. Ioannem Raberium conventus s. Maximini, fr. Iacobum Roberti conventus Tarasconensis, fr. Ioannem Raymundum conventus s. Maximini, fr. Stephanum Gerardum conventus Buxensis, servatis servandis.

---

(1) *Originale exemplum:* Ratisbona.

Instituimus in praedicatores generales rr. pp. fr. Vincentium Emerici conventus Aquensis et fr. Claudium Vincens conventus Vapinsensis, servatis servandis.

In provincia Dalmatiae.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Dominicum Blundum de Iadra et fr. Innocentium de Iadra baccalaureos, servatis servandis.

Promovemus ad baccalaureatum rr. pp. fr. Dionysium de Spalato et fr. Vincentium de Gelfa lectores, servatis servandis.

Concedimus eidem provinciae, ut possit recipere duo loca in districtu Catarensi, Xanich et Budua, atque ad ea mittere fratres pro conversione schismaticorum et consolatione fidelium, qui in dictis locis reperiuntur.

Concedimus eidem provinciae, ut numerus magistrorum augeatur usque ad numerum denarium nec in posterum possit amplius augeri.

Confirmamus in priorem provincialem provinciae nostrae Dalmatiae admodum rev. p. magistrum fr. Sixtum de Brachia cum omnibus gratiis et privilegiis aliorum provincialium dictae provinciae rite confirmatorum, cum fuerit canonice electus.

In provincia Siciliae.

Confirmamus omnes ordinationes factas in visitatione pro bono regimine dictae provinciae ab illustrissimo et reverendissimo card. de Aracaeli, tunc ordinis nostri magistro generali, quando dictam provinciam visitavit, easque volumus inviolabiliter observari.

Erigimus in conventus loca Cassieni, Montis Albani et Mazzareni, si tamen actu in eisdem locis sint assignati duodecim fratres.

Approbamus praedicaturam generalem p. fr. Hyacinthi de Genua (1), dummodo vera sint contenta in literis patentibus.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Hieronymum Spalliarisium de Placia, baccalaureum ordinarium in studio Messanensi, servatis servandis.

Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. fr. Thomam Cottogno de Taurominio, fr. Vincentium de Adernione, fr. Bernardinum de Messana et fr. Mauritium de Camerata lectores, servatis servandis.

Instituimus in praedicatores generales p. fr. Dominicum Lagonella, p. fr. Placidum Capellinum de Messana, servatis servandis.

Damus in studio nostro generali Panormitano in regentem rev. p. fr. Scipionem de Catania magistrum, in baccalaureum rev. p. fr. Vincentium Candia de Messana.

---

(1) De fr. Hyacintho de Genua cf. SSOP. II, 444.

In studio Messanensi damus in regentem rev. p. fr. Ioannem Matthaeum de Rispolis Melitensem magistrum, in baccalaureum rev. p. fr. Ioannem Petrum Contari magistrum, quod si ipse hoc officio fungi non poterit, damus p. fr. Dominicum Troia.

Confirmamus provisionem factam in capitulo generali Parisiensi de magistris studentium.

Assignamus in studio nostro generali sancti Dominici de Neapoli pro rata provinciae Siciliae p. fr. Petrum de Placia et p. fr. Vincentium de Ragusio.

In provincia s. Vincentii de Chiapa.

Confirmamus in provincialem provinciae nostrae sancti Vincentii de Chiapa rev. p. praedicatorem generalem fr. Petrum de Vargas cum omnibus privilegiis et auctoritate, quam caeteri provinciales habere consueverunt in dicta provincia, cum canonice sit electus.

In provincia Portugalliae.

Acceptamus praedicaturas generales rr. pp. fr. Damiani Valente, fr. Christophori de Sander, fr. Andreae Carreiro, fr. Ludovici Nieto et fr. Christophori de Brito, salvis iuribus provinciae et primis locis vacantibus, in quae iuxta suas antiquitates ingredi poterunt. Cum autem hi praedicatores generales sint multo antiquiores in ordine et officio praedicationis et longe praestent meritis iis praedicatoribus generalibus, ad petitionem diffinitoris eiusdem provinciae, factis extra numerum, in capitulo Parisiensi, statuimus, ut ante illos ad loca, quae vacabunt isti patres praenominati admittantur, cum ea fuerit integerrima mens illustrissimi et reverendissimi d. d. cardinalis de Aracaeli, tunc magistri generalis ordinis, quam, consultus, pro benignitate sua nobis aperuit, eiusdemque capituli generalis Parisiensis, ut sine alicuius praeiudicio et servato iustitiae distributivae ordine instituerentur et non aliter.

Confirmamus, quod numerus magistrorum in eadem provincia sit duodenarius, et cum modo in dicta provincia sint magistri sexdecim, gaudentes voce et loco, nolumus quod in posterum aliquis a provincia possit peti magister, nisi ad praefatum numerum duodenarium sint redacti; volumusque, quod in acceptatione magistrorum inviolabiliter observetur breve fel. record. Pii V. eidem provinciae concessum.

Declaramus ordinationem pro dicta provincia factam in capitulo Romae celebrato anno 1608. quae incipit: ad sublevandos conventus a sumptibus etc., hoc modo esse intelligendam, videlicet, quod tertia pars legitimarum, post praefatam ordinationem acquisitarum, deputentur ad emendum annuos reditus seu census, qui quingentos ducatos non excedant, prout in dicta ordinatione habetur. Mandantes in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub praecepto formali omnibus prioribus

conventuum, qui post dictas ordinationes aliquas legitimas receperunt, ut tertiam partem illarum tradere teneantur rev. p. provinciali, ut possit praefatam ordinationem executioni mandare.

Ordinamus atque praecipimus omnibus conventuum praesidentibus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub praecepto formali et poena absolutionis ab eorum officiis, ut eleemosynas datas conventibus cum certo et determinato onere perpetuo missas celebrandi, nullo modo expendant in usus quotidianos fratrum seu conventuum, sed teneantur statim ex illis emere annuos reditus, quibus talis obligatio maneat in perpetuum dotata.

Ordinamus ad tollendas falsas informationes et subscriptiones subreptitias, quae fiunt pro obtinendis reelectionibus monialium in priorissas, quod in posterum non concedatur, quod aliqua priorissa reeligatur in priorissam immediate post completum officium sui prioratus nisi eiusmodi petitio sit subscripta a rev. p. provinciali pro tempore.

Committimus admodum rev. p. provinciali provinciae eiusque conscientiam aggravamus, ut filios congregationis nostrae Indiarum orientalium, qui modo in Lusitania reperiuntur, ad eandem suam congregationem quamprimum redire compellat, non obstantibus in contrarium quibuscumque licentiis hactenus concessis, tum veniendi ex eadem congregatione in Lusitaniam, tum etiam in Lusitania permanendi, quas omnes praesenti decreto revocamus, iis dumtaxat exceptis, quae ab illustrissimo et reverendissimo cardinali de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, concessae sunt.

In provincia Betica.

Confirmamus ordinationem pluries factam pro provincia nostra Betica circa alternativam electionis priorum provincialium, videlicet, quod primo eligatur prior provincialis de filiis provinciae, secundo de filiis sancti Pauli Hispalensis, tertio de filiis provinciae, quarto de filiis santi Pauli Cordubensis, quinto iterum de filiis provinciae et sic deinceps. Quam alternativam volumus inviolabiliter observari, irritum et inane declarantes, quicquid in contrarium fieri vel attentari contingat.

Confirmamus concessionem in capitulo praeterito Parisiensi eidem provinciae factam circa electionem diffinitorum capituli provincialis post electionem provincialis faciendam.

Promovemus ad gradum praesentaturae pro insulis Fortunatis fratrem Antonium de Lucena et fr. Bernardum de Herrera, servatis servandis, iuxta decretum capituli generalis Vallisoletani 1605, ita ut nec loco nec titulo nec aliis privilegiis praesentatorum extra praefatas insulas gaudeant.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Ludovici Quixada, fr. Ioannis Da-

riola, fr. Didaci de la Cueva Marin, fr. Gabrielis Vasquez, fr. Stephani Çeron et fr. Ioannis Osorii, dummodo vera fuerint et servata ea, quae in eorum literis patentibus continentur, et non aliter.

Cum iuxta apostolicas nostrique ordinis constitutiones et acta capitulorum generalium in iis tantum conventibus possint et debeant teneri et educari novitii, tam puri seu simplices, quam professi, in quibus viget revera observantia regularis iuxta eiusdem nostri ordinis constitutiones, idcirco praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena absolutionis a suis officiis ipso facto incurrenda tam rev. admodum p. provinciali seu praesidenti provinciae quam reliquis prioribus seu praesidentibus conventuum pro tempore, si contra fecerint, ut in eadem nostra provincia Betica, in iis tantum conventibus, qui sunt studia generalia, in quibus revera viget observantia regularis, possint teneri et educari novitii tam simplices quam professi et in nullis aliis. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane, et tempus illud quo novitios simplices in aliis conventibus, praeterquam in praefatis studiorum generalium, excepta una tantum verae infirmitatis causa, detineri contigerit, eisdem simplicibus quoad complendum probationis annum, novitiis vero professis quoad antiquitatem in ordine nullo pacto suffragetur. Igitur si in aliis conventibus, praeterquam in praefatis, novitii ad habitum nostri ordinis in posterum recipiantur, ad eosdem conventus studiorum generalium regularis observantiae, sub praefatis praecepto formali et poenis, statim cum gravi ac exemplari socio transmittantur; non obstantibus in contrarium quibuscumque.

In provincia inferioris Germaniae.

Concedimus admodum rev. p. provinciali eiusdem provinciae, ut possit acceptare quaecumque loca sibi oblata pro novis conventibus erigendis, servatis tamen servandis.

Concedimus p. provinciali, ut de consilio graviorum patrum eiusdem provinciae bona mobilia, videlicet, vasa aurea et argentea ex conventibus Hollandiae et Zelandiae in Belgium asportata vendere possit et eorum pretium fideliter convertere in annuos reditus expendendos pro sustentatione eorum, qui ex dictis conventibus Hollandiae et Zelandiae in Belgium commorantur. Super quo conscientias dictorum patrum oneramus. Mandantes, ut dicti reditus numquam alienentur, sed conserventur, ut si dicti conventus, quorum erant dicta bona mobilia, iterum recuperentur, illis restitui queant.

Concedimus eidem provinciae, ut conventus Attrebatensis, qui situs est extra civitatem, propter pericula bellorum possit transferri intra civitatem existens, nisi prius fuerit aedificatus in civitate conventus, quem cives promittunt aedificare.

Concedimus conventui Lovaniensi, ut possit celebrare festum recollectionis festorum b. Mariae virginis die prima septembris; quandoquidem in tota illa dioecesi solemniter celebratur et festum sanctae Doninae virginis et martyris quinta decima maii, dummodo non intermittatur officium beatae Virginis.

Concedimus, ut in posterum numerus licentiatorum sit denarius, volumusque, ut observetur consuetudo in dicta provincia ab immemorabili tempore observata, ne videlicet a gradu baccalaureatus transiri possit ad gradum magisterii sine intermedio gradu licentiati.

Confirmamus promotionem ad magisterium rev. p. fr. Philiberti Fabri conventus Attrebatensis et promotiones graduatorum in capitulo generali Parisiensi 1611 factas et similiter approbamus in praedicatorem generalem rev. p. fr. Rolandum Obin ab illlustrissimo et reverendissimo cardinali de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, institutum.

Confirmamus affiliationem eiusdem p. fr. Rolandi Obin ex conventu Ultraiactensi et fr. Ioannis Huberti ex conventu Groningensi ad conventum Antwerpiensem.

Promovemus ad gradum licentiati rr. pp. fr. Matthiam Hees baccalaureum priorem Buscoducensem, fr. Ioannem Boquetium sacrae theologiae praesentatum priorem Antwerpiensem, fr. Michaelem Cabo praesentatum, fr. Franciscum Bivero praesentatum et praedicatorem serenissimorum archiducum et fr. Adrianum Matthaei baccalaureum filium conventus Valensinensis.

Promovemus ad baccalaureatum rr. pp. fr. Nicolaum a Daventria priorem Calcariensem et fr. Guillelmum Conselium lectorem sacrae theologiae in conventu Antwerpiensi.

In provincia s. Thomae seu Apuliae.

Confirmamus ordinationes factas in visitatione ab illustrissimo et reverendissimo cardinali de Aracaeli, tunc ordinis nostri magistro generali, pro bono regimine dictae provinciae volumusque, ut inviolabiliter observentur.

Committimus admodum rev. p. provinciali eiusdem provinciae, ut in capitulo provinciali proxime celebrando agat simul cum patribus provinciae, praemissa matura consideratione, de transferendo studio generali a conventu s. Dominici de Andria ad conventum s. Ioannis de Licio. Interim dictus admodum rev. p. provincialis de consilio patrum faciat, quod conventus s. Dominici de Luceria in subsidium studentium solvat ducatos centum conventui s. Dominici de Andria, sicuti alias solvere solebat.

Concedimus conventui Andriensi, ut possit sibi eligere priores actu fungentes officio prioratus in aliis conventibus minoribus, si aeque bene nequeat dicto conventui aliter providere.

Approbamus affiliationem rev. p. fr. Alexandri de Gallipoli magistri a conventu sanctissimae Annuntiationis extra civitatem Licii ad conventum sanctissimae Annuntiationis civitatis Gallipoli.

Approbamus sententiam datam ab admodum rev. p. provinciali dictae provinciae ex commissione illlustrissimi et reverendissimi d. card. de Aracaeli, tunc magistri ordinis, super praecedentiam rr. pp. fr. Petri de Mesapia magistri et fr. Hyacinthi de Altamura magistri.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Donati Antonii de Martina, fr. Marini de Rubis, fr. Hieronymi de Gallipoli et fr. Iordani de Tarento in capitulo Parisiensi promotorum et p. fr. Honorati de Neritono ab illustrissimo et reverendissimo card. de Aracaeli, tunc reverendissimo magistro ordinis, promoti. Item baccalaureatus rr. pp. fr. Vincentii de Ferandina, fr. Petri Martyris de Meduneo, fr. Augustini de Meduneo et fr. Vincentii de Venusio in praecedenti capitulo promotorum, si tamen servatae sint conditiones in litteris patentibus positae.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Leonardum de Vigiliis baccalaureum, fr. Michaelem de Corato baccalaureum ordinarium in studio generali Andriensi, fr. Antonium Fraquassum de Tricasio, fr. Thomam de Castellaneto, fr. Vincentium Capparinum de Licio et fr. Vincentium de Venusio baccalaureum, servatis servandis, et non aliter.

Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. fr. Ioannem Maurum de Martino lectorem et magistrum studii generalis Andriae, fr. Ioannem de Bitonto, fr. Franciscum de Taranto, fr. Albertum de Mesappia et fratrem Thomam de Hostuno lectores, similiter servatis servandis, et non aliter.

Damus in regentem studii nostri generalis Andriae rev. p. fr. Hyacinthum de Altamura magistrum.

Confirmamus provisiones baccalaureorum pro dicto studio factam in capitulo generali Parisiensi. De magistro autem studentium providebit admodum r. p. provincialis, secundum quod expediens iudicaverit et sine praeiudicio alicuius.

Assignamus pro rata dictae provinciae in studio nostro generali s. Dominici de Bononia pro primo loco vacante fr. Petrum Martyrem de Bitonto et fr. Thomam Scopetam de Tarento. In studio Neapolitano fr. Reginaldum de Martino et fr. Lucam de Grittolis. In studio Perusino fr. Antonium de Martina. In studio Patavino fr. Paulum de Ostuno pro primo loco et fr. Ioannem de Bitonto pro secundo. In studio s. Eustorgii Mediolani fr. Ioannem de Bario et fr. Vincentium de Bitonto. In studio Cosentino fr. Augustinum de Castellaneto.

Ordinamus pro bono dictae nostrae provinciae s. Thomae, quod magistri et baccalaurei, qui usque modo promoti sunt supra numerum de-

terminatum et in futurum promovebuntur, teneantur tempore suo secundum ordinem professionis eorum, nisi aliter a magistro ordinis ordinatum fuerit, subire et actualiter exercere officia seu munera regentiae, baccalaureatus et magistri studentium in nostro studio generali Andriae, nisi legitime impediti fuerint. Qui vero recusabunt dicta officia, sint privati non solum gratiis et privilegiis magistrorum et baccalaureorum, sed etiam gradu et titulo magisterii seu baccalaureatus respective.

In provincia Calabriae.

Concedimus pro pace et unione servanda inter patres utriusque Calabriae, ut servetur alternativa tam in electione provincialium quam diffinitorum mittendorum ad capitulum generale, sicuti ordinatum fuit in capitulo Romae celebrato anno 1589, quae alternativa servetur non solum, quando diffinitor eligitur per capitulum provinciale, sed quomodocumque contingat mitti diffinitorem ad capitulum generale, sive ex vi nostrarum constitutionum, sive per electionem, sive ex quacumque alia causa, hoc modo videlicet, quod si in uno capitulo generali diffinierit diffinitor ex provincia superioris Calabriae, in capitulo generali immediate sequenti diffiniat diffinitor ex provincia inferioris Calabriae et e converso.

Concedimus eidem provinciae, ut possit erigere duos novitiatus pro recipiendis et alendis novitiis puris, unum quidem in conventu Cosentino, alterum vero in conventu s. Georgii; in quorum erectione serventur ordinationes praescriptae ab illustrissimo et reverendissimo card. de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, in visitatione eiusdem provinciae. Quas et alias omnes ordinationes ab eodem illustrissimo, tunc reverendissimo magistro ordinis, in eadem visitatione pro bono regimine eiusdem provinciae utriusque Calabriae factas confirmamus ac inviolabiliter observari praecipimus tam a rev. p. provinciali seu praesidente provinciae pro tempore et a prioribus vel praesidentibus conventuum pro tempore, sub poena absolutionis ab eorum officiis ipso facto incurrenda, quam reliquis fratribus provinciae, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Ordinamus, ut lectores non possint eligi in priores nec institui vicarii locorum, nisi per triennium ad minus officio lectoris actu laudabiliter functi fuerint; et volumus, quod baccalaurei teneantur actu legere usque ad susceptionem gradus magisterii, nisi legitime impediti fuerint.

Confirmamus ordinationem pro eadem provincia alias factam, quod conversi et tertiarii nullo modo possint indui habitu clericali, quam volumus inviolabiliter observari.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Augustini de Cutis, fr. Ioseph de Stilo et fr. Ioannis Politii de Blanco, promotorum ab illustrissimo car-

dinali Xavierre bonae memoriae, tunc magistro generali ordinis, si tamen servatae fuerint conditioues in litteris patentibus positae, et non aliter.

Item approbamus magisteria rr. pp. fr. Vincentii a Sarracena, fr. Francisci Sproverii a Montealto, fr. Vincentii a Petrafìcta, fr. Hieronymi Baroni de Tropea in capitulo Parisiensi promotorum et fr. Hieronymi de Rosarno, ab illustrissimo et reverendissimo card. de Aracaeli, tunc magistro ordinis, promoti, si tamen servatae fuerint conditiones in litteris patentibus positae, ut supra dictum est.

Approbamus eodem modo baccalaureatus rr. pp. fr. Sixti de Polistina, fr. Ioannis Baptistae Cameratae de Polistina, fr. Michaelis de Briatico, fr. Pauli de Monte Leone et fr. Hyacinthi de Papanisso in capitulo Parisiensi promotorum.

Item approbamus praedicaturas generales rr. pp. fr. Pauli de Catanzaro et fr. Petri de Fileno.

Promovemus ad gradus baccalaureatus p. fr. Thomam de Montealto lectorem, p. fr. Dominicum de Galato lectorem, p. fr. Franciscum de Strungulo lectorem, p. fr. Dominicum de Stilo lectorem, p. fr. Ioannem Baptistam de Catanzaro lectorem, p. fr. Hieronymum de Suriano (1) lectorem, p. fr. Vincentium de Radicena lectorem, servatis servandis, et dummodo non excedant numerum baccalaureorum praescriptum in dicta provincia et non aliter.

Instituimus in praedicatores generales p. fr. Scipionem de Serris, p. fr. Hieronymum de Taragosio, p. fr. Octavianum de Terranova, p. fratrem Thomam de Cassano, p. fr. Augustinum de Cerisano, servatis servandis, et dummodo non excedant numerum conventuum et non aliter.

Confirmamus in regentem studii nostri Cosentini rev. p. fr. Vincentium de Petrafìcta magistrum. Damus in baccalaureum pro primo biennio p. fr. Ioannem Baptistam Cameratam de Polistina baccalaureum. Pro secundo biennio p. fr. Thomam de Montealto lectorem. In magistrum studentium damus pro primo anno p. fr. Silvestrum de Suriano lectorem, pro secundo p. fr. Thomam de Siberi lectorem, pro tertio p. fr. Vincentium de s. Georgio, dummodo nulli fiat iniuria, et servatis servandis iuxta constitutiones nostras.

Assignamus pro rata provinciae Calabriae in studio Bononiensi p. fr. Thomam de Suriano et p. fr. Michaelem de Polistina. In studio Patavino p. fr. Hieronymum de Montealto. In studio Neapolitano p. fr. Ioannem Baptistam de s. Georgio et p. fr. Silvestrum de Hierocarne. In studio Messanensi p. fr. Thomam de Polistina et p. fr. Ioannem Bapti-

(1) De fr. Hieronymo de Suriano cf. SSOP. II, 459.

stam de Polistina. In studio Panormitano p. fr. Dionysium de s. Georgio et p. fr. Ioannem Baptistam de s. Severino.

Removemus in dicta provincia nostra utriusque Calabriae quemcumque generalem conservatorem quomodocumque alias institutum, committentes admodum rev. p. provinciali, ut faciat cuilibet conservatori generali dictae provinciae iam instituto hanc amotionem et revocationem intimare. Nolumusque, quod in posterum possit aliquis eligi in conservatorem generalem totius dictae provinciae, sed conventus eligant sibi particulares conservatores, servatis servandis.

In provincia s. Iacobi de Mexico.

Approbamus praesentaturam et praedicaturam generalem pro conventu sancti Dominici de Mexico rev. p. fr. Christophori de Anguilera praesentis capituli electoris.

Item approbamus omnes alios gradus et praedicaturas generales ab illustrissimo et reverendissimo d. card. de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, collatas, dummodo servatae fuerint conditiones litterarum patentium, ut supra dictum est, et non aliter.

Approbamus insuper ea omnia et singula, quae idem illustrissimus, dum esset magister generalis ordinis, decrevit, declaravit, ordinavit et approbavit in eadem provincia, eaque omnia volumus inviolabiliter observari, et in specie, quae ab eodem illustrissimo card. auctoritate apostolica concessa sunt, de alternativa officii provincialatus inter natos in Hispaniis et natos in Indiis, non tamen extendatur haec concessio alternativae ad officium prioratus.

Praecipimus etiam in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, sub formali praecepto, necnon sub poena excommunicationis, omnibus nostris fratribus, qui expensis regiis mittuntur ad Philippinas, ne diutius remorentur in provinciis Mexicanis, sed iter suum prima data occasione navigandi sine dilatione prosequantur. Auferentes hoc decreto omnem auctoritatem et facultatem a quibuscumque superioribus illarum provinciarum inferioribus magistro ordinis assignandi fratres missos ad Philippinas in provinciis Mexicanis.

In provincia Occitana.

Confirmamus dictam provinciam Occitanam revocantes distributionem et applicationem conventuum dictae provinciae provinciis Tolosanae et Provinciae factam in capitulo Parisiensi 1611. Volumusque omnes conventus dictae provinciae esse subiectos patri provinciali pro tempore et nihil de caetero innovetur, quousque reverendissimus pater magister ordinis dictam provinciam visitaverit, qui pro sua prudentia determinabit, quod praedictis provinciis expedire iudicaverit.

Ordinamus ad ipsius provinciae petitionem, quod priores in poste-

rum sint tantum triennales, ita ut completo triennio ipso facto absque alia declaratione sint absoluti ab officio prioratus, suppriores vero et sindici sint biennales, reliqui officiales perseverent in suis officiis tantum per annum.

Concedimus conventui Avenionensi, quod camerae, quas magni dormitorii vocant, funditus evertantur, ut commodiores fratribus reaedificentur, non tamen demoliantur dictae camerae, nisi sit in promptu facultas illas statim reaedificandi; neque omnes simul evertantur, sed postquam dimidia earum pars demolita et de novo restituta fuerit, pars earum, quae restabat, evertatur et statim cum effectu reaedificetur, neque oppositum quispiam facere vel attentare praesumat.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo generali Romae celebrato 1608 circa confraternitatem poenitentium conventus Arelatensis.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis Baptistae Penna, fr. Petri Bruni prioris Avinionensis et in praesenti capitulo diffinitoris et fr. Antonii Masculini, si tamen fuerint servatae conditiones in eorum litteris patentibus contentae, et non aliter.

Promovemus ad magisterium rr. pp. baccalaureos fr. Raymundum Poisson, in praesenti capitulo magistri ordinis electorem, fr. Dominicum Gaillermi, fr. Antonium Bannem et fr. Antonium Robertum, servatis servandis.

Promovemus in universitate Avenionensi ad lecturam sententiarum rr. pp. fr. Carolum Albertum pro anno 1612, fr. Richardum Bergerium pro anno 1613, fr. Antonium Paschalis pro anno 1614, fr. Hieronymum Albertum pro anno 1615.

In universitate Caturiensi p. fr. Stephanum Saurelli pro anno 1612, p. fr. Honoratum Massis pro ànno 1613, p. fr. Ioannem Guevarri, pro anno 1614, p. fr. Petrum Reviron pro anno 1615.

In provincia s. Dominici.

Approbamus magisteria rr. pp. promotorum in capitulo Parisiensi 1611, dummodo fuerint servatae conditiones in litteris patentibus positae, videlicet, p. fr. Marci Antonii de Venetiis, fr. Hervei de Venetiis, fr. Hieronymi de Padua, fr. Benedicti de Padua, fr. Bartholomaei de Padua, fr. Adriani de Padua et p. fr. Ioannis Santato de Venetiis provincialis Graeciae, promoti in capitulo Romano 1608; et magisteria rr. pp. fr. Marini de Suapio et fr. Benedicti Bovii de Treviso, et baccalaureatum p. fr. Francisci Cortivi de Venetiis ab illustrissimo card. de Aracaeli, tunc magistro ordinis, promotorum, servatis conditionibus litterarum patentium, ut supra dictum est.

Approbamus praedicaturas generales p. fr. Laurentii de Franciscis, p. fr. Zachariae de Blanchis et p. fr. Michaelis Tressae de Venetiis, quae

acceptatae fuerunt in capitulo provinciali, dummodo praedicti patres habeant requisita secundum constitutiones nostras, et non aliter.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Guillelmum Rhedoanum de Venetiis, servatis servandis iuxta constitutiones nostras, et non aliter.

Damus in studio nostro generali Patavino in baccalaureum p. fr. Alexandrum Adrianum Patavinum; in magistrum vero studentium p. lectorem fr. Innocentium Fioravanti de Venetiis, dummodo nulli fiat praeiudicium et servatis servandis.

Promovemus ad gradum baccalaureatus rr. pp. fr. Ioannem Hanaugurium lectorem et priorem Tervisinum et fr. Nicolaum Vanti lectorem, servatis servandis, et non aliter.

Confirmamus in priorem provincialem provinciae nostrae s. Dominici admodum rev. p. m. fr. Vincentium Pontinum cum omnibus gratiis et privilegiis aliorum provincialium in ipsa provincia rite confirmatorum, cum fuerit canonice electus.

In provincia s. Laurentii de Chile.

Confirmamus in priorem provincialem nostrae provinciae s. Laurentii de Chile in Indiis occidentalibus rev. p. fr. Martinum de Salvatierra cum omni auctoritate et potestate, gratiis et privilegiis reliquorum provincialium eiusdem provinciae, cum canonice sit electus.

Promovemus ad magisterium rev. p. praesentatum fr. Acatium de Naveda quondam provincialem et sacrae theologiae professorem in conventu nostro s. Mariae Rosarii civitatis s. Iacobi de Chile, ab eadem provincia nostra s. Laurentii petitum, cum per plures annos artes et sacram theologiam perlegerit.

Promovemus ad gradum praesentaturae rev. p. fr. Didacum de Urbina priorem Cordubensem, qui per aliquot annos in eodem conventu legit et verbum Dei diserte ac fructuose praedicavit.

Approbamus in praedicatorem generalem rev. p. fr. Leandrum de Pessoa pro conventu nostro s. Dominici de Mendoça, et instituimus praedicatorem generalem pro conventu nostro s. Dominici de Chillan p. fr. Ioannem de Armenta ad petitionem eiusdem provinciae.

In provincia sancti Petri martyris.

Ordinamus, quod baccalaurei promoti in capitulo generali Parisiensi et in praesenti capitulo teneantur subire officia magisterii, studii et baccalaurei ordinarii respective in studio generali s. Eustorgii Mediolani, secundum ordinem professionis eorumdem, quod si aliqui recusaverint dicta munera seu officia, sint privati gradu baccalaureatus ac etiam magisterii, si fuerint magistri.

Damus in nostro studio generali s. Eustorgii in regentem pro annis 1612, 13 et 14 rev. p. fr. Hyacinthum Ghisulphum de Mediolano magi-

strum et volumus, quod magister ordinis possit prorogare dictum patrem in dicto officio, si reverendissimae suae paternitati expedire videbitur.

In magistrum studentium damus pro anno 1613 p. fr. Hieronymum Olivetum de Bugella; pro anno 1614 p. fr. Sebastianum Bursam de Mediolano et pro anno 1615 p. fr. Ioannem Antonium Cataneum de Derthona lectorem.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Eugenium Pallazolium Astensem, fr. Hieronymum Olivetum de Bugella, fr. Dominicum Castillioneum et fr. Petrum Antonium Balada de Vercellis baccalaureos, fr. Augustinum Monachum de Taurino et fr. Faventinum de Mediolano, servatis tamen servandis iuxta constitutiones nostras, et non aliter.

Promovemus ad baccalaureatum rr. pp. fr. Simonem Floranum et fr. Hyacinthum Gregium de Vercellis et fr. Sebastianum Bursam lectores, servatis servandis.

Instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Thomam Vismara de Barlasina, servatis servandis.

Approbamus promotiones factas in capitulo Parisiensi 1611 et praedicaturam generalem p. fr. Ioannis Vialardi de Vercellis, instituti ab illustrissimo et reverendissimo cardinali de Aracaeli, tunc magistro generali, dummodo fuerint servatae conditiones, quae in litteris patentibus continentur, et non aliter.

Assignamus in studio generali s. Dominici de Neapoli pro primo loco vacante p. fr. Albertum de Mantua.

In provincia s. Catharinae de Senis.

Confirmamus declarationem factam in capitulo generali Parisiensi 1611 videlicet, conventum Iesu Mariae et sancti Vincentii et conventum sancti Severi maioris in civitate Neapolitana et conventum sanctae Mariae de Arcu in dioecesi Nolana pertinere ad eandem provinciam s. Catharinae de Senis, alias Aprutinam. Imponentes super his perpetuum silentium omnibus et singulis fratribus nostri ordinis et prohibentes sub poena gravioris culpae et aliis reverendissimo magistro ordinis arbitrariis, ne quis de divisione aut avulsione dictorum conventuum ab ipsa provincia loqui, tractare aut eam procurare quomodolibet praesumat. Quam declarationem et prohibitionem extendimus ad conventum nostrum s. Dominici de Rheate.

Extendimus ad petitionem eiusdem provinciae numerum magistrorum sacrae theologiae et praedicatorum generalium in eadem provincia usque ad numerum duodenarium. Prohibentes in posterum, ne aliquis audeat petere aut quovis modo quaerere, quod dictus numerus ullo modo augeatur, et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Quae quidem statuta seu decreta apostolica auctoritate sanctissimus

d. n. Paulus papa V. confirmavit per litteras in forma brevis expeditas tenoris sequentis:

Paulus papa V.

Ad perpetuam rei memoriam. Ut ea, quae pro religiosorum bono et personarum in ipsis degentium quiete per ipsarum religionum superiores, praesertim in capitulis generalibus statuta et ordinata sunt, firma et illibata persistant, illis nostrae confirmationis robur libenter adiicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Siquidem pro parte dilectorum filiorum provincialis et fratrum ordinis praedicatorum provinciae s. Catharinae de Senis, alias Aprutinae, nobis nuper expositum fuit, quod pro totius ordinis praedicti bono et quiete in capitulo generali eiusdem ordinis novissime in civitate Parisiensi celebrato, magister generalis, diffinitores et alii fratres ipsi capitulo interessentes, unam Iesu Mariae et s. Vincentii et aliam s. Severi Maioris civitatis Neapolitanae et reliquam s. Mariae ab Arcu nuncupatas domos dicti ordinis Nolanae dioecesis ad praedictam provinciam sanctae Catharinae de Senis pertinere declararunt, imponentes perpetuum silentium omnibus et singulis dicti ordinis fratribus ac prohibentes sub poena gravioris culpae et aliis magistro generali dicti ordinis arbitrariis poenis, ne quis de divisione dictarum domorum ab ipsa provincia s. Catharinae de Senis loqui, tractare aut procurare quomodolibet praesumeret, prout in decreto capituli generalis super hoc facto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, provincialis et fratres dictae provinciae plurimum cupiant, decretum et declarationem huiusmodi pro firmiori illorum subsistentia, et ut ab omnibus inviolabiliter observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos provincialem et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praedictum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum et declarationem huiusmodi et in eis contenta apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; decretumque huiusmodi et alia praedicta ab omnibus, ad quos spectat observari debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus et declaramus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ordinis et provinciarum illius, etiam iura-

mento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIX. decembris MDCXI. pontificatus nostri anno septimo.

Scipio Cobellutius.

Paulus papa V.

Ad perpetuam rei memoriam. Ut ea, quae pro religiosorum bono et personarum in ipsis degentium quiete per ipsarum religionum superiores, praesertim in capitulis generalibus statuta et ordinata sunt, firma et illibata persistant, illis nostrae confirmationis robur libenter adiicimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Si quidem pro parte dilectorum filiorum provincialis et fratrum ordinis praedicatorum provinciae sanctae Catharinae de Senis alias Aprutinae nobis nuper expositum fuit, quod pro ipsius provinciae quiete et bono in capitulo generali eiusdem ordinis novissime in Urbe celebrato magister generalis, diffinitores et alii fratres ipsi capitulo interessentes statuerunt et ordinarunt, quod in provincia praedicta non possint recipi nec admitti in magistros in sacra theologia necnon in concionatores generales vocales ultra numerum duodecim respective, prout in decreto capituli generalis super hoc facto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, provincialis et fratres dictae provinciae plurimum cupiant decretum et ordinationem huiusmodi pro firmiori illius subsistentia et ut ab omnibus inviolabiliter observentur apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos provincialem et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inhaerentem decretum et ordinationem huiusmodi ac in eis contenta quaecumque apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, decretumque et ordinationem huiusmodi et in eis contenta praedicta ab

ab omnibus, ad quos spectat, observari debere, irritumque et inane, quicquid secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus et declaramus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ordinis et illius provinciarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et constitutionibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. anno MDCXII.˝ pontificatus nostri anno octavo.

Scipio Cobellutius.

Ordinamus in dicta provincia, quod non possit aliquis peti aut promoveri ad gradum magisterii per saltum, sed promoveantur, qui primo functi fuerint officio magistri studentium et baccalaurei ordinarii in studio generali dictae provinciae, declarantes, quod baccalaurei et regentes tenentur legere et perseverare in suis officiis tantum per triennium, nec in posterum fiat aliquis magister studentium, qui sacram theologiam ad minus per biennium non legerit; qui vero aliter promoti fuerint, pro non magistris et pro non graduatis habeantur in dicta provincia.

Ordinamus, quod in posterum magistri sacrae theologiae et praedicatores generales acceptentur in dicta provincia non solum a pp. diffinitoribus capituli provincialis, sed etiam a maiori parte patrum provinciae, qui fuerint praesentes in capitulo provinciali.

Approbamus magisteria promotorum in capitulo generali Parisiensi 1611 et citra et praedicatores generales factos, dummodo fuerint servatae conditiones positae in litteris patentibus, et non aliter.

Promovemus ad baccalaureatum p. fr. Antonium Torellum de Casali, servatis servandis, et non aliter.

Damus in magistrum studentium in studio generali s. Dominici de Aquila pro anno 1613 p. fr. Iacobum Cumanum lectorem; pro anno 1614 p. fr. Ioannem Mariam de Balneoregio lectorem; pro anno 1615 p. fr. Ignatium Terrasianum de Neapoli lectorem, et si erit impeditus ob infirmitatem, in eius locum damus p. fr. Michaelem de Marchis Neapolitanum lectorem.

Declaramus, quod si in aliquo conventu contingat reperiri tantum unum fratrem habentem vocem passivam, id est, habentem duodecim annos completos a sua professione, reliquos vero vocales habere tantum vocem activam, id est, non habere duodecim annos completos a profes-

sione, poterunt, si voluerint vocales procedere ad electionem socii patris prioris pro capitulo provinciali, et si vocalibus placuerit, poterunt eligere illum, qui habet vocem passivam; qui sic electus erit legitimus socius pro capitulo provinciali.

Declaramus, quod examinatores et revisores literarum testimonialium eorum, qui volunt recipi ad habitum ordinis, sint diversarum nationum, prout illustrissimus et reverendissimus card. de Aracaeli, tunc generalis magister ordinis, declaravit.

Acceptamus in eadem provincia locum s. Georgii prope Neapolim apud Adcremanum, dioecesis Neapolitanae, servatis servandis.

In̄ provincia Russiae.

Auctoritate apostolica a sanctissimo d. n. Paulo papa V. ad hoc specialiter concessa, erigimus in provinciam congregationem nostram Russiae sub titulo provinciae Russiae, annuente toto diffinitorio et admodum rev. p. provinciali provinciae nostrae Poloniae consentiente, cum omnibus gratiis et privilegiis aliarum provinciarum ordinis; manentibus tamen stabilibus ac firmis et in perpetuum duraturis iis omnibus et singulis, quae in capitulo Parisiensi proxime celebrato 1611 circa divisionem conventuum et terminorum inter dictam provinciam Poloniae et praefatam Russiae decreta, sancita et ordinata sunt, nempe, ut utrorumque limites et termini, quos neutri partium in posterum licebit transgredi, tam in fabricandis domibus quam in quaestibus faciendis sint isti, videlicet: Wceoria, Clewan, Zartonysko, Voiatil, Slonin, Rosanka, Vilna, Nemensthyn, Swintrawa, Disla, Drismet, et quod loca Toporuff et Constantinuff pertinent ad eandem provinciam Russiae, quia sunt intra ipsorum terminos, iuxta declarationem eiusdem capituli. Super quibus omnibus post hac perpetuum silentium imponimus.

Acceptamus in eadem provincia conventum Lachovcensem ab illustrissimo d. Sieriuta eidem oblatum, servatis servandis iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium et specialiter praesentis capituli generalis.

In congregatiōne Occitana.

Approbamus congregationem Occitanam reformatam ab illustrissimo et reverendissimo card. de Aracaeli, tunc magistro generali ordinis, ad instantiam et petitionem christianissimi regis Francorum auctoritate apostolica erectam et institutam et in capitulo Parisiensi confirmatam.

Approbamus concessionem eidem congregationi factam ab illustrissimo et reverendissimo card. de Aracaeli, tunc ordinis nostri generali magistro, de novo conventu erigendo in civitate Parisiensi iuxta beneplacitum regiae maiestatis, consensum reverendissimi episcopi Parisiensis et pium desiderium quamplurium civium Parisiensium. Mandantes pp.

conventus nostri s. Iacobi Parisiensis et quibuscumque aliis fratribus ordinis nostri, ne audeant pp. reformatos dictae nostrae congregationis impedire seu perturbare, quominus dictus conventus erigatur aut reformatio propagetur et dilatetur.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo d. n. Paulo papa V., qui ordinem nostrum mirifice fovet et diligit ac praesenti nostro capitulo copiosam eleemosynam contulit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu sanctae Romanae ecclesiae quil. sac. un. missam.

Pro serenissimo imperatore Matthia quil. sac. un. missam.

Pro christianissimo rege Francorum quil. sac. un. missam.

Pro catholico Hispaniarum rege quil. sac. un. missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Burghesio, nostri ordinis protectore, quil. sac. un. missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, ex ordine nostro assumpto, quil. sac. un. missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quil. sac. un. missam.

Pro omnibus principibus christianis, qui sub obedientia sedis apostolicae vivunt et pro pace inter eos servanda ac pro bono totius christianae reipublicae quil. sac. un. missam.

Pro excellentissimis principibus ab Auria, qui insigne monasterium monialium in civitate Genuensi sub titulo s. Spiritus cum copiosis reditibus pro sustentatione monialium construxerunt ac religioni et provinciae nostrae utriusque Lombardiae donarunt, quil. sac. un. missam.

Pro statu et reformatione totius ordinis nostri et pro eius capite reverendissimo magistro ordinis et in eius societate laborantibus quil. sac. un. missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris et maxime pro iis, qui huic capitulo eleemosynas elargiti sunt, quil. sac. un. miss.

Ubi sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro anima serenissimi imperatoris Rodulphi qu. sac. un. missam.

Pro animabus bonae memoriae illustrissimorum et reverendissimorum dd. card. Ursini et Iustiniani et reverendissimi d. Iulii Doffi episcopi Alessani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam nostro generali capitulo in suis testamentis reliquerunt, qu. sac. unam missam.

Pro anima illustrissimi et reverendissimi card. Asculani, ex ordine nostro assumpti, quil. sac. un. missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a tempore praeteriti capituli generalis obierunt, quil. sac. un. missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. un. miss.

Pro anima excellentissimi principis d. Andreae ab Auria quil. sac. unam missam.

Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Damus reverendissimo p. magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent et eisdem addere vel detrahere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, praecipue vero circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus, secundum quod eius prudentiae visum fuerit expedire.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum primum, assignamus in Italia in conventu nostro s. Dominici de Bononia.

Praecipimus denique in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum et vicariarum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae subiectis quamprimum legere et publicari faciant, omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter exequutioni mandentur, et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio omnia, quae in communi pro omnibus provinciis sancita sunt, necnon et singula, quae pro singulis in unaquaque provincia, nullo praetermisso, legantur.

Mandantes insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu habeatur horum actorum exemplaria, alia in communi deposito cum aliis consuantur, alia habeant priores seu praesidentes conventuum, alia magistri novitiorum, ne ullus praetextu ignorantiae eorum, quae sancita sunt, se excusatum putet.

Volentes, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Fratres, qui cum sanctitatis opinione obierunt.

In provincia Hispaniae.

Frater Didacus de Alderete illustris sanguine, sed illustrior moribus, humilitate, paupertate, obedientia insignis per quadraginta et amplius annorum spatium non cubavit in lecto, episcopatus sibi oblatos

humiliter recusavit, regularis observantiae exactissimus cultor, magna tam apud fratres quam saeculares sanctitatis opinione quievit in pace.

Frater Martinus de sancto Petro, sacerdos, cum virtutum omnium cumulo ita animi candorem et asperam poenitentiam coniunxit, ut omnibus amabilis mirabilisque redderetur. Magnam noctis partem sacris orationibus insumebat, et ferreo praeacutoque cingulo ad renes constricto, carnisque suae maceratione acceptissimum ferventis spiritus sui sacrificium Deo offerebat ac tandem plenus dierum obdormivit in Domino.

Frater Dominicus de sancta Maria regulari observantiae addictissimus, tanta a bonorum omnium largitore Domino gratia donatus est, ut testimonio confessarii sui virgo obierit et nunquam per totam vitam mortaliter peccaverit. Quapropter in magna apud omnes sanctitatis opinione habitus est. Et cum in oppido quodam, in quo conventum ordo noster non habet, ad caelestem patriam evolaverit, eius loci incolae corpus tanti viri ordini nostro reddere pluries requisiti renuunt ac velut pretiosissimum thesaurum sibi maxime proficuum servant ac tuentur.

Frater Michael de Magaña vir Deo plenus, humilitate, charitate, obedientia, caeterisque virtutibus illustris, animarum salutis sitientissimus, bonis operibus refertus, multisque christifidelibus e peccatorum laqueis ereptis et ad Christum adductis, fere octuagenarius terrenam mortem cum caelesti vita, ut pie creditur, commutavit. Sanctitatis fama adeo illustris, ut dum ad tumulum corpus eius deferretur, vix a populi concursu vestes eius ceu pretiosissimas reliquias diripientis defendi potuerit, quae in magna deinceps veneratione sunt habitae.

In provincia Portugalliae.

His verbis ornavit sepulchrum insignis viri fr. Ludovici de Sotomaior Conimbricensis academia, in qua ipse floruerat tum literis tum sanctitate.

Magnus theologus vir caelo dignus fr. Ludovicus Sotomaior dominicanus, fidei vehemens assertor in utraque Germania et Anglia. Primarius Conimbriae divinorum librorum interpres, longe illustris et emeritus moriens ipsa die et hora, qua spiritus sanctus corde repleverat apostolorum, suae mortis divinus, vivam sanctitatis imaginem expressit, quam vivens sibi paraverat Deum sequendo. Tandem hic situs est anno 1610 suae aetatis 84.

Floruit etiam in Portugallia fr. Antonius de Sande, praedicator vere apostolicus, qui maximo cum odore virtutum portarii munus exercuit in conventu Santarensi, acquisitas eleemosynas pauperibus summa cum humilitate et charitate distribuens, in cuius obitu ad eius corpus venerandum frequentissimus cucurrit populus. Evolavit in caelum anno Domini 1609 sexagenarius.

In provincia utriusque Lombardiae.

Frater Andreas Bobius sacrae theologiae magister ex conventu Faventino vir religiosissimus et catholicae fidei acerrimus propugnator, cum in Vallachiam a sacra Congregatione de Propaganda Fide destinatus esset, profectus in Russiam, assumpto secum socio patre fr. Matthaeo de Ulonis Moravo ex conventu Leopoliensi, multis pro eadem catholica fide propaganda laboribus ac periculis perpessis, nonnullis catholicis ecclesiis sub Romano ritu erectis, schismaticis, haereticisque pluribus ad s. ecclesiae gremium adductis. Vallachiam rediens ab haereticis militibus, catholicam et praedicatoriam eius religionem detestantibus et odio habentibus, velut agnus innocens a lupis appetitus, crudelique morte affectus, duplicem, ut pie creditur, martyrii ac doctoratus lauream caelo triumphans invexit. Eius socius arrepta inter densas sylvas celeri fuga, ex eorum manibus elapsus, Deo providente, ne tanti patris triumphus tenebris obvolveretur, haec fideliter enarravit.

In eadem provincia celebri virtutum ac sanctitatis fama obiit rev. fr. Michael de Brixia praedicator ac prior conventus s. Dominici de Mantua, vir mitissimus et Deo plenus, humilitate, ieiuniis orationibusque frequentissimis deditus, qui super tabulas cubans, noctes in ecclesia orans fere insomnes duxit, donec spiritum in creatoris sui manus deposuit.

Cum eadem etiam opinione sanctitatis obiit p. fr. Thomas de Fontali in conventu s. Luciae de Fabriano.

In provincia Romana.

Pater fr. Sanctes Tosinus regularis observantiae studiosissimus, magnae humilitatis, patientiae, paupertatis cultor, orationi adeo addictus fuit, ut die noctuque in illis persisteret. Apud moniales s. Mariae Magdalenae in Urbe vicarius et a sacris confessionibus, ad Iesu Christi amorem, saeculi contemptum, orationum ac meditationum frequentiam eas adhortans sese bonorum omnium exemplum adeo praebuit, ut vivens nullum sacrarum constitutionum rigorem praetermiserit et moriens magnam sanctitatis opinionem apud fratres et saeculares iure optimo adeptus sit.

In provincia Aragoniae.

In conventu Podiceritano virtutum cumulo p. fratrem Ambroni Dei gratia adeo exornavit, ut de se humillime sentiens et humanas laudes ceu pestilentissimum virus exhorrens, solique Domino placere satagens, divinum sacrificium pro sua, christique fidelium salute, necnon et defunctorum, quibus summopere compatiebatur, a poenarum sublevatione quotidie quam devotissime offerebat; adeo misericors, ut dimidium obsonii sibi in refectorio praestitum accepta superiorum suorum licentia,

vero Christi pauper, compauperibus suis quotidie ministraret; zelo divini cultus accensus, contra peccatorum monstra acrius invehebatur; ob quae ab humani generis hoste gravissimis tentationibus ac molestiis appetitus divina ope, de iis ac de se ipso illustrem victoriam reportavit. Plenusque dierum, dum innocentem spiritum Deo reddidit, eius sanctitas, quam summo studio vir humillimus occultabat, omnibus patefacta est. Eius namque funus magna cleri ac populi frequentia manus defuncti corporis deosculantium vestiumque reliquias petentium decoratum est.

Provinciae Dalmatiae.

In civitate Cidoniensi regni Candiae, cum adhuc in navi esset, rediens ex visitatione sanctissimi sepulchri et sacrorum locorum apud Ierosolymam, rev. p. fr. Valerius de Spalatro obiit cum magna opinione sanctitatis. In defuncto eius corpore ferreus circulus cuti inhaerens repertus est; quod ut a mirantibus ac stupentibus nautis visum fuit, corpus tanti viri, quod in mare pro more mox demersuri spoliabant, magna cura intra navigium retinuerunt, donec ad praefatam insulam pervenerunt, ibique magna devotione in ecclesia conventus nostri s. Nicolai provinciae nostrae Graeciae corpus eius humarunt.

Post absolutum capitulum nostrum generale hoc anno 1612 Romae celebrato et conscripta illius acta emanarunt pro manutentione nostrorum privilegiorum literae illustrissimi et reverendissimi d. auditoris camerae apostolicae tenoris sequentis:

Ioannes Dominicus Spinula, prothonotarius apostolicus utriusque signaturae sanctissimi d. n. papae referendarius ac curiae causarum camerae apostolicae generalis auditor, Romanaeque curiae iudex ordinarius, sententiarum quoque ac censurarum in eadem Romana curia et extra eam latarum ac literarum apostolicarum quarumcumque universalis et merus exequutor ab eodem sanctissimo specialiter deputatus. Universis et singulis rr. dd. abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, scholasticis, cantoribus, thesaurariis, sacristis tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum, canonicis parochialiumque ecclesiarum rectoribus, locumtenentibus, plebanis, viceplebanis, presbyteris, curatis et non curatis, clericis, notariis et tabellionibus publicis quibuscumque, ubilibet constitutis, illique vel illis, ad quem vel ad quos praesentes nostrae literae pervenerint, salutem in Domino et nostris huiusmodi, imo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis nuper coram nobis pro parte et ad instantiam rev. p. d. Lucae Castellini ordinis praedicatorum sacrosanctae theologiae magistri et totius praefatae religionis procuratoris generalis, nomine reverendissimorum patrum generalis, provincialium ac

priorum seu guardianorum et aliorum patrum et singulorum eorum in domibus seu monasteriis dictorum ordinum et cuiuslibet eorum in Urbe quam extra commorantium principalium comparitum et expositum fuisse, quod cum eorum sacer ordo praedicatorum ob varia praeclare gesta salutiferosque innumeros fructus, quos in Dei ecclesia produxit, fuerit a sancta sede apostolica quantum ad omnes conventus fratrum et sororum, eorumque ecclesias et domos ab omni iurisdictione, tam ordinariorum quam quorumcunque aliorum etiam legatorum de latere apostolicorum penitus exemptus, subiectusque immediate absque ullo medio soli Romano pontifici, necnon sub patrimonio apostolorum Petri et Pauli, sub eademmet sede apostolica benigne susceptus, a qua etiam plurimis gratiis, favoribus et privilegiis etiam per modum communicationis insignitus existit, ut constat per varias bullas et litteras apostolicas concessionum et confirmationum huiusmodi, videlicet, felicis recordationis Nicolai papae IV, Bonifacii VIII, Benedicti XI, Bonifacii IX, Nicolai III, Pauli III, Clementis VIII ac aliorum summorum pontificum. Et signanter Iulius III inter alia privilegia illi concessa motu proprio concessit, ut quoad omnes superiores, fratres, moniales, sorores, personas, monasteria, domus, ecclesias huiusmodi omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus et gratiis, quibus omnes quorumcumque ordinum mendicantes, etiam minores et de observantia nuncupati ac heremitarum sancti Augustini, carmelitarum, b. Mariae servorum et minorum ac aliorum quorumcumque ordinum, congregationum et confraternitatum, patribus et personis, ecclesiis, monasteriis, domibus, oratoriis et aliis piis locis, eorumque prioribus, fratribus, sororibus, conversis et oblatis, corregiatis, mantellatis ac etiam de poenitentia nuncupatis ac aliis utriusque sexus personis per eosdem praedecessores ac etiam hactenus quomodolibet etiam vivae vocis oraculo concessis et in posterum forsan concedendis uti, frui, potiri et gaudere possit et debeat in omnibus et per omnia, perinde ac si fratrum praedicatorum et aliis sibi commissis ordinibus, eorumque superioribus, fratribus, monialibus, sororibus, personis et monasteriis, domibus, ecclesiis, locis praefatis, specialiter et expresse concessa fuissent, auctoritate et tenore praemissis decrevit, illaque eis et eorum singulis communicavit, ut latius in dicto motu proprio continetur sub die decima iulii 1551. Cum igitur antedictus ordo per viam communicationis et participationis, non solum hactenus, sed etiam perpetuo futuris temporibus utatur et potiatur, prout rev. p. procurator generalis nomine quo supra uti et potiri in praesentiarum intendit privilegiis omnibus, caeteris religionibus concessis, praesertim illis, quae hactenus reperiuntur concessa congregationi beatae Mariae Fuliensis et illius conventibus, personis et ecclesiis, per varias bullas, videlicet, Gregorii XIII, Sixti V, Gregorii XIV, Clemen-

tis VIII et sanctissimi in Christo patris et d. n. d. Pauli divina providentia papae V, qui inter caetera sub certo colore, quod antedicta congregatio beatae Mariae Fuliensis inquietabatur, vexabatur a nonnullorum locorum ordinariis, quia in literis non erat facta specialis mentio exemptionis a iurisdictione locorum ordinarii, ideo ne dubitari de caetero super huiusmodi exemptione contingat, expresse mandat supradictam congregationem beatae Mariae Fuliensis sub quovis quaesito colore seu praetextu ab episcopis, archiepiscopis, praelatis, abbatibus, iudicibus ordinariis, seu delegatis, legatis apostolicis, seu quovis alio nomine nuncupatis, in visitando, gubernando, regendo, praecipiendo, corrigendo aut quemvis alium actum iurisdictionis exercendo, minime molestari inquietarique posse, sed solo Romano pontifici illam et illius conventus, ecclesias, loca et personas subiecit et sub immediatam suam et sedis apostolicae protectionem, regimen, subiectionem, gubernationem et obedientiam recepit, ita quod archiepiscopi, episcopi, ordinarii, vicarii, iudices et officiales praefati, etiam ratione delicti aut contractus vel rei de qua agitur, nullam in eos et eorum aliquem aut monasteria, membra et bona praefata et tamquam prorsus exemptos et exempta, iurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium vel potestatem exercere aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti aut quasvis alias sententias, censuras et poenas ecclesiasticas promulgare praesumere seu possint aut debeant quoquomodo; nec ipsi sic exempti coram illis aut ipsius sedis apostolicae delegatis, nisi in literis eis pro tempore directis de praesentibus specialis et expressa ac de verbo ad verbum mentio fiat, ad iudicium evocari aut quovis modo directe vel indirecte molestari possint, cum clausula irritante ac sublata aliter iudicandi facultate, remoto vitio obreptionis ac intentionis non obstantibus et sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi in articulo mortis a Romano pontifice pro tempore existente absolvi possint. Insuper dictam congregationem et illius bona et personas a solutione decimarum, taleis aut quovis genere exactionis, etiam praetextu cuiusque visitationis aut transitus innovans omnia alia privilegia, exemptiones, et ut latius in dictis literis continetur. Insuper expositum fuit, quod licet alias de anno 1584 die vero 14. mensis martii ad instantiam ordinum mendicantium reverendissimorum patrum dd. superiorum generalium et provincialium et aliorum fratrum ordinum mendicantium, tunc temporis existentium, fuerit expeditum monitorium a bonae memoriae Hieronymo Matthaeio, tunc auditore camerae, per acta Pompei Valerii, curiae causarum camerae apostolicae notarii, ubi enuntiabantur omnia et singula privilegia, immunitates et exemptiones per varias bullas concessa et concessas et illarum vigore contra nonnullos malevolos et invidos et emulos, qui non vere-

bantur perturbare dictos ordines et illorum loca, conventus, ecclesias, attentantes reprobare sensum super eorum privilegiis, confingentes novas declarationes, ideo illis inhibuit sub poena excommunicationis, aliisque poenis in eo contentis, ne audeant loca, conventus, ecclesias, bona et personas perturbare, seu praesumere velle declarare indulta, privilegia, confirmationes in dictis literis contenta nec vexare a solutione decimarum, taleorum ac alterius exactionis, ut latius in eo continetur. Quod quidem monitorium licet in multis locis forsan praesentatum et executum fuerit, tamen non desunt, qui temere audeant velle interpretari privilegia et indulta ac exemptiones apostolicas, licet in illis adsit clausula sublata aliter iudicandi facultate cum decreto irritante, quae claudunt os omnibus, ita quod nemo possit nisi solus pontifex os aperire, necnon usurpare iurisdictionem in suos fratres et eorum bona et occupare forsan bona et cogere indirecte ad solutionem fructuum, decimarum, taleorum ac alterius oneris. Cupiens modo d. procurator praefatus, cum soleat magis specialis provisio quam generalis et memoriae renovatio antiquarum poenarum excommunicationisque comminatae multum prodesse et temere malevolos et parum Dei ac sedis apostolicae auctoritatis timoratos, ut sui muneris est, eadem privilegia, gratias et indulta, quae toti ordini praefato indifferenter concessa extant, illibata omnino ac penitus illaesa in universa praedicatorum familia unanimiter conservari, praesertim cum ad eorum aures devenerit, quod aliqui locorum ordinarii praetendunt contra formam eorumdem privilegiorum et indultorum iurisdictionem contra dictos fratres et sorores exercere, eorumque visitare monasteria et loca dictosque fratres et sorores punire, corrigere et emendare. Alii etiam sunt, qui de reditibus et bonis conventuum fratrum vel monialium praefatorum ac de receptis et expositis eorundem exigere rationem, in maximum dicti ordinis praeiudicium ac literarum apostolicarum praefatarum contemptum praesumant ac attentent; propterea pro eorum parte in exequutionem praefatarum literarum apostolicarum nobis a dicto patre procuratore generali in forma probante exhibitarum de opportuno iuris remedio requisiti, vobis omnibus et singulis et vestrum cuilibet in solidum committimus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus statim visis et receptis praesentibus et postquam praesentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus ex parte nostra, immo vero apostolica auctoritate, inhibeatis et inhibendo expresse praecipiatis et mandetis, prout nos etiam praecipimus et mandamus omnibus et singulis locorum ordinariis, necnon aliis quibuscumque in executione praesentium nominando et cognominando, ne visis et receptis praesentibus, sub quingentorum ducatorum auri in auro locis piis, arbitrio nostro, applicando et pro illis mandati executivi

et in iuris subsidium, quatenus opus sit, quoad reverendissimos dd. episcopos suspensionis a divinis, interdicti ecclesiastici, ingressus ecclesiae; quo vero ad alios excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, audeant seu praesumant, aut eorum aliquis audeat, seu praesumat dictos dd. instantes, eorumque conventus, ecclesias et domos, fratres et sorores contra formam dictarum literarum apostolicarum molestare, vexare vel perturbare aut in eos aliquam iurisdictionem ullo praetextu exercere, seu visitare, punire, corrigere, seu emendare aut de reditibus et bonis conventuum, fratrum vel monialium praefatorum aut receptis et expositis eorumdem aliquam exigere rationem aut quicquam innovare, seu attentare, seu innovata et attentata prosequi in posterum contra formam dictarum literarum apostolicarum, per se sive alium, seu alios, quovis praetextu, quaesito colore vel ingenio; quinimmo moneatis eosdem, quatenus infra sex dierum spatium, quorum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica vobis assignamus et vos assignetis eisdem, sub eisdem sententiis, censuris et poenis debeant et quilibet ipsorum, prout ad eos et eorum quemlibet spectat et pertinet, debeat a quibusvis iactationibus, vexationibus, perturbationibus et impedimentis eisdem dd. instantibus quomodolibet contra formam dictarum literarum apostolicarum et privilegiorum et exemptionum, illatis, factis et praestitis ac fieri et inferri, comminatis ac ab inferendis in futurum destitisse, cessasse et sese abstinuisse, dictisque privilegiis, gratiis, immunitatibus et exemptionibus quibuscumque sibi per dictos summos pontifices concessis uti, frui, potiri et gaudere permisisse ac etiam dictis literis apostolicis et nostris huiusmodi monitorialibus literis in omnibus et per omnia paruisse et obedivisse, deque paritione nos certiorasse. Alioquin praefatos sic monitos, si in praemissis sese fore gravatos senserint, modo et forma praemissis citetis et citare curetis, prout nos etiam citamus eosdem, quatenus sexagesima die post citationem nostram huiusmodi, per vos eisdem factam, immediate sequente, si dies ipsa iuridica fuerit, alioquin prima die iuridica ex tunc proxime futura compareant Romae in iudicio coram nobis sive nostro reverendissimo d. locumtenente, causam sui gravaminis allegaturi aliaque dicturi, facturi et recepturi, prout iustitia suadebit et ordo dictaverit rationis. Certificantes eosdem sic citatos, quod sive in dicto citationis termino, ut praemissum est, comparuerint sive non, nos nihilominus vel r. p. d. locumtenens noster praefatus ad huiusmodi causae decisionem, necnon ad omnes et singulos actus et terminos iudiciales usque ad sententiam diffinitivam inclusive et lite non contestata procedemus sive procedet, iustitia mediante, dictorum citatorum contumacia vel absentia in aliquo non obstante. Et insuper inhibeatis et inhi-

bendo expresse praecipiatis et mandetis, prout nos etiam praecipimus et mandamus omnibus et singulis dd. iudicibus ordinariis, extraordinariis, delegatis et commissariis quibuscumque, necnon omnibus et singulis in executione praesentium nominandis et cognominandis, ne sub eisdem censuris et poenis audeant seu praesumant, aut eorum aliquis audeat seu praesumat dictos instantes super praemissis molestare, vexare et perturbare aut in iudicium trahere, quam coram nobis vel nostro in civilibus locumtenente, quovis praetextu, quaesito colore vel ingenio. Quod si secus fiat, ultra poenarum praedictarum incursus, id omne revocabimus, iustitia mediante. Absolutionem vero omnium et singulorum praemissorum nobis vel superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum fidem has praesentes fieri et per infrascriptum curiae nostrae notarium subscribi, sigillique reverendae camerae apostolicae, quo in talibus utimur, iussimus et fecimus appensione muniri. Datum Romae ex aedibus nostris anno Domini millesimo sexcentesimo duodecimo, indictione decima, die vero undecima octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et d. n. d. Pauli divina providentia papae V. anno eius octavo.

Io. Dominicus Spinula auditor.

Antimus Palmerius cur. causarum
camerae apost. notarius.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS BONONIAE IN CONVENTU S. DOMINICI ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES VII. MENSIS IUNII MDCXV.

Sub reverendissimo p. fr. Seraphino Sicco Papiensi, sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus admodum reverendis patribus diffinitoribus, nempe:

fr. Ioanne de Berrio praesentato diffinitore Hispaniae,
fr. Ioanne Rabeau magistro diffinitore Tholosano,
fr. Paulo de Garexio magistro inquisitore Bononiensi diffinitore utriusque Lombardiae,
fr. Thoma Marguttino magistro diffinitore Romano,
fr. Seraphino de Nuceria magistro diffinitore Regni,

fr. Ioanne Ulderico Goetzonis magistro diffinitore Theutoniae,
fr. Andrea Radavisio magistro diffinitore Poloniae,
fr. Thoma Marino magistro diffinitore Terrae Sanctae,
fr. Benedicto Torrente magistro diffinitore Aragoniae,
fr. Petro Paulo Passerono magistro diffinitore provinciae Provinciae,
fr. Sixto de Brachia magistro diffinitore Dalmatiae,
fr. Vincentio Giancardo magistro diffinitore Siciliae,
fr. Antonio Ribera praedicatore generali diffinitore Portugalliae,
fr. Dominico Cano magistro diffinitore Bethicae,
fr. Ioanne Bocquetio magistro diffinitore Germaniae inferioris,
fr. Stephano de Vico magistro diffinitore sancti Thomae,
fr. Silvestro Zagaresio magistro diffinitore Calabriae,
fr. Dominico de Canto magistro diffinitore s. Vincentii de Chiapa,
fr. Michaele Roias predicatore generali diffinitore s. Antonini de Novo Regno,
fr. Iosepho Bourgognon magistro inquisitore Carcassonensi diffinitore Occitano,
fr. Hieronymo Avanzio magistro diffinitore s. Dominici,
fr. Andrea Azevedo predicatore generali diffinitore s. Hippolyti martyris de Oaxaca,
fr. Faustino de Mediolano magistro diffinitore s. Petri martyris,
fr. Antonio de Caramanico magistro diffinitore Aprutino,
fr. Ambrosio Virendowio magistro diffinitore Russiae.

Fr. Seraphinus Siccus Papiensis
sacrae theologiae professor ac totius ordinis praedicatorum
humilis magister generalis et servus
omnibus eiusdem ordinis patribus ac fratribus
salutem in Domino.

Non est abbreviata manus Domini neque miraculorum continuatione fatigata, sed ut mirabilia audivimus facta ab initio in institutione ordinis et patres nostri annuntiaverunt nobis, cum sanctissimus patriarca noster s. Dominicus exigua manu primorum patrum, haereses debellandas suscepit et turbato orbi et ecclesiae pacem miraculis et praedicatione confirmavit, ita etiam non paucos his temporibus ordinis nostri patres et fratres esse voluit, in quibus ob eximiam, quam profitentur et vitae et doctrinae puritatem, ordo noster nihil plane sui splendoris fluxu temporum amisisse, sed plurimum sibi de novo conciliasse comprobetur, unde nobis, quibus praefati ordinis regimen creditum fuit, non mediocris spi-

ritualis gaudii occasio orta est et laetitiae. Verum quoniam ea rerum humanarum conditio est, ut nisi continuis adiumentis sustentetur, sponte in peius fluat, hinc factum est, ut patres nostri huius conditionis non immemores, praeter illam, quam profitebantur vitae sanctimoniam et charitatem, quae vinculum est perfectionis, quo compages huius mistici corporis in obsequium Christi connectuntur, legibus etiam nobis traditis sanxerunt, ut eandem in Christo unionem comitiis generalibus convocatis et nobis ipsis et fidelibus testaremur; ut scilicet unanimi in spiritu sancto consensu, firma tueremur, nutantia stabiliremus, dissoluta uniremus, labentia fulciremur et, si quae pro humana fragilitate fluxerint, legibus ac decretis saluberrimis revocaremus. Quae necessitas, etsi nobis hoc tempore per Dei gratiam admodum non incumbat, quo nostrum ordinem toto orbe propagari et proficuos in ecclesia sancta Dei pietatis et doctrinae fructus facere, viros etiam scientia et virtutibus insignitos maioribus nostris addi perspicimus, opus tamen charitatis fuit in eodem non consistere, sed ulterius progredi, donec bravium immortalitatis assequamur. Quare summopere vobis, patres, fratres ac filii in Christo charissimi, satagendum est, ut nedum ab incepto opere non desistatis, sed ardentiori desiderio ad maiorem vitae perfectionem anheletis. Quod futurum speramus, si has quas vobis leges praescribimus, ut a spiritu charitatis dictatas diligentissime custodiatis; sic enim vos et summi patris, qui in caelis est, et sanctissimi institutoris nostri d. Dominici veros filios esse probabitis et transmissum ad vos ordinis decus nedum, ut facitis, tuerimini, verum etiam consortes tot sanctissimorum procerum, qui nedum ordinem nostrum, sed etiam ecclesiam totam sua sanctitate et doctrina illustrarunt, amplificabitis. Quam spem promptus vester ad obedientiam et praelatorum vestrorum observantiam animus nobis conciliat, quam spero etiam vos alacri in omne, quod bonum et sanctum est, propensione superaturos, ut in vobis semper caelestium benedictionum et gratiarum cumulus augeatur, donec crescatis in viros perfectos, praemium in caelis a Domino suscepturi.

Valete.

Acta capituli generalis Bononiae in conventu s. Dominici ordinis praedicatorum celebrati, in festo sanctissimae Pentecostes, die 7. iunii 1615, sub reverendissimo p. fr. Seraphino Sicco Papien., sacrae theologiae professore et magistro generali totius ordinis praedicatorum.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beatae Mariae semper virginis et beati patris nostri s. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Ordinationes.

1. Praecipimus omnibus conventuum nostrorum et provinciarum praesidentibus, ut singulis septimanis sacrosancti eucharistiae sacramenti formae seu particulae, etiam illae, quae secularibus porrigi solent, qua par est reverentia, inspectione ac munditia, prout tantum sacramentum decet, renoventur. Quoties autem sacerdos ad thurificandum altaria cappa seu pluviali indutus procedit, stolam deferat.

2. Statuimus, ut festum Circumcisionis et sanctissimi Nominis Iesu Christi, salvatoris nostri, sub toto duplici celebretur.

3. Pro singulari autem ordinis nostri erga beatam Virginem eiusdem ordinis patronam devotione et ut pro innumeris ab eiusdem virgineis manibus acceptis beneficiis aliquales gratias rependamus, et his praesertim calamitosissimis temporibus ordo noster ipsius patrocinio protegatur, cuius singulari favore ac beneficio partus est, volumus et ordinamus, ut in omnibus nostri ordinis conventibus, locis, domibus ac monasteriis monialium eiusdem Deiparae Virginis litaniae singulis diebus sabbathi, prout in multis nostri ordinis conventibus pie fieri consuevit, post « Salve Regina » decantentur; item ut octavae solemnes festi sanctissimi Rosarii mense octobri celebrentur, ita tamen ut memoria de angelis non praetermittatur; et ut iuxta maioris partis nostrarum provinciarum piam consuetudinem, quotiescumque antiphona « Sub tuum praesidium » in choro dicitur, per totam antiphonam fratres nostri et sorores genua flectant.

4. Unanimi nostrum voto pro omnibus nostris provinciis statuimus, ut festum de angelo custode sub toto duplici, officio beatae Virginis Mariae non praetermisso, singulis annis celebretur. Item sancti Caroli Borromei festum 4. novembris volumus a fratribus nostris et sororibus sub toto duplici celebrari.

5. Ne, dum nimium secularium devotioni indulgemus, inordinatus a nobis cultus Deo optimo maximo reddatur, cum praesertim paupertatis et instituti nostri memores esse debeamus, utpote divina officia ex praescripto nostrarum constitutionum, cantu chorali breviter et succincte, pro qualitate tamen et varietate solemnitatum, taliter persolvantur, ne

fratres devotionem amittant aut eorum studium impediatur, districte praecipimus, conscientiam praelatorum aggravantes, ut musicae in ecclesiis nostris moderatissimae fiant, neque liceat eisdem musicis, seriem nostri officii, contra praescriptum ordinarii nostri, truncare vel immutare.

6. Cum domum Dei deceat sanctitudo ac inde nedum prophana, sed etiam religiosa spectacula sive repraesentationes arcendae sint, praesertim cum pio illi loco, qui domus orationis est, minime congruant, idcirco ab ecclesiis et cimiteriis nostris sub poena gravioris culpae tam praelatis quam subditis eliminanda praecipimus, quacumque in contrarium consuetudine, quae potius abusus est, non obstante.

7. Cum aliquae nostri ordinis provinciae ex facili receptione iuventutis ad habitum gravissimum detrimentum patiantur, ideo ordinamus, ut recipiendorum ad habitum clericalem tum ad probationis annum tum ad professionem a designatis iuxta constitutiones nostras examinatoribus coram patrum concilio examen fiat. Volumus etiam, ut simili coram patribus praevio examine fratres conversi ad professionem recipiantur et non admittantur, nisi fuerint in fide christiana et officio, pro eorum debita sufficientia, instructi, in quo praesidentium et examinatorum ac reliquorum patrum conscientias aggravamus.

8. Ubi est consuetudo recipiendorum tertiariorum statuimus, ut nullus ad habitum conversorum recipiatur, nisi prius per annos duos in habitu tertiarii conventui inservierit, ut sic spiritus atque vires, quibus praecipue in fratribus conversis ordo noster opus habet, probentur. Ubi vero consuetudo non est recipiendi tertiarios, ordinamus, ut recepti ad habitum conversorum primo duobus annis integris habitum conversorum deferant, quo biennio eorum vires et obsequia videantur et probentur, an idonei sint ad labores. Deinde vero post biennium annus tertius in eodem habitu pro probatione illis assignetur, ita quod si bene, ut par est, se gesserint, ad professionem post tertium annum recipiantur.

9. Quoniam interdum ex ordine nostro ad alios ordines, non matura inspectione praemissa, ab aliquibus nostris fratribus facilem transitum fieri comperimus, unde post brevem lapsum temporis eosdem ad ordinem nostrum redire procurantes et instantissime petentes ex fraterna pietate et charitate recipere compellimur; idcirco decernimus et declaramus, ut, si quis fratrum nostrorum ex nostro ordine in alium commigraverit et denuo eo relicto ad ordinem nostrum rediens receptus fuerit, a tempore, quo revertitur ad nostrum ordinem, numerus annorum et antiquitas ratione loci illi computentur.

10. Nullus religiosus in alio ordine professus ad nostrum ordinem sine speciali magistri ordinis licentia recipiatur.

11. Hortamur omnes fratres ordinis nostri, quatenus in deferendo

religioso habitu sint uniformes, et volumus, ut omnes patres et fratres ordinis nostri, cuiuscunque gradus et conditionis existant, translati vel assignati ad aliquas provincias deferant habitum more illarum provinciarum, Roma excepta.

12. Nullus prior, propriae civitatis quacunque ecclesia excepta, possit in Adventu et Quadragesima vel quocunque tempore durationis notabilis conciones habere, nisi forte id in sublevationem suae communitatis vel alia urgenti causa hoc illi faciendum sit, quod tamen nonnisi de licentia speciali provincialis fiat.

13. Nullus omnino provincialium inconsulto magistro ordinis contributiones pro sui officii usu et necessitatibus in provincia augere valeat. Expensas vero extraordinarias pro communi bono provinciae de consilio capituli provincialis aut patrum provinciae id est magistrorum provinciae et eorum qui fuerunt provinciales, constituere poterit.

14. Mandamus omnibus pp. provincialibus, prioribus ac praesidentibus nostrorum conventuum et locorum, ut diligenter invigilent, quatenus sacristae in omnibus conventibus patrum et fratrum ordinis nostri, imo et secularium sepultorum sive in ecclesia sive in claustris nomina, loca et tempora in certo libro ad hoc praeparato describant.

15. Quia multa privilegia nostro ordini eiusque provinciis a summis pontificibus conceduntur et singularia pro iisdem provinciis a magistris ordinis per necessaria praescribuntur, ut huiusmodi litterae vel apostolicae vel magistrorum ordinis perpetuo conserventur, mandamus omnibus pp. provincialibus, quatenus de concilio patrum suarum provinciarum, prout necessitas exposcet, unum vel duos conventus primarios pro huiusmodi litteris conservandis designent, in quibus conventibus omnes provinciales, finem suis officiis imponentes, de scitu patrum provinciae tales litteras reponere tenebuntur.

16. Quia multae subtilitates in ordine nostro circa electiones canonicas minus religiosae inveniuntur, idcirco omnibus patribus, fratribus ac sororibus nostri ordinis sub formali praecepto et poena excommunicationis latae sententiae praecipimus, ut in omnibus electionibus canonicis nullus electorum audeat schedulas, quibus electiones huiusmodi perturbantur, multiplicare.

17. Ad expensas in provinciis nostris et alia varia inconvenientia evitanda ordinamus, ut electionis provincialium scrutinia ad reverendissimum magistrum generalem per tabellarios aut fratres conversos sive tertiarios mittantur. Si vero aliquando per patres graviores ex causa urgentissima huiusmodi scrutinia mittere necessum fuerit, hoc arbitrio reverendissimi magistri ordinis probandum vel improbandum relinquimus. Caveant autem patres aut fratres provinciarum nostrarum, ne facile sese

electionibus provincialium opponant aut protestationes de invaliditate earum electionum faciant, alioquin pro suis ausibus temerariis a reverendissimo magistro ordinis gravissime puniantur.

Denuntiationes.

Denuntiamus a ss. d. n. Paulo papa V. nuperrime emanatum decretum, ne fratres nostri ad Urbem absque speciali licentia magistri ordinis accedere audeant sub poenis in consimilibus decretis aliorum summorum pontificum contentis.

Denuntiamus potentissimum ac invictissimum regem catholicum Philippum III., nunc feliciter regnantem, pro sua singulari erga ordinem nostrum benevolentia, ad supremos sanctae inquisitionis senatus in regnis suis Hispaniarum, Matriti videlicet et Ulixiponae, duos ex ordine nostro fratres inquisitores generales perpetuo futuros assumpsisse.

Confirmationes.

1. Confirmamus illam iam in multis capitulis generalibus sancitam ordinationem, ut videlicet in diebus coena Domini et parasceves ante sepulchrum, ubi sacratissimum Christi corpus asservatur, a nostris fratribus cum devotione et religiosa gravitate vigiliae fiant; quod et fieri ac diligentissime observari volumus, quoties sanctissimum eucharistiae sacramentum publice adorandum proponitur.

2. Confirmamus et stricte observari volumus ordinationes in capitulis generalibus Romano 1571 et Barchinonensi 1574 factas, ut publice a solis sacerdotibus conciones habeantur.

3. Confirmamus et renovamus ordinationem Romae factam 1612 et sub poenis in eodem capitulo taxatis praecipimus omnibus et singulis nostri ordinis patribus ac fratribus, ut nemo sive per se sive per alium, sive secularis sive nostri ordinis frater ille fuerit et cuiuscumque gradus aut conditionis existat, in curia Romana quicquam sine scitu reverendi admodum patris procuratoris ordinis tractare vel procurare audeat.

4. Confirmamus saepius factas ordinationes, ut scripta omnia virorum illustrium defunctorum omnes provinciales in suis provinciis vel praelo mandent vel certe, si id fieri nequit, charactere bono describi et in librariis reponi curent.

5. Confirmamus ordinationem illam Vallisoletanam de lectoribus actu legentibus, ne relicto suo munere, concionatorum officio in quadragesima fungantur; quod si hoc ex causa rationabili per provincialem alicui lectori concessum sit, volumus et ordinamus, ut non ipse lector, sed provincialis lectorem alium, qui eius vices gerat durante absentia praedicti lectoris, substituat. Alias si id fieri non potest, ut alius lector pro eo tempore habeatur, talis lector concionibus vacare non poterit, provinciis desolatis dumtaxat exceptis.

6. Confirmamus et, quatenus opus est, ea omnia quae nuperrime in capitulo generali Romano proxime praeterito 1612 confirmatione secunda de graduatis, promotis et in posterum promovendis statuta sunt, renovamus.

7. Confirmamus et omnino observari volumus ordinationem in praecedentibus capitulis generalibus factam et confirmatam, ut novitii maneant in domo novitiorum sub cura magistri usque ad sacerdotium, quacumque consuetudine in contrarium non obstante.

8. Confirmamus ordinationes in capitulis Bononiae 1564, Barchinonae 1574 et Romae 1589 factas, ut nullus conversorum ad habitum clericalem recipiatur. Quod si aliquis vel per se vel per alium sibi habitum clerici dari procuraverit et de eo convictus fuerit, scapulari per sex menses privetur, conventumque per annum pro carcere habeat.

9. Confirmamus ordinationem factam in capitulo Parisiensi 1611, ut fratres ratione studii non mittantur extra ordinem; quam ordinationem inviolabiliter sub poena absolutionis ab officio ab omnibus provincialibus et prioribus in cunctis provinciis ordinis observari volumus, praecipientes eisdem praelatis sub praedicta poena, ut si qui fratres scholas aut gimnasia extra ordinem nunc frequentant, statim postquam ad notitiam provincialium praesens ordinatio venerit, omnes et singulos revocent, nullusque prior, ullo praetextu aut quaesito colore, aliquem ex illis in dictis scholis aut gimnasiis detinere valeat.

Pro reformatione studiorum.

Quoniam ad salutem animarum, quae nostri sacri instituti praecipuus finis est, procurandam assidua litterarum studia necessaria sunt, quibus ea sacrarum litterarum peritia comparatur, qua nedum ad faciendum, sed etiam ad docendum idonei reddimur, idcirco patres et fratres nostri ordinis universos, qui tam ad theologica et philosophica studia incumbunt, quam aliis docendis ac formandis designantur, districte monemus et in Domino hortamur, ut assiduo labore ac diligentia in eisdem proficere, discipulorumque profectum in dies augere contendant. Quapropter, ut et muneri nostro, iure quodam haereditario ex sanctissimorum patrum nostrorum in nos promanante, pro nostra vocatione respondeamus, et angelica s. Thomae doctrina quasi lucerna super candelabrum omnibus in ecclesia sancta Dei existentibus illucescat, ne ordinis nostri alumnos ad rivulos peregrinarum doctrinarum, praetermisso aquae vivae, hoc est eiusdem angelicae sanctissimi praeceptoris doctrinae fonte, divertere contingat, idcirco

Ordinamus, prout in aliis capitulis generalibus saepe decretum fuit, et omnibus regentibus, baccalaureis, magistris studentium et lectoribus nostri ordinis sub poena privationis vocis activae et passivae et omnium

officiorum, graduum ac inhabilitationis perpetuae ad omnes gradus suscipiendos praecipimus, ut doctrinam s. Thomae in scholis omnibus sive universitatibus saecularium sive nostri ordinis doceant, defendant atque secundum auctorum nostrorum, qui vere Thomistae sunt, sensum, sententiam et loquendi modum, in ipsorum commentariis expressum, explicatam proponant et interpretentur.

Quia vero in dies quamplurimi doctrinae s. Thomae commentatores prodeunt, ita ut infinita pene mole librorum veritas ipsa et sincera eius doctrina offuscari videatur, idcirco ne tanta inutilium quaestionum varietate discipulorum ingenia confundantur, omnibus lectoribus et studiorum moderatoribus sub praedictis poenis mandamus, ut varietate auctorum relicta, in philosophicis quidem Aristotelem, eius textum commentariis patrum nostri ordinis explicando, in theologicis vero doctrinam sancti Thomae, ut est in littera, singulariter, specifice et expresse, nedum quantum ad ipsam substantiam, sed etiam quantum ad verba exactissime proponant, explicent, doceant et defendant tam in publicis quam in privatis disputationibus, repetitionibus aliisque scholasticis exercitiis, ita ut, si fieri possit, textum s. Thomae integrum memoriae commendent et eiusdem loquendi modo, stilo ac verbis assuefiant. Insuper commentaria illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis Caietani proponant, doceant et explicent. Si quas vero controversias, praesertim contra modernos doctrinae s. Thomae impugnatores interserere voluerint, studeant, ut haec tantummodo, maturo iudicio descripta, breviter legenda proponant, ita ut integri tractatus seu materiae theologicae et non truncatae, propter nimis in longum protractas praefatas controversias, discipulis praelegantur.

Praecipimus autem pp. provincialibus sub poena absolutionis ab eorum officiis, ut summa cura invigilent, quatenus hae nostrae sanctiones executioni mandentur. Praecipientes sub praedictis poenis, ut coram ipsis provincialibus vel eorum visitatoribus singulis annis in ipsorum visitationibus omnes studentes et discipuli tam artium quam sacrae theologiae a moderatoribus studiorum et eorum lectoribus in litteris examinentur; quod si aliquos otiosos aut non proficientes invenerint, eos pro arbitrio aut necessitate provinciae ad alia munera religionis destinent et alios loco eorum ad studium mittant.

Decernimus, ut omnes lectores in praelegendis lectionibus a festo s. Crucis usque ad festum s. Mariae Magdalenae vel s. Ioannis Baptistae ad minus perseverent; praelectioni vero singulis diebus horae unius et repetitioni seu conferentiae alterius horae tempus praescribimus, ita tamen ut aliae ordinariae disputationes non praetermittantur.

Quia vero, dum brevitati nimiae quidam student, obscuri discipulis

fiunt vel etiam aliqui, dum nimiam claritatem affectant, prolixitate ingenia discipulorum retinent et confundunt, statuimus, ut lectores artium seu philosophiae nec breviore quam trium nec etiam ampliore quam annorum quatuor tempore in perficiendo cursu artium durent.

Novimus peroptime, quantam iacturam ingenia fratrum nostrorum patiantur ex eo, quod absque ordine et, ut aiunt, per saltum, absque studio philosophiae ad theologiam transeunt, ideo statuimus et sub praedictis poenis mandamus, ut nulla ratione fratres nostri, etiam sacerdotes, ad studium theologicum admittantur, nisi primo perfecte toti philosophiae superius a nobis praefixo tempore operam dederint; neque studentes tam artium quam eiusdem sacrae theologiae in aliis externis provinciis ad lectiones admittantur, nisi a suis lectoribus, quorum primo erant discipuli, de moribus et qualitate studiorum in scripto testimonium habeant.

Ordinamus singulariter pro provinciis Italiae, ut ab eorum provincialibus aliqui conventus deputentur, in quibus sacrae scripturae studium et in praedicationibus fratrum exercitium, dirigentibus ad ipsum aliquibus patribus eruditis, habeatur. Ad quos quidem conventus fratres ex aliis provinciis Italiae mitti poterunt, ita tamen ut eisdem conventibus expensas a reverendissimo magistro ordinis taxandas conventus, quorum praedicti fratres sunt filii, suppeditent. Quod si in aliquibus provinciis Italiae id non ita commode servari possit, arbitrio reverendissimi magistri ordinis committimus. Et iam de facto in provincia nostra utriusque Lombardiae ad petitionem ipsius pro studio praedicationis duos conventus nostros, Neapoli videlicet s. Catharinae de Formello et Mediolani s. Mariae Gratiarum, deputamus.

Ordinamus, ut regentes, baccalaurei, magistri studentium, ceterique lectores actuales, unica tantum eundi ad capitulum provinciale, quando vocales fuerint vel pro publicis disputationibus aut concionibus in eodem capitulo habendis, occasione excepta, studii sui et lecturae curam per aliquod spatium temporis notabile, ut puta per mensem, sub poena privationis officiorum suorum non deserant; monemus autem patres provinciales, ut nonnisi ex gravissimis causis tam priores quam lectores eorumque discipulos a suis conventibus abesse permittant. Assignationes autem patrum ac fratrum, praecipue discipulorum, raro et ex gravi causa faciant; providentes cum eas fecerint, ut discipuli in conventibus, in quibus de novo fuerint assignati incaepta iam studia prosequi possint et lectiones sibi competentes habeant; fratribus autem, praesertim adolescentioribus ad parentes sive cognatos eundi sive apud eosdem permanendi, potissime ubi conventus nostri non sunt, facultatem, gravissima causa excepta et de consilio patrum, non concedant. Iis autem, qui-

bus huiusmodi licentiae concessae fuerint, et idonei socii deputentur et tempus opportunum, intra quod ad suos conventus rediisse teneantur, ut saepius ordinatum est, praefigatur.

Quia iam, experientia teste, nimia moderatorum indulgentia ex studiis nostris generalibus in dies lectores quidam magno cum gravamine provinciarum inepti prodeunt, ideo statuimus et omnibus moderatoribus, atque pro more provinciarum examinatoribus studiorum generalium et collegiorum nostrorum in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda praecipimus, ut tam in studentes quam in lectores, omni alio respectu postposito, nonnisi dignos dictante conscientia in examinibus admittant, indignos autem repellant.

Deinde vero, quoniam in diffinitorio generalis capituli plurimae quaestiones scrupulosae circa requisita promovendorum ad gradum baccalaureatus et magisterii oriuntur, ita ut etiam et proponentes diffinitores capituli generalis, et admittentes in generali diffinitorio, merito pavore vel quaerelarum, si propositi non promoveantur, vel conscientiae, si indigni praemiis donarentur, perhorrescant, idcirco huiusmodi difficultates amputare volentes, praecipimus patribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, ut in suis petitionibus omnium promovendorum aetatem, mores religiosos, eruditionem, lecturae et meritorum qualitatem et quantitatem temporis lecturae ac studiorum exprimant, ut saepius ordinatum est.

Quoniam vero graduum provisiones ex petitionibus provinciarum, ut plurimum, consurgunt, idcirco sub praecepto formali et poena excommunicationis latae sententiae patribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium et omnibus, a quibus pro more provinciarum magistri, regentes, baccalaurei, tam ordinarii quam extraordinarii, sive praesentati et praedicatores generales postulari debent, praecipimus, ut nonnisi dignos ad praedictos gradus et officia reverendissimo magistro ordinis vel capitulo generali proponant.

Quoniam autem in ordine nostro magna dignitas est magisterium in sacra theologia neque ea aliquis donari debet, nisi sit insignis virtutibus atque meritis, ideo, ne praemiis indigni donentur, statuimus ac praecipimus omnibus examinatoribus tam magistrorum quam baccalaureorum seu praesentatorum sub praedicto formali praecepto et poena excommunicationis latae sententiae, ut neminem nisi idoneum et tali munere dignum iuxta constitutiones nostras approbare audeant.

Ne vero ob dictarum legum ignorantiam examinatores in errorem labi contingat, statuimus et strictissime observari volumus, ut quando examen huiusmodi vel studentium vel lectorum, magistrorum vel baccalau-

reorum peragendum est, vel petitiones aut expositiones faciendae ad praedictos gradus, huiusmodi ordinationes, audientibus ipsis examinatoribus, examinandis et iis, qui praedictas petitiones aut expositiones facere debebunt, publice prius perlegantur.

Bibliothecae in omnibus nostris conventibus alicui ex gravibus patribus committantur, pro quibus secundum possibilitatem taxandam per capitula provincialia libros emere, praesertim auctorum nostri ordinis tam antiquiorum quam recentiorum, ipsi conventus tenebuntur.

Mandamus omnibus provincialibus, praecipue in regnis Hispaniarum, ut selectis aliquibus patribus doctioribus committant, quatenus libros theologiae scholasticae, moralis et sacrae scripturae scribant, et emendatos ad proxime futurum capitulum generale probandos mittant. Pro huiusmodi autem labore praedicti patres designati socios sibi, a quibus iuventur, doctos eligere poterunt, quos illis provinciales et priores concedere tenebuntur.

Exposcit partim ordinis nostri gravitas partim et ipsum munus, ut non liceat cuique in publicis actibus disputationum theologicarum ex cathedris determinationes et decisiones facere; quare volumus, ut in posterum nemo, qui non sit in theologia magister, in capitulis generalibus sine speciali licentia reverendissimi magistri generalis ordinis disputationibus praeesse possit.

Concessiones.

Concedimus omnibus nostri ordinis sororibus, ut in matutinis precibus lectionem, quae in praetiosa recitari solet, de constitutionibus, quae earum sunt propriae, desumant et habeant; quatenus ea, quae pro earum religiosa vocatione observare oportet, in auribus earundem perpetuo versentur.

Admonitiones.

1. Admonemus rr. admodum patres provinciales, ut nonnisi ob causas gravissimas in litteris cum praescripto tempore expressas et cum socio competenti fratribus suarum provinciarum in alias provincias licentiam eundi concedant.

2. In appellationibus fratrum, si quas fieri contigerit, statuta Sixti papae V., quae in actis capitulorum generalium extant, diligenter attendi et observari volumus et ordinamus.

3. Ut electiones canonicae in ordine nostro iuxta sacri concilii Tridentini et constitutionum nostrarum praescriptum liberae sint et, nullo incusso vocalibus metu, in sanctitate et iustitia perficiantur, idcirco patres ac fratres ordinis nostri universos monemus, ne alii alios, sub poenis in constitutionibus nostris taxatis, ad praedictas electiones quavis arte inducant. Ipsisque ad memoriam revocamus ea, quae in Decret. lib. 6.

capite « Sciant cuncti » habentur, cuius verba sunt, quae sequuntur: Sciant cuncti, qui eos, ad quos spectat electio, pro eo quod rogati vel inducti eum, pro quo rogabant vel inducebant, eligere noluerunt, spoliant vel iniuste persequuntur, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt.

Commissiones.

Committimus reverendissimo patri magistro nostro generali, ut privilegia ordini nostro concessa in unum volumen compilari curet, et si quae revocata sunt, supplicet nomine totius nostrae religionis ss. d. n., quatenus iterum pro sua pastorali pietate et paterna liberalitate omnia nostra privilegia approbare dignetur et ea declarare, quibus concilium Tridentinum derogare videtur. Eundem autem reverendissimum magistrum ordinis obnixe rogamus nomine omnium provinciarum nostrarum, ut librum constitutionum, chronicae et privilegiorum ordinis nostri, quantotius fieri possit, praelo mandari curet.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut supplicet ss. d. n., quatenus omnibus nostri ordinis fratribus de b. Alberto magno, in provincia autem Poloniae et conventibus Silesiae de b. Ceslao socio s. Hiacinthi officium recitare liceat. Committimusque eidem reverendissimo magistro ordinis, ut prosequendae canonizationis beati Ambrosii Senensis et b. Ludovici Beltrandi ordinis nostri curam habeat.

Committimus eidem etiam reverendissimo magistro nostro generali, ut in provinciis nostris Franciae et Gallicana congregatione ad reformationem vitae regularis et nostrarum constitutionum rigorosam observantiam conventum unum vel plures designet. Reliqua denique, ut pater et pastor, in eisdem provinciis et congregationibus, quae religioni esse utilia iudicabit, agat et disponat, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Singularem autem curam habeat reformationis iam inchoatae conventus nostri Avenionensis provinciae nostrae Occitanae, iuxta tenorem primarum litterarum patentium suae reverendissimae paternitatis sub datis Viterbii die prima ianuarii 1614 in conventu nostro s. Mariae ad gradus, quas litteras patentes hic pro insertis haberi volumus, ac si de verbo ad verbum insererentur, quibuscumque aliis in contrarium non obstantibus.

Committimus reverendissimo magistro nostro generali, ut pro recenti conventu Parisiensi sanctae Mariae Annuntiatae, congregationis reformatae Occitanae petat quam instantissime a ss. d. n., quatenus b. Reginaldi Aurelianensis decani ordinis nostri, notissimae sanctitatis viri venerabile corpus, quod hactenus in ecclesia monialium Carmelitarum recenter fundatarum depositum reperitur, praedicto nostro conventui restituatur.

Committimus conventum nostrum oppidi Guardiae in Calabria, a praesenti nostro capitulo generali acceptatum, curae immediatae reverendissimi magistri ordinis ex verbo iam cum sanctissimo d. n. habito.

Committimus reverendo patri magistro fratri Archangelo de Ripalta, nostrae provinciae utriusque Lombardiae, ut constitutionum lectiones in praetiosa a sororibus nostri ordinis recitandas methodo meliori, quo poterit, distribuat et praelo mandari curet.

In provincia Hispaniae.

Concedimus sororibus nostri ordinis conventus s. Dominici regalis oppidi Matriti, ut festum sancti Benedicti sub toto duplici celebrare possint.

Item concedimus omnibus fratribus conventus nostri s. Mariae de Atocha dicti oppidi Matriti, ut in festo s. Gabrielis Archangeli officium beatissimae virginis Mariae, quod eodem die dicere tenentur, in capitulo seu aliquo oratorio recitare valeant.

Concedimus patribus lectoribus conventus et studii nostri generalis sancti Thomae Abulensis, ut ibidem gradus pro more illius universitatis iuxta formam eiusdem suscipere possint, quatenus eidem universitati incorporati, privilegiis eiusdem gaudere et gradus quoscumque similes in eadem universitate aliis conferre valeant; ad quos quidem gradus suscipiendos destinamus quatuor patres, in eodem conventu pro tempore degentes, videlicet duos lectores theologiae, magistrum studentium et pro quarto aliquem patrem, gradum in nostro ordine habentem, hac tamen lege, quod si sint duo aut plures dicti conventus patres graduati, illi qui iam in provincia sunt acceptati, aliis praeferri debent; et si multi fuerint, qui iam in provincia privilegiis gaudeant, ex illis antiquior ad huiusmodi gradus conferendos assumatur. Quod si nulli ex graduatis inveniantur, aliquis ex patribus doctioribus dicti conventus, qui officio lectoris functus fuerit, a priore de consilio lectorum et magistri studentium eligatur. Approbamus insuper omnes gradus hactenus a fratribus nostris in eadem universitate Abulensi susceptos, declarantes, quod nullus ex tali promotione privilegiis vel titulis in ordine nostro gaudere potest.

Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Laurentium Guttieres (1) praesentatum et in universitate Complutensi s. th. publicum professorem. Ad praesentaturam vero rr. pp. fr. Ioannem de Berrio huius generalis capituli diffinitorem, qui defensis pro eadem provincia Hispaniae conclusionibus perdocte praefuit, p. fr. Ludovicum Iordan, qui in hoc eodem generali capitulo publicas conclusiones pro eademmet provincia egregie defendit, fr. Didacum de la Fuente, fr. Laurentium de Palentia et fr. Ambrosium de sancto Stephano, salvis tamen illius provinciae iuribus.

Tolosana.

Decernimus ad petitionem provinciae Tolosanae conformiter ad alia multa capitula generalia, ut in ipsa provincia Tolosana sint aliqui

---

(1) De fr. Laurentio Guttieres cf. SSOP. II, 450.

conventus, in quibus observantia regularis exacte et ad unguem observetur iuxta tenorem sacrarum nostrarum constitutionum, et ad hunc effectum destinamus conventum nostrum Burdegalensem; et idcirco auctoritate apostolica in favorem sanctae reformationis nobis concessa absolvimus sive liberamus ab onere prioratus eiusdem conventus Burdegalensis rev. p. magistrum fr. Guilliermum Sicreum et in praedicto conventu eadem auctoritate damus in priorem rev. p. magistrum fr. Petrum Dumy congregationis nostrae Gallicanae, iniungentes ei in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, tum ut dictum prioratum Burdegalensem acceptet pro exacta reformatione ibi instituenda, tum etiam ut nullatenus pro eo conventu a provincia nostra Tolosana eximendo sive separando tractet; concedentes ei, ut omnes religiosos provinciae Tolosanae in congregatione Occitana degentes Burdegalam perducat.

Declaramus institutionem rev. p. fr. Antonii Chaumel in priorem s. Severi nullam fuisse et religiosos ob eius electionem voce privatos esse pro hac vice tantum, cum ex capitulo generali Romano 1608 et Parisiensi 1611 non possint duo fratres germani esse in uno eodemque conventu immediate priores, instituimusque in priorem eiusdem conventus rev. p. fr. Guilliermum Sicreum magistrum cum omni auctoritate et potestate consueta.

Ordinamus, ut omnes novitii totius provinciae mittantur ad unum ex his conventibus propinquiorem, nempe Bayonensem et Ruthenensem, in quibus et religioni et studiis vacent, ita quod nulli alteri conventui, praeter Burdegalensem et duos praedictos, novitios sive simplices sive professos detinere liceat; sed cum primum ad habitum aliquem receperint, quod omnibus licebit etiam Brivensi, ad praefatos conventus eos mittant; collegio tamen Brivensi et Felletinensi concedimus, ut suos novitios, professos tantum, in litteris instruendos teneant.

Ordinamus, ut conventus Brageracensis readificetur, ad hunc effectum applicantes omnes et quoscunque eius futuros necnon praesentis anni proventus. Ex reditibus vero praeteritis, quorum rationem exactissimam reddet rev. p. fr. Petrus Bault coram provinciae praesidente et patribus, qui provincialatus officio functi sunt, in proxima provincialis electione debita provinciae solvenda esse statuimus. Ad quem etiam effectum deputamus reditus aliorum conventuum desolatorum, scilicet Appamiarum et Morlanensis. Volentes etiam, quod pro accessu ad capitulum generale eorum, qui de iure accedere debent, accipiantur contributiones a reliquis conventibus provinciae, si et inquantum reditus praedictorum conventuum desolatorum sufficientes non fuerint.

Praecipimus in studio generali conventus nostri Burdegalensis cum omni diligentia philosophiae et sacrae theologiae operam dari, et ut con-

veniens studentium numerus ibi non desit, volumus, ut nulli fratrum nostrae provinciae Tolosanae liceat extra provinciam studiorum causa proficisci, nisi cursu philosophiae et theologiae ibi expleto.

Approbamus domum seu collegium nostrum Felletinense cum titulo vicariae, donec capax fuerit, ut in prioratum erigatur.

Revocamus omnes assignationes perpetuas in dicta provincia ab inferioribus magistro ordinis factas.

Decernimus, decreta rev. admodum patris provincialis proxime defuncti circa rehabilitationem fratrum ad suffragium in electione futura provincialis ferendum et ad alias gratias ordinis, quae ante obitum dicti admodum rev. p. provincialis exequutioni mandata non fuerunt, non debere exequutioni mandari, quousque reverendus pater provincialis electus et confirmatus fuerit, ipseque cognita causa ius dixerit.

Declaramus, omnes priores expleto biennio ipso facto ab officiis suis esse et fore absolutos. Quia vero post electionem nuper defuncti provincialis in congregatione Agenensi eiusque confirmationem quidam priores triennio sui prioratus completo a rev. p. magistro fratre Antonino Faebeo, pro tunc reverendissimi magistri ordinis commissario, declarati fuerunt ab officiis suis absoluti, neque in hoc praedicto commissario parere voluerunt et huc usque in officio prioratus nullo iure perseverant, ideo omnes praedictos a prioratibus absolvimus et absolutos fuisse declaramus; et patri vicario generali nostrae provinciae Tolosanae praecipimus, ut eos tanquam inobedientes puniat et emendet.

Approbamus ordinationes in eadem provincia nostra Tolosana factas a rev. p. magistro fr. Antonino Faebeo, tunc reverendissimi magistri ordinis commissario, iuxta decretum eiusdem reverendissimi patris generalis Romae factum, easque perpetuo et quam exactissime servari volumus, aggravantes super hoc rr. pp. priorum necnon patris provincialis aut praesidentis provinciae conscientiam; item approbamus declarationem ab eodem commissario factam, quod pp. fr. Ioannes de Vinau et Bernardus Brugues, vi revocationum perpetuarum ad suum conventuum s. Severi ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc nostri ordinis generali magistro, obtentarum et in capitulo s. Severi a diffinitorio sibi traditarum, ad conventum Baionensem, ubi morati sunt, assignatos non fuisse et assignatorum privilegiis nequaquam gaudere debere aut debuisse.

Approbamus ad magisterium ad ipsius provinciae petitionem rev. p. fr. Thomam Pellisserium, salvis tamen iuribus suae provinciae Aragoniae, ad baccalaureatum vero p. fr. Gerardum la Clavere, dummodo requisita iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium habeat et non aliter.

Approbamus et confirmamus concessionem factam nostrae provinciae Tholosanae in capitulo Parisiensi 1611, ut nullus in ea promoveatur ad baccalaureatum, qui saltem per tres annos non studuerit sacrae theologiae et ne quis promoveatur ad magisterium, nisi legerit et docuerit et officio regentis functus fuerit in ipsa provincia, et ut nullus baccalaureus Parisiensis fruatur privilegiis lecturae sententiarum illius universitatis, si in alia universitate lauream doctoralem suscepit.

Praecipimus p. provinciali vel praesidenti provinciae sub poena absolutionis ab officio, ne in posterum ad monasteria monialium ignaros confessores mittant, sed eos tantum, qui sciant competenter proponere verbum Dei, servatisque aliis servandis.

Franciae.

Committimus et in meritum s. obedientiae iniungimus admodum rev. p. provinciali nostrae provinciae Franciae, ut incaeptam in eadem nostra provincia reformationem totis viribus promovere satagat, praesertim vero conventuum nostrorum Carnotensis, Belvacensis, Pictaviensis et Pruvinensis, ceteros autem, quantum fieri possit, reformare contendat; cui ad praedictum effectum, omnem necessariam ac opportunam auctoritatem et potestatem concedimus et praesertim, ut rebelles discolos et inobedientes fratres, sanctaeque reformationi resistentes compescat et iuxta seriem nostrarum constitutionum condignis poenis afficiat; ob idque illustrissimos et reverendissimos dominos primates, archiepiscopos et episcopos earundem civitatum instantissime rogamus, ut pro ipsorum pastorali charitate ac zelo eidem provinciali Franciae ac prioribus dictorum conventuum ad praedictum reformationis effectum, quatenus opus fuerit, ipsique petierint, adiutrices manus porrigere dignentur. Quibus etiam prioribus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut hoc ipsum sanctum opus omni conatu amplexentur ac promoveant.

Committimus eidem p. provinciali Franciae, ut fratres illos, qui eum tanquam provincialem recipere in conventibus eiusdem provinciae noluerunt, tanquam rebelles et contumaces, iuris ordine servato, severissime puniat. Declaramusque concilium patrum cuiuscunque conventus nullam prorsus habere supra priorem conventus et multo minus supra provincialem eiusdem provinciae potestatem vel auctoritatem aliquam neque aliquod decretum seu determinationem contra auctoritatem praedictorum suorum praelatorum facere posse, quacumque in contrarium consuetudine seu potius abusu non obstante; praesertim vero damnamus et reprobamus intolerabilem abusum illorum paucorum conventuum, qui ausu temerario provincialem suum in eisdem conventibus, excepto visitationis tempore, tanquam provincialem recipere noluerint et contra

praelatorum suorum mandata ad consilium patrum eorumdem conventuum appellaverint. Declarantes, quod quemadmodum prior provincialis in ordine nostro caput est provinciae, quae eidem subiicitur, ita etiam priorem conventualem caput esse sui conventus et omnium patrum tam a consiliis quam aliorum. Unde si priores conventuales in aliquo defecerint, debebunt subditi eorum monere provincialem, sed neque ipsi neque concilium ipsorum patrum supra vel contra priorem ullam prorsus poterunt exercere iurisdictionem aut potestatem. Contrafacientes autem volumus, ut tanquam conspiratores, contumaces et alienae potestatis usurpatores poena gravissima tum a sacris canonibus tum a nostris constitutionibus contra huiusmodi delinquentes praescripta puniantur.

Committimus eidem p. provinciali ac prioribus praefatis, ut patres ac fratres suos in dormitoria conventuum sese recipere et ibidem cellas ad manendum et dormiendum iuxta praescriptum constitutionum nostrarum habere compellant. Quod praesertim priori conventus nostri Belvacensis, quem conventum specialiter pro reformatione et exacta regulari observantia designamus, nominatim committimus; derelinquant autem fratres conventuales alias cameras extra dormitorium pro usu infirmariae atque adventantium hospitum.

Committimus eidem p. provinciali Franciae, ut diligenter inquirat super quibusdam fratribus, qui absque licentia reverendissimi magistri ordinis in universitatibus secularibus gradus magisterii ac baccalaureatus suscipere ausi sunt. Quod factum cum iuridice compererit, eosdem tanquam excommunicatos poenis condignis graviter puniat et gradus ab ipsis susceptos nullos esse ac fore decernat et declaret, prout nos ex nunc pro tunc decernimus et declaramus.

Committimus insuper eidem p. provinciali, ut monasterium nostrum Tullense, sororum nostri ordinis, omni conatu ad meliorem frugem iuxta praescriptum observantiae regularis iuxtaque apostolicas et nostri ordinis constitutiones reducere contendat et si quas sorores rebelles invenerit, privatione sacri veli et aliis condignis poenis pro delictorum qualitate puniat. Idcirco rogamus illustrissimum et reverendissimum dominum eiusdem civitatis episcopum, ut in eodem reformando monasterio ipsi patri provinciali pro suo pastorali zelo et erga ordinem nostrum benevolentia manus adiutrices et omnem necessarium favorem praebeat, prout ab eodem p. provinciali petitum fuerit.

Assignamus in studio nostro Panormitano pro rata provinciae Franciae p. fr. Egidium de Monte, ibidem iam a tribus annis commorantem.

Utriusque Lombardiae.

Ordinamus ad petitionem provinciae nostrae utriusque Lombardiae, ut fratres praedictae provinciae ad studia aliarum provinciarum iis dum-

taxat exceptis, in quibus regularis observantia et ipsa studia vigent, non mittantur; quod quidem iudicio ac prudentiae magistri ordinis committimus.

Item ad petitionem eiusdem provinciae statuimus, ut in conventibus nostris Boschensi, Cremonensi et Faventino studia erigantur instar formalium, ita quod si aliqui sint, qui Bononiae assignati manere non possint, in illis conventibus litteris operam dabunt; ceterum pro studentibus in dictis conventibus non recipiantur, nisi prius Bononiae in studio generali, more quo formales studentes examinari solent, examinentur. Peracto vero examine ad dictos conventus mittantur, in quibus nullis privilegiis gaudeant, sed omnino chorum die noctuque sequantur; singulis autem annis semel a magistris et lectoribus theologiae examinabuntur per vota secreta et, si delinquentes fuerint, ab admodum rev. p. provinciali beneficio studentatus priventur, alias si in moribus religiosis et litteris progressus fecerint, expleto in quolibet dictorum conventuum triennio, in studio generali Bononiensi pro examine comparebunt; quo praemisso in lectores creabuntur cum hac declaratione, ut ad examen pro lectoratu non admittantur, nisi prius testimonium patres conventus, in quo degebant, examinis facti per vota secreta morum suorum et eruditionis in scripto ostendant.

Confirmamus ordinationem in aliis capitulis factam, ut moniales vocem in electione non habeant, nisi a professione annum duodecimum compleverint.

Deputamus ad petitionem eiusdem provinciae conventum nostrum s. Crucis Boschensis pro strictiori observantia regulari secundum rigorem nostrarum constitutionum, iuxta mentem sanctae memoriae Pii papae V. in litteris apostolicis fundationis ac donationis eiusdem conventus expressam.

Declaramus magistros, qui in eadem provincia manent, nec sunt patres provinciae neque gaudent privilegiis magistrorum provinciae, dum eosdem conciliis patrum interesse contigerit, locum et vocem immediate post suppriorem conventus habere debere; inter se autem loca tenebunt secundum antiquitatem promotionis suorum magisteriorum et non aliter.

Ordinamus, ut si quando pp. studentes ad conciones habendas coram populo ire oportuerit, prius in concilio patrum examinentur et per vota secreta approbentur.

Statuimus, ut in posterum ad confessiones sacramentales monialium nostri ordinis excipiendas nulli admittantur, nisi sint lectores, praedicatores, baccalaurei vel magistri in sacra theologia et habeant omnes conditiones iuxta ordinationem bonae memoriae illustrissimi et reverendis-

simi domini cardinalis Alexandrini quondam ordinis nostris protectoris requisitas.

Acceptamus monasterium monialium spiritus sancti nostri ordinis in civitate Genuensi singulari liberalitate ac pietate illustrissimi et excellentissimi principis ab Auria constructum, volumusque, ut omnia in regimine et acceptatione illius monasterii iuxta breve apostolicum a sanctissimo d. n. Paulo V. concessum observentur.

Committimus p. provinciali, ut redituum rationem domus Wadae diligenter inquirat et examinet; quod si sufficientes fuerint ad alendos fratres secundum numerum a legibus nostris praescriptum, auctoritate nostra restitutam esse in prioratum declaret.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Cornelii Tiraboschi et fr. Iacobi de Marcenisio iam acceptata a provincia cum gratiis et privilegiis, immunitatibus et exemptionibus, praesertim voce, loco et aliis omnibus, quibus magistri in eadem provincia acceptati frui consueverunt.

Acceptamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis Baptistae de Capriata socii et secretarii reverendissimi patris magistri ordinis et praesentis capituli generalis, fr. Pauli de Papia, fr. Iacobi de Lauda, fr. Raphaelis de Bononia, fr. Pauli de Gabiano, fr. Pauli de Saona et fr. Ioannis Baptistae Sestolae, salvis tamen eiusdem provinciae iuribus.

Promovemus ad magisterium rr. pp. lectores fr. Spiritum de Mantua (1), qui in hoc generali capitulo publice conclusiones pro sua provincia erudite defendit, salvis etiam suae provinciae iuribus.

Confirmamus in priorem provincialem huius nostrae provinciae utriusque Lombardiae admodum rev. p. magistrum fr. Baptistam Baccarinum de Placentia, in hoc capitulo provinciali unanimiter electum et ex prioratu huius nostri conventus s. Dominici Bononiensi assumptum, cum solitis auctoritate et potestate.

Romana.

Concedimus provinciae nostrae Romanae, ut festum s. Romani martyris sub duplici celebret.

Committimus patri provinciali eiusdem provinciae necnon confessario monialium sancti Vincentii de Prato, ut processum, qui iam cura reverendissimi episcopi Pistoriensis circa beatificationem venerabilis Catarinae de Riccis de Florentia, sororis nostri ordinis, initium accepit, ad finem usque perducat.

Acceptamus monasterium monialium sanctae Mariae de Humilitate ordinis nostri iuxta tenorem brevium apostolicorum a sanctissimo d. n. Paulo papa V. iam emanatorum.

---

(1) De fr. Spiritu de Mantua cf. SSOP. II, 423.

Acceptamus monasterium monialium s. Catarinae Senensis ordinis nostri, civitatis Camertensis, ad gratias et privilegia, quibus nostri ordinis sorores gaudere solent, dummodo praedicto monasterio clausura religiosa constituatur.

Confirmamus ordinationem primam factam Parisiis anno 1611 circa duodenarium numerum et acceptationem praedicatorum generalium a patribus eiusdem provinciae, et idem dicimus de acceptatione graduatorum.

Confirmamus ordinationem ab eadem provincia factam, ut videlicet lectores artium in principio cursus oretenus discipulis praelegant summulas logicales ab admodum reverendo patre sacri palatii apostolici magistro fr. Hyacintho Petronio editas curentque, ut discipuli peroptime eas calleant, super quibus etiam rigorose examinari debebunt, antequam ad maiora studia promoveantur. Praecipientes patribus lectoribus sub poena absolutionis ab eorum officiis, ne suis scriptis de summulis logicalibus discipulos onerent, sed solum ipsas summulas sic impressas oretenus, ut praefertur, praelegant.

Approbamus iam acceptata ab eadem provincia magisteria rr. pp. fr. Seraphini Loii Urbevetani, fr. Benedicti Erculani Perusini Umbriae inquisitoris et fr. Alberti Campani de Florentia in universitate Pisana metaphysices publici professoris, cum omnibus gratiis et privilegiis magistrorum in et pro eadem sua provincia acceptatorum.

Approbamus magisterium et acceptamus regentiam p. fr. Iacobi Saminiati Lucensis, ita tamen ut hoc toto anno integro in studio Querquensi regentis officio fungatur.

Approbamus baccalaureatum p. fr. Dominici Mannii magistri, ita tamen ut in eodem studio Querquensi toto anno praesenti perduret, et damus eundem p. fr. Dominicum in regentem praedicti nostri studii Querquensis pro anno 1616 et duobus immediate sequentibus.

Damus in baccalaureum eiusdem studii pro anno 1616 et duobus sequentibus p. fr. Thomam Mancinum Bledanum, in magistrum vero studentium pro annis 1615 et 1616 damus p. fr. Vincentium Erculanum magistrum et pro anno 1617 et 1618 p. fr. Franciscum Chiadinum lectorem.

Acceptamus magisterium studentium p. fr. Germani Musii de Cetona; praedicaturas vero generales pp. fr. Gabrielis Bernardini de Porreta, fr. Gabrielis Burghuli a burgo s. Stephani et fr. Archangeli Baldini de Florentia cum voce et aliis privilegiis.

Approbamus praedicaturas generales pp. fr. Michaelis de Arido, fr. Thomae Pipii, fr. Thomae Goliae, fr. Antonini Sestini, fr. Lulii Bat-

tagliae, fr. Ioannis Baptistae Turolae et fr. Hyacinthi de Nobilibus (1), salvis suae provinciae iuribus.

Instituimus insuper praedicatores generales rr. pp. fr. Hyacinthum Stephanum (2), fr. Philippum Brunum de Florentia et fr. Ignatium Albericum de Urbeveteri, salvis tamen provinciae suae iuribus.

Ob singularem ac debitam ordinis nostri observantiam erga illustrissimos et reverendissimos dominos d. sanctae Romanae ecclesiae cardinales sacrae congregationis supremae ac generalis inquisitionis et ex speciali dispensatione a sanctissimo d. n. Paulo papa V. ad hanc effectum concessa, acceptamus magisterium rev. p. magistri fr. Francisci Magdaleni Capiferrei Romani (3), rectoris collegii Graecorum de Urbe, cum omnibus gratiis et privilegiis, praesertim loco et voce, quibus reliqui magistri in et ab eadem Romana provincia acceptati potiri et gaudere consueverunt, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Approbamus translationem studii generalis eiusdem provinciae Romanae a conventu nostro s. Dominici de Perusio ad nostrum conventum s. Mariae Querquensis de Viterbio, factam a reverendissimo patre magistro generali ordinis, propter causas in litteris patentibus suae reverendissimae paternitatis expressas, quas approbamus et hic pro insertis haberi volumus.

Assignamus in studio nostro Querquensi fr. Hyacinthum de Matera pro rata provinciae s. Thomae.

Regni.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut conventibus nostris ss. Dominici et Petri Martyris de Neapoli praescribat congruentem numerum filiorum, pro unoquoque ipsorum conventuum respective, qui numerus absque licentia reverendissimi excedi nunquam possit.

Statuimus, ut novitii tam professi quam simplices tot solummodo ad conventus assignati mittantur, quot cellae in eorum dormitoriis inveniuntur. Volumus autem et prioribus vel praesidentibus sub poena absolutionis ab officio praecipimus, ut ipsos novitios nulla ratione in quovis loco extra dormitorium et eorum cellas dormire permittant.

Ordinamus, ut cum graviora negotia eiusdem provinciae tractanda fuerint, pro quibus pp. magistri e conventu etiam s. Petri Martyris ad concilium in conventu nostro s. Dominici habendum convocari solent, alii etiam omnes magistri et patres dictae provinciae, Neapoli existentes, eidem consilio assistant.

---

(1) De fr. Hyacintho de Nobilibus cf. SSOP. II, 408.
(2) De fr. Hyacintho Stephano cf. l. c. pag. 754.
(3) De fr. Francisco Magdaleno Capiferreo cf. l. c. pag. 473.

Officiales, qui nonnisi de concilio patrum provinciae vel conventus dari solent, sine eorumdem patrum concilio a p. provinciali non dentur nisi forte ad breve tempus, gravissimis causis id exposcentibus.

Approbamus magisteria omnium patrum in capitulo Romae proxime praeterito promotorum, servatis omnibus servandis et non aliter.

Promovemus ad magisterium pp. fr. Vincentium Goni de Neapoli (1), qui in praesenti capitulo generali publicas disputationes honorifice defendit, fr. Iulianum de Flore Neapolitanum et fr. Hyacinthum Salernum de Neapoli, ad baccalaureatum vero promovemus p. fr. Dominicum Scopa de Neapoli congregationis nostrae s. Mariae Sanitatis, salvis tamen eorum provinciae iuribus et servatis servandis.

Damus in regentem conventus nostri s. Dominici de Neapoli rev. p. magistrum fr. Iordanem de Neapoli eiusdem congregationis Sanitatis, postquam tamen regens modernus tempus suum compleverit; in baccalaureum ordinarium rev. p. magistrum fr. Dominicum de sancto Severino, expleto biennio baccalaureatus p. magistri fr. Dominici de Padula, in magistrum vero studentium rev. p. fr. Vincentium de Nuceria baccalaureum.

Theutoniae.

Confirmamus studia sacrae theologiae in conventu nostro Coloniensi et philosophiae in nostro conventu Viennensi, in proxime praeterito capitulo provinciali Lantshutano erecta, et volumus, ut studentes in praefato theologico studio perseverent per quadriennium, quatenus partim scholasticis studiis partim vero controversiis fidei incumbere valeant.

Approbamus in eadem provincia novitiatum Moguntiae, pro meliori iuventutis educatione erectum.

Ordinamus inviolabiliterque observandum statuimus, ut officium provincialatus ultra quadriennium et officium prioratus ultra triennium de cetero non se extendat, sed devoluto praedicto tempore respective provincialis et omnes priores provinciae ipso facto a suis officiis sint absoluti.

Declaramus et ordinamus, ut priores, qui actu et de praesenti in officiis sunt et tempore capituli provincialis proxime celebrandi explevisse aut excessisse terminum in suis officiis inventi fuerint, quindena peracta postquam via recta ad suos conventus reversi fuerint, a suis officiis ipso facto sint absoluti.

Concedimus monialibus nostri ordinis in provincia nostra Germaniae superioris, ut singulis quartae feriae diebus de patronis suarum ecclesiarum, si alia festa non obstent, officium dicere possint.

---

(1) De fr. Vincentio Goni cf. l. c. pag. 432.

Instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Ioannem Georgium Quett, fr. Reinerum Han et fr. Vincentium Laimer.

Poloniae.

Pro pace nostrae provinciae Poloniae confirmamus omnes ordinationes factas in capitulo Romano proxime praeterito, praesertim quantum ad electionem provincialium et diffinitorum tam capituli provincialis quam generalis et sociorum.

Quoniam in provincia nostra Poloniae lectoribus interdum praedicationis munus, quo summopere regnum illud ob haereses opus habet, imponitur, ideo ad petitionem ipsius provinciae statuimus, ut in proponendis ad gradus patribus lecturae sacrae theologiae stricta ratio non habeatur; volumus tamen, ut tales lectores aut baccalaurei, antequam praedicationis officio fungantur, sint primo sufficientissime in sacra theologia tam morali quam scholastica instructi, ita ut possint esse idonei; quibus vel lectiones theologicae vel primariae cathedrae ordinariae, utputa Cracoviensis, Lublinensis, Posnaniensis, Vilnensis, Gedanensis, Praemisliensis, Vratislaviensis, Thorunensis et Petricoviensis, praesertim tempore iudiciorum Regni, tum demum et omnes cathedrae collegiatae merito committi possint.

Circa praecedentiam magistrorum cum iis patribus, qui provinciales fuerunt, perpetuum silentium imponimus; et constitutiones nostras, quoad locum, quem inter se tenere debent, volumus observari; insuper omnes locorum concessiones, quae hactenus factae fuerunt, irritamus et, ne de caetero fiant, strictissime omnibus patribus et fratribus nostrae dictae provinciae prohibemus, declarantes, quod nullus frater privata auctoritate communibus nostrarum constitutionum legibus quacumque cessione sui iuris derogare potest.

Quoniam circa festum sancti Michaelis in partibus Poloniae pestis grassari solet, ex quo in congregandis fratribus pro capitulo provinciali maximae suboriuntur difficultates, ideo ad petitionem ipsius provinciae ordinamus, ut deinceps capitula tam provincialia quam intermedia dominica « Deus qui errantibus » iuxta consuetudinem omnium fere aliarum provinciarum ordinis nostri et ordinationes alias pro hac ipsa provincia Poloniae Vallisoleti 1605 factas celebrentur.

Commmittimus p. provinciali moderno eiusdem provinciae nostrae Poloniae, ut absoluto sui provincialatus officio provinciam tanquam vicarius generalis provinciae usque ad tempus electionis novi provincialis regat.

Confirmamus antiquam provinciae consuetudinem de scrutatoribus vocum in capitulis provincialibus, ut sint omnes patres provinciae et vicarii nationum, cum hac declaratione, ut ipsi una cum patre provin-

ciali et vicario generali pro tempore, omnia quaecumque obveniunt dubia, determinare et decidere possint. Quod si in partes aequales divisi fuerint, ex corpore capituli unum eligant et pro voto illius partis, cui iste adheserit, omnia fiant.

Studentes formales provinciae Poloniae, qui in studiis generalibus per triennium non permanserint, ad lectoratum non promoveantur nisi de licentia magistri ordinis patri provinciali Poloniae concessa.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Antonii Grodicii, fr. Lucae Samotulii, fr. Andreae Radavischi praesentis capituli diffinitoris et fr. Bernardi Pegasii, servatis servandis.

Promovemus ad magisterium, salvis tamen iuribus provinciae et servatis servandis rev. p. fr. Ioannem de Lectna eiusdem provinciae modernum provincialem, p. fr. Thomam Rosanium et p. fr. Valerianum Litvanien. Ad gradum autem baccalaureatus promovemus rr. pp. fr. Martinum Rudovium et fr. Hyacinthum Kielezevium, ita tamen ut magistri studentium officium, iuxta acta capituli generalis Romae ultimo celebrati sibi commissum, in studio generali absolvant et salvis provinciae iuribus. Dispensamus cum rr. pp. fr. Andrea Mislissevio et fr. Ioanne Evangelista baccalaureis, ut pradicaturae generalis privilegiis in provincia gaudeant.

Damus in baccalaureum ordinarium studii generalis nostrae provinciae Poloniae p. fr. Thomam Rosanium et in magistros studentium rr. pp. fr. Georgium Trebnic et fr. Albertum Mosticensem.

Approbamus praedicaturam generalem p. fr. Benedicti Konopinsii et p. fr. Hyacinthi Siradiensis, servatis servandis.

Instituimus praedicatores generales p. fr. Bartholomaeum Opatovicen., p. fr. Felicem Pernusium, p. fr. Iacobum Klisioviensem, p. fr. Alexandrum et p. fr. Hieronymum Zegocium, salvis provinciae iuribus.

Ordinamus,ut fratres nostrae provinciae Poloniae, qui ex provincia Bohemiae ad studia generalia hactenus missi sunt, postquam in provinciam suam redierint, ad gradus minime admittantur in studio nostro Cracoviensi, nisi praevio examine, et pro hac dumtaxat vice; quod si in posterum aliqui fratres provinciae Poloniae ad studia ex eadem provincia Bohemiae mittantur, nullo modo eorum gradus a provincia sua acceptentur.

Confirmamus contractum factum inter conventum nostrum s. Dominici Posnaniensis et sorores tertii ordinis nostri in eadem civitate Posnaniensi, nunc sub cura sororis Magdalenae viventes.

Graeciae.

Approbamus contractum inter rev. p. mag. fr. Ioannem Santatum quondam provincialem nostrae provinciae Graeciae nomine eiusdem provinciae et reverendissimum d. abbatem Gabrielem nobilem Venetum, pro

recuperatione conventus et ecclesiae s. Heliae in insula Hyacinthi, sub ditione serenissimae reipublicae Venetae, in executionem commissionis datae eidem patri magistro in capitulo generali Romae ultimo 1612 celebrato. Approbamusque conventiones et pacta, caeteraque in decreto a reverendissimo magistro nostro nomine in hoc negotio subsignato contenta; committimusque eidem patri magistro Santato, ut idem negotium, prout in memoriali coram nostro diffinitorio lecto et a nobis approbato petitur, ad finem debitum perducat, dantes eidem ad hunc effectum omnem opportunam et necessariam auctoritatem et potestatem.

Committimus rev. p. provinciali Graeciae ac eidem in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut statim ac praedicta ecclesia s. Heliae cum annexo monasterio seu conventu ab eodem reverendissimo d. abbate vel ipsius nomine ordini nostro restituta et consignata fuerit, eandem sub potestate et iurisdictione sua ac eiusdem provinciae nostrae Graeciae, cui ex nunc pro tunc dictam ecclesiam incorporamus, recipiat. Volentes ac sub poena privationis utriusque vocis et gravioris culpae praecipientes, ut nullus nobis inferior vel dicto nostro mandato se opponere aut impedimenta sub quocumque praetextu afferre praesumat.

Declaramus, eidem provinciae nostrae Graeciae propter quam paucissimos fratres, qui in illa sunt, non fuisse datam potestatem congregandi capitulum provinciale neque eligendi provincialem aut diffinitorem capituli generalis; poterunt autem propter occurrentia negotia, quae habebunt, destinare de scitu et licentia magistri ordinis aliquem patrem gravem, qui munus procuratoris pro eadem provincia exerceat.

Aragoniae.

Confirmamus acta capitulorum generalium proxime praeteritorum Parisiis et Romae pro nostra provincia Aragoniae, singulariter de reductione graduatorum ad certum numerum, denuntiantes a ss. d. n. die ultima ianuarii 1613 super hoc breve emanasse, quo magis et magis ordinatio praescripta de numero graduatorum corroboraretur.

Ad petitionem provinciae Aragoniae et patrum ac fratrum insulae Sardiniae separamus a dicta provincia nostra Aragoniae conventus nostros praedictae insulae et praeficimus illis in vicarium rev. p. fr. Bartholomaeum Pala praedicatorem generalem, quem et ipsos conventus soli reverendissimo magistro ordinis immediate subiici debere decernimus, cuius beneplacito relinquimus tempus et modum huius separationis.

Concedimus sororibus nostri ordinis monasterii s. Agnetis Caesaraugustani, ut feriis quartis hebdomadarum officium de b. Agnete virgine et martyre recitare possint, sicut feria 4. agitur in nostro ordine de s. Thoma Aquinate in conventibus, ubi viget studium.

Item concedimus sororibus ordinis nostri monasterii Montis Sion beatae Mariae Barchinonensis, ut diem ultimum octavae s. Ioannis Baptistae sub toto duplici celebrare possint, ita tamen ut officium b. virginis Mariae recitare communiter teneantur.

Acceptamus domos et loca eidem provinciae oblata, primo domum b. Mariae del Pilar Valentiae, dantes eidem in vicarium p. fr. Ioannem Vincentium Catalan magistrum; approbantes omnes et singulos contractus et conditiones sive pacta inita inter praedictam nostram provinciam Aragoniae et inter bonae memoriae d. Balthasarem Simon, patronum et fundatorem dictae domus, optime de religione nostra meritum, ex cuius liberali manu triginta circiter millia ducatorum dicta domus accepit. Item domum sanctorum Pauli et Thomae Aquinatis in civitate Segobricensi et domum sancti Sebastiani de la Puebla et monasterium s. Catharinae Senensis in civitate Perpinianensi, servatis servandis iuxta tenorem litterarum apostolicarum.

Item acceptamus iam in capitulo Parisiensi acceptatum monasterium monialium nostri ordinis sancti Iosephi de Ariza cum pactis et conditionibus initis inter eandem provinciam et admodum illust. dd. Ioseph de Palafoix doctorem et canonicum cathedralis ecclesiae Caesaraugustanae et catholicae maiestatis capellanum, dummodo eaedem conditiones prius examinentur et approbentur a reverendissimo magistro ordinis.

Approbamus concordiam inter priorem et conventum nostrum Gerunden. ex una parte et admodum illustrem dominam Leonoram de Aguillana ex altera et a p. provinciali dictae prov. die 16. octobris 1614 roboratam.

Ordinamus, ut nemo ad praesentaturam promoveatur, nisi philosophiam et theologiam per annos septem legerit; inter quos computamus etiam tempus, quo magistri studentium officio functus fuerit, neque promoveatur ad magisterium, nisi post praesentaturam per quatuor annos publice theologiam in aliqua universitate sive nostri ordinis sive saecularium docuerit. Absoluto vero isto annorum undecim tempore in lectura et non aliter, aliis, ut idem officium exercere valeant, locum cedere debeat, nisi ob insigne et excellens ingenium cum aliquo dispensetur a p. provinciali de gravissimorum patrum consilio.

Confirmamus ordinationem capitulorum generalium proxime praeteritorum 1611 et 1612, ut fratres conversi professionem emittant pro illis conventibus, in quibus habitum susceperunt, neque ab illis amoveantur, nisi causa alicuius scandali. Item, ut p. provincialis novitios in maioribus conventibus receptos pro minoribus conventibus, in quibus non est domus novitiorum, absque alia declaratione filios facere possit, qui conventus minores dictis novitiis de vestibus providere teneantur.

Confirmamus, quod iam alias ordinatum est, ut nemo priorum ex

uno conventu ad alium in officium prioratus assumatur, nisi biennium in priori conventu compleverit, exceptis quatuor praecipuis conventibus Barchinonensi, Caesaraugustano, Valentino et Maioricensi.

Declaramus et ordinamus, quod electus in priorem, si litteras suae confirmationis ante septuagesimam receperit, easdem sibi intra sex horarum spatium a tempore receptionis computandarum legi ac intimari faciat; quod si propter earumdem litterarum ultra dictum sex horarum tempus detentionem tertium sui prioratus annum intra septuagesimam eum finire contigerit et de hoc constiterit, prioratus ipsius nullo modo prolongetur, sed tres anni in dicto officio illi computentur a die et tempore, quibus litterae patentes confirmationis ad manus ipsius electi pervenisse constiterit, quod inviolabiliter ex nunc servari volumus.

Confirmamus omnia et singula, quae ordinata sunt ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc mag. generali ordinis nostri, in quodam decreto super erectione conventus s. Ildephonsi Caesaraugustae per litteras patentes suae illustrissimae dominationis Parisiis sub die 16. iunii 1611 datas, quod decretum approbatum et confirmatum est in capitulo Romano 1612 proxime praeterito; ordinantes pro nunc, quod durante fabrica eiusdem conventus educentur sex novitii, inter quos duo sint de regno Cathaloniae, duo alii ex regno Valentino et duo ultimi ex regno Aragoniae; confirmantes etiam, quod iam ordinatum est, ut praedictus conventus non habeat proprios filios, sed sit saeminarium totius nostrae provinciae.

Acceptamus in regno Cathaloniae magisterium rev. p. fr. Onoffrii Requesens, per obitum rev. p. fr. Ioannis Guasch, et praesentaturam p. fratris Francisci Michaelis, sacrae theologiae professoris in universitate Tarraconensis, qui legat pro forma et gradu magisterii, et praesentaturam p. fr. Antonini Croces, qui legat pro forma et gradu magisterii in nostro conventu Ilerdensi. Item praedicaturas generales rr. pp. fr. Petri Charles praesentati pro conventu Oscae, fr. Raimundi Sanso pro conventu Barchinonensi, fr. Antonini Salo pro conventu Coquilibri, fr. Gaspari Capelli pro conventu Gerundensi, fr. Andreae Torrellas pro conventu Dertosensi, fr. Vincentii Fortuño pro conventu sancti Iacobi de Pallas.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. fr. Ioannem Mur praesentatum, per obitum rev. p. fr. Bernardi Sarria, fr. Andream Urive praesentatum, per assumptionem ad episcopatum Carthaginen. reverendissimi d. fr. Petri de la Vega, fr. Andream del Faus praesentatum, per obitum rev. p. fr. Hieronymi Alcoçer, fr. Gasparem Barberan praesentatum, per obitum rev. p. fr. Petri Blasco (1).

(1) De fr. Petro Blasco cf. SSOP. II, 391.

Promovemus ad praesentaturam p. fr. Thomam Pasqual, qui legat pro forma et gradu magisterii in nostro conventu Barchinonensi pro primo loco vacante, p. fr. Dominicum de la Berrita, qui in hoc capitulo generali perdocte conclusiones pro sua provincia defendit, et legat pro forma et gradu magisterii in nostro conventu praedicatorum Caesaraugustae pro primo loco vacante, fr. Alphonsum Baptistam, qui in eodem conventu legat pro forma et gradu magisterii, fr. Stephanum Llovera, qui legat pro forma et gradu magisterii in conventu nostro sanctissimi corporis Christi de Lucente, fr. Dominicum Domenec, fr. Antoninum Ribes titulo praedicationis pro conventu Ivicae, per obitum p. fr. Michaelis Palermo, et fr. Petrum Abarca titulo praedicationis, per obitum p. fr. Gasparis Serra, ad cuius praedicaturam generalem promovemus p. fr. Hieronymum Ibannes, servatis tamen omnibus servandis.

Promovemus ad praedicaturam generalem p. fr. Franciscum Alarcon pro conventu Lucentino, per obitum p. fr. Petri Dauder, et pro conventu Alicantino p. fr. Ioanhem Gabaston, per renuntiationem praedicaturae generalis factam a p. fr. Iosepho Viudes et acceptatam a reverendissimo patre generali.

In conventu Barchinonensi damus in lectorem artium p. fr. Paulum Codines, in magistrum studentium p. fr. Franciscum Palau, completo biennio p. fr. Vincentii Ferreres. In conventu Ilerdensi damus in lectorem theologiae dictum p. fr. Vincentium Ferreres. In collegio nostro s. Dominici Dertusae damus in lectorem theologiae pro prima vacante p. fr. Iosephum Bramo. In conventu praedicatorum Caesaraugustae damus in magistrum studentium p. fr. Raimundum Sans, in lectorem artium p. fr. Bernardum Claveria. In conventu Valentino damus in regentem rev. p. mag. fr. Damianum a Fonseca, in lectorem sacrae theologiae p. fr. Gasparem Catalàn, in magistrum studii p. fr. Ferdinandum Gonçales, in lectorem artium p. fr. Stephanum Ros. In conventu Lucentino in magistrum studii p. fr. Raphaelem Cebrian. In conventu s. Dominici Maioricarum in lectorem artium p. fr. Dominicum Soler, dummodo circa praedictas lecturas p. provincialis aliter non providerit et nulli fiat praeiudicium.

Bohemiae.

Vacante provincialatu nostrae provinciae Bohemiae apostolica auctoritate, qua in hac parte fungimur, instituimus, damus et praeficimus institutumque datum et praefectum decernimus et declaramus priorem provincialem, caput et pastorem praedictae nostrae provinciae rev. p. lectorem fr. Petrum Paulum Tortellium Aretinum, nuper priorem nostri conventus s. Michaelis Olmucensis, quem idcirco prius ab eodem prioratu Olmucensi absolvimus, eique damus omnem auctoritatem et pote-

statem, quam caeteri priores provinciales eiusdem provinciae habere consueverunt. Cui committimus, ut pro viribus restaurationi illius provinciae intendat et sopitam in ea observantiam regularem erigere et suscitare procuret.

Provinciae Provinciae.

Concedimus provinciae nostrae Provinciae, ut in ea capitula provincialia dominica « Deus qui errantibus » iuxta consuetudinem maioris partis provinciarum nostri ordinis de caetero celebrentur.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Stephani Gerardi, fr. Vincentii Bessiere, fr. Ioannis Roberti, fr. Ioannis Rainaudi pro conventu s. Maximini, fr. Iacobi Roberti et fr. Antonii Leonis baccalaureorum, servatis servandis.

Approbamus baccalaureatum rr. pp. fr. Ioannis Borgomercii, fr. Iacobi Tornerii, fr. Andreae Garini et fr. Honorati Grassi.

Damus in regentem studii Aquensis p. fr. Vincentium Pontem magistrum et cathedrae praedictae universitatis moderatorem.

Acceptamus monasterium monialium s. Catharinae Senensis ordinis nostri in oppido s. Stephani, servatis servandis.

Confirmamus incoeptam in conventu nostro de Albenassio, nostrae provinciae Provinciae, reformationem et mandamus rev. p. provinciali eiusdem provinciae, quatenus eidem faveat et in ipsa promovenda omni studio et diligentia invigilet.

Siciliae.

Confirmamus ordinationem ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc nostri ordinis generali magistro, in provincia nostra Siciliae factam, videlicet ut non plures novitii professi ad conventum s. Dominici de Panormo et alios quoscunque mittantur, nisi quot cellae pro eisdem in eorum dormitoriis extant.

Praecipientes omnibus praesidentibus sub poena absolutionis ab officiis, quatenus fratres clericos quoscunque non sacerdotes extra eorum proprium dormitorium et proprias cellas dormire non permittant.

Concedimus dictae provinciae tempus capituli celebrandi dominica « Deus qui errantibus », provinciali vero moderno, ut suo officio absoluto eandem provinciam tanquam vicarius generalis usque ad electionem novi provincialis regat.

Confirmamus ordinationem illustrissimi et reverendissimi d. cardinalis de Aracaeli, ut numerus studentium in conventu s. Dominici de Panormo iam praefixus non augeatur.

Admonemus eiusdem provinciae p. provincialem, ut numerum fratrum in conventibus non taxatum ex decreto ss. d. n. Pauli papae V. quantocius praescribat.

Praecipimus omnibus eiusdem provinciae nostrae praesidentibus, ut omnibus fratribus de necessitatibus provideant iuxta ordinationem illustrissimi et reverendissimi d. d. card. de Aracaeli in visitatione illius provinciae factam.

Ut incepta fabrica locorum nostrorum Cataniae et sanctissimi Rosarii terrae Carini ad optatum finem perducatur, ideo eidem loco Cataniae p. fr. Raphaelem Asmudum et loco ss. Rosarii terrae Carini p. fr. Lucanum Serina vicarios praeficimus ea lege, quod nullus reverendissimo inferior eos, ipso reverendissimo inconsulto, removere possit nisi ratione delicti aut scandali.

Approbamus praedicaturas generales rr. pp. fr. Thomae Anglisani, fr. Placidi Capellini et fr. Hyacinthi de Genua, servatis servandis.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut studio nostro generali s. Dominici de Panormo de idoneis moderatoribus provideat.

In studio Messanensi s. Dominici damus in regentem rev. p. fr. Philadelphum Macali de Leontino magistrum. In baccalaureum vero ordinarium p. fr. Ioannem Baptistam Cappellum de Noto. De Magistris autem studentium pater provincialis de consilio patrum, servatis servandis et absque aliorum praeiudicio, providebit.

Assignamus Bononiae in studentes formales pro rata suae provinciae p. fr. Iacobum Ciepola et p. fr. Franciscum Caridi.

Portugaliae.

Concedimus provinciae nostrae Portugaliae, ut loco capituli intermedii congregationem habere possit, patres autem, qui illi congregationi interesse debebunt, erunt octo magistri antiquiores et octo priores primarii, videlicet Ulixiponensis, de Benifica, de Azeton, Eborensis, Elbensis, Santarenensis, de Bello et de Aveiro. Quod si aliquem ex octo antiquioribus magistris, iam designatis, pro illa congregatione in praedictorum octo conventuum priorem esse contigerit, ut octo magistrorum numerus impleatur, ex aliis magistris antiquior in illum numerum assumendus erit. Volumus autem, ut haec nostra concessio nullo modo suum sortiatur effectum, nisi prius in pleno capitulo provinciali proxime celebrando ab omnibus vocalibus acceptata et approbata fuerit, secus nullius sit valoris.

Statuimus et ordinamus ad petitionem eiusdem nostrae provinciae Portugalliae, ut nullus, qui natus fuerit in partibus Indiae orientalis, possit recipi ad habitum ordinis nostri. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Quia conventus noster Coimbricensis ad effectum, ut eius iam incepta fabrica ad ultimum finem perduceretur, in vicariatum redactus est et experientia compertum sit, quod nedum id fieri minime potest, ve-

rum etiam maxima idem conventus ob fratrum paucitatem, incommoda, ac praeiudicium patitur, idcirco praedictum vicariatum in prioratum restituimus.

Erigimus domum nostram s. Sebastiani de Setubal in conventum ad effectum, ut ibidem vigeat observantia regularis secundum rigorem nostrarum constitutionum, et pro hac prima vice ad petitionem p. provincialis eiusdem provinciae instituimus in priorem dicti conventus p. fr. Antonium Damaya.

Promovemus ad praesentaturae gradum pp. fr. Ignatium Galvan et fr. Petrum Baptistam.

Approbamus praedicaturas generales pp. fr. Antonii D'Amaya pro conventu de Almada et fr. Thomam de Regibus pro conventu Llanae.

Instituimus in praedicatorem generalem pro conventu praefato sancti Sebastiani rev. p. fr. Antonium Ribeira eiusdem provinciae Portugalliae diffinitorem in praesenti nostro capitulo generali.

Concedimus monialibus monasterii de Annuntiatione civitatis Ulixiponensis nostri ordinis, ut octavam s. Ioannis Baptistae sub toto duplici celebrare valeant, ita tamen ut officium b. Virginis communiter recitent.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Ferdinandum Ximenes, qui in hoc capitulo generali pro sua provincia publicas conclusiones erudite defendit, salvis tamen iuribus et decretis apostolicis suae provinciae.

Bethicae.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo Parisiensi 1611, ut videlicet loco capituli intermedii in eadem provincia congregatio aliquorum graviorum patrum habeatur. Declarantes, quod in illa et per illam fieri possint omnia et singula, quae in capitulis intermediis secundum nostras constitutiones possunt et solent fieri, inter quae diffinitoris capituli generalis electio numeratur. Volumusque, ut numerus viginti quatuor patrum congregandorum in praedicta ordinatione expressus, usque ad viginti octo in posterum extendatur, superadditis patribus prioribus nostrorum conventuum s. Dominici de Gusmam oppidi sancti Lucar de Barrameda, s. Dominici regalis de Murtia, s. Dominici de Osuna et sancti Dominici de Badaioz, ut ex omnibus cum provinciali seu praesidente praedictae congregationis numerus viginti novem patrum omnino compleatur. Quod si aliqui priores fuerint etiam magistri in theologia, gaudentes voce et loco, vel ex aliqua causa eidem congregationi interesse non possint, et idem dicimus de magistris in theologia ad ipsam congregationem pertinentibus, loco illorum alios immediatos subsequentes magistros substituimus, quousque praefatus numerus viginti novem omnino compleatur; volentes, quod in praedicta congregatione diffinito-

res in capitulis provincialibus fieri soliti eligi minime possint, nec diffinitores capituli provincialis praecedentis ad eam vocati loco vel munere diffinitorum potiantur. Insuperque volumus huiusmodi congregationem trium tantum dierum numero ad summum finiri, nullumque ad eam vocari posse nec admitti, qui non sit de numero illorum patrum, qui iuxta tenorem huius ordinationis ad praedictam congregationem pertinere possit. Designare autem conventum, in quo dicta congregatio celebranda sit, ad diffinitorium praecedentis capituli provincialis pertinebit. Ut autem haec ordinatio vim sibi debitam sortiatur, prius a praedicta provincia in pleno capitulo provinciali acceptari debebit.

Quia numerus magistrorum in ea provincia Bethica, loco et voce gaudentium, per felicis recordationis Pium papam V. usque ad quindenarium tantum eidem provinciae fuerat concessus, post cuius concessionem numerus fratrum studiorum generalium lectorumque ita auctus est, ut eorum meritis tam exiguo quindenario numero magistrorum satisfieri minime possit, nostrumque sit condigna meritis praemia conferre, ideo auctoritate apostolica, a ss. d. n. Paulo papa V. nobis in hac parte specialiter concessa, praedictum numerum quindenarium magistrorum, voce et loco gaudentium, usque ad trigesimum quartum inclusive ex non gaudentibus loco et voce sive ex alias magistris sive praesentatis requisita habentibus perpetuo complendum extendimus et ampliamus. Quo numero ex praedictis patribus completo, si qui magistri in theologia nunc loco et voce gaudentes in dicta provincia superfuerint, pro magistris extranumerariis habeantur, in quorum locis vacantibus nullus deinceps succedere possit, oppositum irritum et inane fore censentes; qui vero pro locis vacantibus praefati numeri magistrorum substituendi sunt, sive alias magistri voce et loco non gaudentes sive praesentati, et idem dicimus de expositione ad gradum praesentaturae, exponi seu peti non possint nisi a provinciali seu principali praesidente provinciae simul, et non aliter, cum diffinitorio capituli provincialis vel cum intermedia congregatione, vicem capituli intermedii in dicta provincia gerente, et nisi per tres annos artes in aliquo studio generali et per octo theologiam laudabiliter praelegerint; inter quos theologiae annos magistri studentium in studio etiam generali pro magisterio consequendo computari possint. Pro gradu autem praesentaturae obtinendo nullus possit postulari sive exponi, nisi in aliquo studio generali eiusdem provinciae per tres annos artes et per quatuor theologiam laudabiliter perlegerit sive magister studentium fuerit. Denique praedicti patres, qui aliquem vel aliquos ad gradus magisterii vel praesentaturae modo et ordine praescripto exposuerint aut postulaverint, ordinem iustitiae distributivae in suis postulationibus ad unguem servare tenebuntur, aliter autem expo-

nentes sive postulantes ipso facto sint excommunicati, gradibus, officiis, voce activa et passiva perpetuo privati, prout de facto ex nunc pro tunc eos excommunicamus et privamus, ac excommunicatos et privatos esse ac fore decernimus et declaramus, nec absolvi sive restitui possint nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Declaramus, nec patres provinciales aut vicarios generales provinciae nec provinciale capitulum pro locis vacantibus magistrorum numeralium eiusdem provinciae magistros, voce et loco non gaudentes, substituere posse, nisi eorum litterae patentes pro aliquo loco numeri vacante expeditae fuerint vel alias a reverendissimo magistro ordinis id obtinuerint, quod si contra fecerunt aut fecerint, irritum ac inane fuisse ac fore decernimus et declaramus. Quare praedicti magistri non gaudentes voce et loco, ut eisdem gratiis gaudeant et locis vacantibus praedicti numeri ascribantur, a capitulo provinciali vel congregatione intermedia, modo iam praedicto, ipsi capitulo generali vel magistro ordinis erunt in posterum exponendi.

Ut excellentissimi d. d. Medinae Sidoniae ducis, ex nobilissima Gusmannorum familia, a qua sanctissimus pater d. Dominicus originem traxit, petitioni per rev. p. magistrum fr. Dominicum Cano, huius nostri generalis capituli diffinitorem, nobis expositae satisfaciamus, eidem concedimus:

Primo quod, quia in nostra provincia Bethica vice capituli intermedii habenda est congregatio ex viginti octo gravioribus magistris et prioribus, volumus eidem congregationi omnino interesse tanquam unum de pertinentibus ad praedictam congregationem p. priorem pro tempore conventus nostri s. Dominici de Gusman oppidi sancti Lucar de Barrameda, cuius praesentia numerus vigesimus octavus pro dicta congregatione taxatus impleatur.

Secundo concedimus, quod in praedicto conventu possint recipi ad habitum et educari novitii tam simplices quam professi, sicut in aliis domibus reformatis praedictae provinciae, dispensantes super ordinationibus in contrarium.

Tertio volumus et districte mandamus, ut in praedicto nostro conventu ad habitum nostri ordinis vel professionem non recipiantur, qui a Saracenis, Mauris, Iudeis, haereticis aut per tribunal sanctissimae Inquisitionis damnatis aut ab eorum stirpe, genere vel sanguine originem trahunt.

Quarto concedimus eidem provinciae, ut de patrocinio transferendo ad excellentissimum comitem de Niebla, primogenitum eiusdem excellentissimi ducis, necnon ad primogenitum eiusdem comitis, ex filia nepotis excellentissimi d. ducis Lermae de ordine nostro optime meriti et

munificentissimi benefactoris, novos contractus et nova pacta in capitulo provinciali proxime celebrando inire et perficere possit, iis tamen legibus et conditionibus, quae eiusdem provinciae augmento, conservationi, splendorique aptae sint, utpote immunitati ac libertati ecclesiasticae non contrariae, legibus aut constitutionibus nostris in nullo praeiudicantes, praedictaeque provinciae iuribus ac rectae gubernationi consentaneae, simul denique tantorum principum obsequio ac decori consulentes et memoriam nostrae gratitudinis erga illos et illorum erga nostrum ordinem beneficentiam a suis praedecessoribus iure haereditario transmissam, verumque patrocinium prae se ferant; quae omnia peracta ad reverendissimum magistrum ordinis transmittantur, ut ipse pro sua prudentia decernat, quae iudicaverit expedire.

Declaramus et hac nostra diffinitiva sententia decernimus collegium fundandum ex bonis dominae Agnetis de Cabañas omnino ad provinciam nostram Bethicam pertinere; cui praedictum collegium quoad fundationem et iurisdictionem applicamus et provinciae nostrae Hispaniae circa ius ab ipsa praetensum erga praedictum collegium silentium perpetuum imponimus. Locum vero erectionis eiusdem collegii, numerum, nationem, fratrumque qualitatem signare, conditiones et pacta stabilire ad p. provincialem nostrae provinciae Bethicae de consilio discretorum et ad eiusdem collegii patronum pertinebit. Cuius patroni, eiusdemque provinciae pium zelum pro fratribus nostris Anglis praedictum collegium erigendi commendamus; et cum pacta inter utramque partem stabilita fuerint, ad reverendissimum ordinis nostri generalem magistrum pro eorumdem confirmatione transmittantur.

Ex speciali commissione ac facultate ab illustrissimis et reverendissimis dd. card. sacrae congregationis Regularium accepta ordinamus ac praecipimus, ne ab ullo nobis inferiori circa collegium sive conventum nostrum Reginae Angelorum civitatis Hispalensis aliquid innovetur usque ad visitationem praedictae domus per nostrum reverendissimum magistrum generalem ordinis faciendam.

Ordinamus, quod in praecedentia magistrorum eiusdem provinciae omnino servari debeat confirmatio Parisiis facta 1611, declarantes, quod omnes promoti ad magisteria in diversis diebus, etiam immediate successivis extra capitulum, gaudeant loco et voce a die promotionis eorum, hoc est a die quo litterae patentes subscriptae fuerunt, non habito respectu ad ordinis antiquitatem.

Quamvis undecim studia generalia in eadem provincia erecta fuerint, propter eius tamen magnitudinem fratrumque copiam erigimus in studium generale conventum nostrum s. Dominici de Murçia eiusdem provinciae.

Pro conventu sancti Dominici de Alcaraz instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Dominicum Nieto et pro conventu s. Dominici de Guescar fr. Franciscum de Cepeda.

Instituimus ac de novo erigimus in prioratum conventum nostrum beatae Mariae de consolatione, alias fundatum in Portu s. Crucis insulae de Tenerife, creamusque in priorem eiusdem conventus rev. p. fr. Antonium Perez, qui nunc est vicarius in eodem conventu, et in praedicatorem generalem pro eodem conventu damus et instituimus p. fr. Ferdinandum de Aguilar, servatis servandis.

Acceptamus pro vicaria conventum s. Petri et s. Vincentii Ferrer in insula de la Gomera.

Acceptamus conventum monialium sanctae Catharinae Senensis in civitate de la Laguna insulae de Teneriphe.

Concedimus conventui nostro s. Dominici de Porta Coeli Hispalen., ut in eo possint teneri et educari novitii tam simplices quam professi non obstante ordinatione facta Romae anno domini 1612.

Admittimus ad gratias spirituales nostri ordinis confraternitatem s. Vincentii confessoris conventus nostri s. Dominici regalis Murciensis et omnes confratres tam praesentes quam futuros praedictae confraternitatis.

Admittimus ad easdem gratias confraternitatem et confratres animarum purgatorii in conventu nostro s. Pauli et s. Dominici Astigiensis.

Approbamus pro eadem provincia praesentaturam fratris Francisci Garcia et fr. Francisci de Parraga, servatis servandis.

Promovemus ad gradum praesentaturae pro insulis Fortunatis p. fr. Ioannem de Saavedra, taliter tamen, quod privilegiis eiusdem praesentaturae in eisdem tantum insulis gaudeat, iuxta ordinationem capituli generalis Vallisoletani 1605 et Romae 1612 celebrati, nec eisdem gaudere possit, antequam acceptetur in capitulo provinciali proxime futuro.

Committimus rev. p. provinciali eiusdem provinciae, ut summa diligentia transmittere curet ad rev. p. procuratorem ordinis gesta illustria et patrata miracula per bonae memoriae fr. Paulum de sancta Maria nostri ordinis, ut fiat instantia apud s. d. n. papam Paulum V. pro illius beatificatione.

Concedimus conventibus nostris ss. Florentinae et Spiritus sancti monialium civitatis Astigiensis, ut festum s. Ioannis ante portam Latinam sub toto duplici diemque octavum festi principalis eiusdem sancti cum novem lectionibus in matutinis celebrare possint, dummodo eadem die officium b. virginis Mariae non praetermittant.

Declaramus p. praesentatum fr. Petrum Hurtado nullum habere ius, ut in eadem provincia titulo et gradu magistri gaudere possit, eidem-

que silentium perpetuum imponimus, praecipientes, ne deinceps pro magisterio praetenso aliquid movere seu attentare praesumat.

Declaramus p. fr. Reginaldum Maldonado non esse praesentatum nec privilegiis praesentaturae gaudere posse, illique silentium perpetuum imponimus.

Germaniae inferioris.

Acceptamus licentiaturam p. fr. Francisci Capronii (1) et baccalaureatum p. fr. Matthiae Heisii (2).

Admittimus ad licentiaturam p. fr. Guillielmum Onselium (3) sacrae theologiae baccalaureum et creamus baccalaureum p. fr. Hyacinthum Auselium. Instituimus praedicatorem generalem p. fr. Antonium Galare et approbamus praedicaturas rr. pp. fr. Iacobi Bave et fr. Petri Barsens.

Damus in regentem primarium in studio nostro Lovaniensi p. fratrem Raimundum Theorisi licentiatum, in secundarium regentem eidem studio damus patrem fr. Franciscum Capronium, sacrae theologiae licentiatum, et in magistrum studii p. fr. Matthiam Heisium sacrae theologiae baccalaureum.

In studio Duacensi noviter reformato damus in primarium regentem p. fr. Hyacinthum Coquetium s. theologiae magistrum et in secundarium regentem p. fr. Iacobum Bromerium sacrae theologiae baccalaureum.

Committimus rev. p. magistro fr. Thomae de Torres nostrae provinciae Hispaniae in universitate Lovaniensi sacrae theologiae primario professori, ut studium nostrum Lovaniense reformare ac totis viribus promovere contendat. Cui etiam in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut eiusdem cathedrae moderationem et publicam in dicta universitate lecturam sacrae theologiae nobis inconsultis ullo pacto non derelinquat.

Confirmamus in provincialem eiusdem nostrae provinciae inferioris Germaniae admodum rev. p. magistrum fr. Petrum Wostinium cum solita auctoritate et potestate.

S. Thomae.

Concedimus provinciae nostrae s. Thomae, ut instante electione novi provincialis, a feria secunda post dominicam septuagesimae et infra, socii priorum eligi possint pro sequenti capitulo provinciali, quamvis capitulum electionis pro tunc intermedium non fuerit.

Ordinamus, ut in distributione praemiorum pro meritis circa acceptandos et promovendos ad magisterium cum loco et voce in eadem

(1) De fr. Francisco Capronio cf. SSOP. II, 527.
(2) De fr. Matthia Heisio cf. l. c. pag. 441.
(3) De fr. Guilelmo Onselio cf. l. c. pag. 465.

provincia omnium aequitas servetur, cum hac declaratione videlicet, si sint aliqui, qui dispensati iam fuere vel in posterum fuerint super lectura ordinaria, alii vero in praelegendis lectionibus pro gradu et forma assidui fuerint, volumus omnino, ut in acceptatione ad loca vacantia magistrorum illi, qui exercuerunt actus scholasticos pro gradu et forma magisterii iis, cum quibus dispensatum est super aliqua lectura ordinaria, praeferantur. Ceterum ex iis, qui legerunt pro gradu et forma magisterii, antiquiores iunioribus praeferendos esse decernimus.

Erigimus domum nostram Moliterni in conventum, ita tamen, ut duodecim fratres alat, et praeficimus illi in priorem hac prima vice p. fr. Ascanium de Moliterno priorem modernum s. Dominici montis Murri, quem idcirco a montis Murri prioraru absolvimus.

Approbamus affiliationem p. fr. Thomae Rubini de Rubis pro conventu s. Dominici de Luceria.

In conventu nostro s. Mariae maioris Criptolarum instituimus in parochum pro hac vice tantum p. fr. Ludovicum de Moliterno.

Acceptamus magisterium p. fr. Vincentii Caperini de Licio cum voce et loco et aliis privilegiis, quibus magistri provinciae de iure et consuetudine gaudent.

Promovemus ad magisterium p. fr. Paulum de Gallipoli, fr. Thomam de Hostuno et fr. Petrum Martyrem de Medunio; ad baccalaureatum vero p. fr. Ioannem Baptistam de Martino, fr. Augustinum Crassum de Licio, fr. Vincentium Colonna de Trano, dummodo habeant omnia requisita.

Approbamus magisteria et baccalaureatus omnium patrum in capitulo Romano proxime praeterito promotorum, servatis tamen omnibus servandis.

Damus in regentem studii nostri generalis Andriae pro triennio proximo p. fr. Michaelem de Corato et, si eum impediri contigerit, p. fr. Hieronymum Andrata de Gallipoli, baccalaureum vero ordinarium et magistros studentium p. provincialis de consilio graviorum patrum magistrorum provinciae provideat, ita tamen, ut nulli fiat iniuria, in quo eorundem patrum conscientiam aggravamus.

Assignamus in studio nostro generali Bononiensi pro primo loco vacante pro rata provinciae p. fr. Bartholomaeum de Vigiliis, pro secundo loco p. fr. Antonium de Moliterno. In studio Neapolitano pro primo loco vacante p. fr. Petrum de Altamura, pro secundo loco p. fr. Ioannem Baptistam de Bario. In studio vero Patavino pro primo loco vacante p. fr. Felicianum de Polignano.

Approbamus sententiam latam ab admodum rr. pp. iudicibus graviorum causarum praesentis nostri capituli generalis in favorem p. fr. Antonii Burdae de Perabita.

Calabriae.

Quoniam ad itinera hyeme in Calabria conficienda, ob frequentes fluviorum inundationes, pro capituli provincialis celebratione non modica est fratribus difficultas, ideo concedimus eidem provinciae, ut dominica Deus qui errantibus illud celebrare possit; provinciali vero moderno cum finem suo officio dederit, ut eamdem provinciam nostram Calabriae tanquam vicarius generalis usque ad electionem et confirmationem novi provincialis regat, committimus.

Erigimus in prioratus loca Castri Veteris et Laureani, ita tamen, ut conditiones a capitulis generalibus praescriptae serventur, et singula eorum alant duodecim fratres.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Thomam de Zagarisio, fr. Thomam de Montealto, fr. Michaelem de Briatico, fr. Andream de Amigdalaria baccalaureos. Ad baccalaureatum autem p. fr. Hieronymum de Altomonte, fr. Thomam de Sibari, fr. Iosephum de Philograsio et fr. Silvestrum de Suriano. Ad praedicaturam vero generalem p. fr. Ioannem de Selia et p. fr. Ioannem Baptistam de Girifalco, dummodo praedicti omnes habeant omnia requisita et non aliter.

Damus in regentem studii nostri generalis Cosentini p. fr. Thomam de Montealto et in baccalaureum pro primo biennio p. fr. Hieronymum de Altomonte et pro secundo biennio p. fr. Thomam de Sibari. In magistrum autem studentium pro primo loco vacante p. fr. Petrum de Francavilla, pro secundo p. fr. Thomam de Suriano, pro tertio p. fr. Vincentium de Gotteria lectores.

Assignamus in studio nostro generali Bononiensi in studentem formalem pro rata provinciae p. fr. Laurentium de Monteleone. In studio Patavino p. fr. Gregorium de Catanzaro; in studio Neapolitano p. fr. Silvestrum de Rizzone. In studio Messanensi p. fr. Ioannem Baptistam de Monteleone et p. fr. Hyacinthum de Cosentia pro secundo triennio.

Mexicana.

Committimus p. provinciali vel vicario generali aut praesidenti pro tempore nostrae Mexicanae provinciae, ut in capitulo provinciali, ante omnia, acta capituli generalis et litteras magistri ordinis, si quae fuerint, coram toto capitulo legi et publicari faciat, prout in constitutionibus nostris capitulo 2. de officio provincialis per reverendissimum Umbertum magistrum ordinis habetur.

Quo aptiores ministri ad doctrinam, sacramenta aliaque ad fidem spectantia proponenda et ministranda diutius in praedictis officiis exercendis perdurantes maiorem animabus fructum adferre possint, idcirco concedimus moderno p. provinciali eiusdem provinciae, ut aliquos vicarios Indorum pro eodem munere magis idoneos et ipsis Indis magis gra-

tos et acceptos, dummodo numerum quaternarium vel senarium non excedant, etiamsi quadriennium suorum officiorum expleverint, ad duos alios annos officia eorum pro hac dumtaxat vice prorogare possit. In posterum vero concedimus eidem provinciae, ut de assensu maioris partis vocalium capituli provincialis, huiusmodi vicariorum prolungationem ad duos annos reverendo patri provinciali committere possit, dummodo tamen quadragesimum annum attigerint.

Declaramus, quod provincialis eiusdem provinciae, expleto officio sui provincialatus, cum nullam habeat in immediate sequenti capitulo provinciali gubernationem provinciae, eligi potest in diffinitorem eiusdem capituli provincialis immediate sequentis.

Districte prohibemus, ne in eadem provincia acceptari aut postulari valeant in capitulo provinciali vel extra magistri in sacra theologia, qui nunquam legerunt theologiam iuxta tenorem constitutionum nostrarum. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane, iis dumtaxat magistris exceptis, qui ante notitiam praesentium ab eadem provincia fuerint acceptati.

Committimus capitulo provinciali proxime futuro eiusdem provinciae, ut summo studio procuret, ut fratres praedicationis Indorum linguae Otomi diligenter incumbant et eos, qui eidem difficillimae linguae insudaverint et in ea profecerint vel in posterum insudabunt eamque addiscent, condignis praemiis donet et, si eidem capitulo provinciali videbitur, unum pro eadem lingua praedicatorem generalem a nobis postulet, qui in eodem munere praedicationis et lingua addiscenda magis profecerit.

Ad petitionem p. provincialis eiusdem provinciae promovemus ad magisterium p. fr. Lazarum de Prado praesentatum, qui, ut accepimus, per plures annos philosophiam et sacram theologiam praelegit, et ad praesentaturae gradum p. fr. Ioannem de Olaçaval lectorem, dummodo uterque habeat omnia, quae iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium, praesertim Bononiae ultimo celebrati, requiruntur, salvis etiam suae provinciae iuribus servatisque servandis et dummodo adsit consensus proxime futuri capituli provincialis eiusdem provinciae.

Declaramus p. fr. Christophorum de Anguilera esse praedicatorem generalem pro conventu s. Mariae de Guia, quem conventum pro eius praedicatura generali assignamus.

Instituimus in praedicatorem generalem pro conventu sanctorum apostolorum Petri et Pauli de Teposcolula p. fr. Blasium de sancta Catarina, qui a viginti annis et supra in lingua mixteca egregie concionatus est.

In eadem nostra provincia instituimus praedicatores generales p.

fr. Laurentium de Ayala pro conventu s. Ioannis Baptistae de Cuoyoacan et p. fr. Ioannem de Ortega pro conventu s. Dominici de Itzucan, ob eorum studium et peritiam in lingua Mexicana, dummodo tamen officium praedicationis ad triennium prosequantur.

Approbamus magisterium p. fr. Ludovici Barosso praesentati, servatis servandis.

Approbamus praedicaturas generales ab illustrissimo d. card. de Aracaeli tam pro natione Mexicana quam pro nationibus misteca et Chocona concessas eidem provinciae.

Approbamus erectionem alias factam in prioratus domorum nostrarum sancti Dominici de Itzucan et ss. Petri et Pauli de Teposcolula, dantes facultatem p. provinciali, ut pro prima dumtaxat vice de prioribus illis conventibus provideat.

S. Antonini Novi Regni.

Iustis de causis animum nostrum moventibus et maxime ob modernum provincialem pro reformatione provinciae nostrae s. Antonini a reverendissimo magistro ordinis auctoritate apostolica in eandem provinciam transmissum, ex cuius relatione nobis facile colligere licuit, petitiones provinciae in diffinitorio porrectas, pro nunc non esse a nobis probandas, ideo sicuti totum negotium reformationis illius provinciae, ita et eius omnes petitiones prudentiae et zelo reverendissimi magistri ordinis committimus.

Instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Michaelem de Roias, praesentis capituli generalis diffinitorem, servatis servandis.

S. Vincentii de Chiappa.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut ex provinciis nostris Hispaniae, Aragoniae et Bethicae in provinciam sancti Vincentii patres et fratres, viros religiosos et doctrina praeditos, quam primum transmittendos curet.

Dalmatiae.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Evangelistae de Pharo, fr. Cornelii Nassii inquisitoris Iadrensis, fr. Sixti Philippi de Brachia, fr. Simonis de Iadra, fr. Alberti de Brachia, fr. Victorii Grisogoni de Iadra, fr. Dominici Blondii de Iadra et fr. Innocentii de Pharo, item baccalaureatus fr. Dionisii de Spalato et fr. Hyacinthi de Telsa, servatis servandis.

Promovemus ad magisterium p. fr. Vincentium de Telsa et p. fr. Dionisium de Spalato, dummodo habeant omnia requisita iuxta constitutiones nostras.

Ad baccalaureatum promovemus p. fr. Vincentium de Pharo, fr. Hieronymum de Spalato, fr. Valerium de Martinis de Brachia, fr. Antoninum de Pago, fr. Nicolaum Stornellum de Iadra et fr. Innocentium Parme-

sanum de Almissia, dummodo omnia requisita iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium habeant et servatis servandis.

Assignamus in studio nostro Patavino pro rata prov. et pro primo loco vacante p. fr. Nicolaum de Bracchia et in studio nostro s. Dominici de Neapoli p. fr. Franciscum de Brachia et fr. Dominicum de Civitate Veteri.

Occitanae.

Approbamus ea omnia et singula, quae pro reformatione et visitatione conventus nostri Avenionensis in exequutionem literarum reverendissimi magistri ordinis hucusque per rev. p. magistrum fr. Thomam Burlamachium priorem eiusdem conventus Avenionensis, commissarium et visitatorem, facta sunt et in posterum fienda, quae a nullo reverendissimi magistri ordinis inferiori volumus immutari posse, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Ordinamus et strictissime praecipimus omnibus patribus et fratribus provinciae nostrae Occitanae, ut vitio proprietatis expulso, in singulis conventibus commune depositum iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium habeant, ita ut nullo modo fratribus penes se pecunias retinere aut alicui personae extra ordinem servandas aut mutuandas tradere liceat.

Praecipimus omnibus prioribus, ut ordinationes capitulorum generalium circa recipiendos ad habitum servent, singulariter autem in eadem nostra provincia volumus, ut nemo priorum aliquem sine licentia p. provincialis ad habitum recipiat, ab hac autem licentiae petitione modernum p. priorem conventus Avenionensis secludimus.

Volumus et p. provinciali praefatae nostrae Occitanae provinciae mandamus, ut duos conventus pro recipiendis ad habitum fratribus designet, conventum videlicet Arelatensem et Limosi, quatenus in iis fratres novitii circa ea, quae sunt nostrarum constitutionum institui possint, et in eisdem etiam conventibus vigeat observantia regularis.

Renovamus et in memoriam omnibus fratribus reducimus pie sancitas illas leges, quibus districtissime conformiter ad decreta apostolica et sacras nostras constitutiones cautum est, ne fratres nostri ad tribunalia secularia recurrant sub poenis in ipsis decretis et nostris constitutionibus expressis. Committimusque reverendissimo magistro ordinis, ut eos, qui hactenus contra praedicta delinquere ausi sunt, pro delicti qualitate atque in exemplum ceterorum severissime puniat.

Approbamus magisterium p. fr. Raimundi Poisson, servatis servandis.

Damus in regentem studii nostri Avenionensis rev. p. mag. fr. Ferdinandum Ximenes Ulixiponensem.

S. Dominici.

Quoniam reverendissimus magister noster generalis iam in procinctu

est itineris, ut provinciam nostram s. Dominici sua praesentia visitet, ideo omnia et singula, quae nostra praefata provincia a nobis postulat et quaecumque alia, quae ipse reverendissimus magister pro reformatione sacrae nostrae religionis in illa provincia magis utilia iudicabit, statuenda eidem committimus.

Approbamus magisterium p. fr. Guillielmi Redoani Veneti, item praedicaturam generalem p. fr. Camilli Piazzoli de Padua, servatis servandis.

Approbamus declarationem factam a capitulo provinciali dictae nostrae provinciae s. Dominici, videlicet, quod conventus s. Dominici de Cividato deputatus fuit auctoritate s. d. n. Pauli papae V. pro iis, qui secundum rigorem nostrarum constitutionum vivere cupiunt, et quod dicto conventui licebit recipere ad habitum ordinis et educare novitios.

Auctoritate apostolica, qua in hac parte fungimur, pro conservanda reformatione in praefato nostro conventu de Cividato, ad sequens triennium instituimus et damus in priorem eiusdem conventus p. fr. Bernardinum de Tarvisio et praecipimus, ne quis in posterum sive prior illius conventus sive provincialis extiterit, in conventu praedicto de Cividato inceptam, septem ab hinc annis, reformationem sub poena absolutionis ab officiis ipso facto incurrenda perturbare audeat.

S. Hippoliti Martyris de Oaxaca.

Confirmamus alternativam electionem prioris provincialis provinciae nostrae s. Hippoliti Martyris a reverendissimo magistro ordinis factam, praecipientes omnibus et singulis dictae provinciae patribus et fratribus, ut iuxta modum in ea praescriptum et sub eisdem poenis ab omnibus observetur.

Approbamus pro eadem provincia concessiones eidem factas ab illustrissimo d. cardinali de Aracaeli circa creationem praedicatorum generalium.

Instituimus praedicatores generales p. fr. Martinum Ximenes et fr. Andream de Azevedo huius nostri capituli generalis diffinitorem, servatis servandis.

S. Rosarii Philippinarum.

Confirmamus omnes ordinationes factas in eadem provincia pro bono ipsius regimine, quae iam ab illustrissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc magistro ordinis, Parisiis confirmatae sunt.

Confirmamus insuper omnes ordinationes eiusdem illustrissimi cardinalis de Aracaeli, tunc generalis ordinis magistri, factas pro recta dispositione et gubernatione domus s. Hyacinthi de Mexico.

Confirmamus etiam ordinationes capitulorum Parisiensis et Romani proxime praetetitorum, ut non recipiantur in aliis provinciis Indiarum

fratres, qui ad insulas Philippinas destinati sunt, infirmitatis realis causa excepta, idque ex speciali licentia vicarii ducentis huiusmodi fratres ad praedictas insulas.

Praecipimus fratribus nostris, qui ab instituto itineris proposito atque obedientiae sibi impositae retrocedere vellent, sub poena privationis vocis activae et passivae necnon carceris per sex menses, ne id facere praesumant. Vicario autem supranominato et omnium aliarum provinciarum praesidentibus mandamus sub poena absolutionis ab officiis ipso facto incurrenda, ne huiusmodi fratres aut relinquere aut recipere respective audeant, sola infirmitatis causa duntaxat excepta; fratres autem qui sese tam periculoso itineri pro Dei gloria et fidei catholicae incremento magno cum vitae discrimine exponunt, omnibus nostri ordinis praesidentibus diligentissime commendamus, ut eos tanquam fratres et pientissimo operi manus porrigentes benigne ac charitative recipiant et pertractent.

Admonemus p. provincialem dictae provinciae Philippinarum, ut ab eo tam sancto opere iam incaepto mittendi fratres pro praedicatione evangelii in Iaponem manus non submoveat, imo vero rogamus, ut exemplo Christi Domini, discipulorum eius et sanctorum patrum nostrorum retro non respiciat, sed potius fratres inter gentes pro sacro evangelio promulgando mittere non desistat, quatenus umbras errorum ab oculis infidelium abstergere et lumen, quo mundus totus illustratur, pro Dei gloria et animarum salute superinducere pro viribus contendat.

Ordinamus, ut fratres ex provinciis Hispaniarum ad insulas Philippinas missi non possint licentiam obtinere redeundi ad suas provincias nisi post annos decem a die assignationis completos, sola verae infirmitatis causa excepta.

Instituimus studium generale pro praefata nostra provincia in conventu nostro Manilae primario illius provinciae, praecipientes p. provinciali eiusdem provinciae, ut eidem studio de bonis lectoribus sacrae theologiae provideat et fratres eiusdem provinciae nedum pietati, sed et studiis diligenter incumbere contendant.

Confirmamus decretum factum in capitulo Parisiensi, ut domus de Macan in regno Chinae in provincia s. Rosarii edificata, eidem provinciae restituatur, liberum tamen erit congregationi Indiarum Orientalium, si in convertendis infidelibus laborare voluerint, aliam quoque domum in praedicta urbe Macan construere neque in hoc patres provinciae Rosarii eos impedire poterunt.

Concedimus eidem provinciae sanctissimi Rosarii, ut deinceps capitula intermedia non intermittat.

Admonemus p. provincialem, ut in causis gravioribus iuris ordine

servato et processu debite formato sententiam diffinitivam, nonnisi praemissa cum quatuor vel quinque ad minus gravioribus patribus consultatione ferat, in quo eius conscientiam oneramus.

Praecipimus p. provinciali praedictae nostrae provinciae, ut historiam eorum, quae a patribus eiusdem provinciae facta sunt et gesta, quam citissime praelo mandari curet et ad reverendissimum magistrum ordinis transmittat.

S. Petri Martyris.

Statuimus, ut nullus prior ex uno conventu in alium ad idem officium prioratus assumatur, nisi in primo prioratu biennium compleverit.

Volumus, ut nullus prior moderatoris, lectoris aut alterius cuiusvis officialis munus exerceat; idem observandum de moderatoribus studii generalis decernimus, hos videlicet nullis officiis praeterquam lecturae sibi impositis vacare posse.

Ad examen studentium aut lectorum in studio nostro generali s. Eustorgii omnes magistros eiusdem provinciae praesentes et p. priorem pro tempore advocari volumus et, ne absque eorum praesentia examen fiat, omnibus moderatoribus prohibemus. Liberum tamen erit magistris non moderatoribus huiusmodi actibus interesse eosque praesentiis suis cohonestare.

Proprietatis damnabile vitium tollere volentes, praecipimus praesidentibus in eodem conventu nostro studii generalis, ut deinceps moderatoribus certas pecuniarum summas solvi non permittant, at vero more religiosorum de omnibus eisdem provideri curent.

Damus in regentem eiusdem studii nostri generalis s. Eustorgii Mediolanensi pro annis 1615, 1616, 1617 p. fr. Gasparum Carcanum de Mediolano magistrum, in baccalaureum pro eisdem annis p. fr. Dominicum Vechium de Novaria, in magistros studentium pro anno 1615 p. fr. Sebastianum Bursam, pro anno 1616 p. fr. Ioannem Antonium Cathariensem et pro anno 1617 p. fr. Franciscum Gregium.

Assignamus pro studente formali in eodem studio generali s. Eustorgii pro primo loco vacante et absque aliorum praeiudicio fr. Alexandrum de Placentia; in studio nostro Patavino pro rata provinciae et primo loco vacante p. fr. Paulum Hieronymum Dellegrum; in studio vero nostro Bononiensi pro rata provinciae et primo loco vacante p. fr. Seraphinum de Seraphinis de Bonifacio.

Approbamus magisteria omnium patrum in capitulo Romano 1612 promotorum, servatis omnibus servandis.

S. Catarinae Senensis.

Confirmamus omnes et singulas ordinationes pro nostra provincia Aprutina in capitulo Romano proxime praeterito factas praecipue illam,

in qua prohibetur separatio trium conventuum in civitate Neapolitana.

Ordinamus, ut patres studentes et alii quicumque pro studiis extra provinciam a nullo reverendissimo magistro generali inferiori mitti possint.

Approbamus magisterium p. fr. Angeli Orabonae, dummodo habeat omnia requisita iuxta constitutiones nostras, et acceptamus regentatum p. fr. Cipriani Orsonii.

Promovemus ad magisterium p. fr. Dominicum Heliam de Casali Novo, servatis servandis. Et in praedicatorem generalem instituimus p. fr. Dominicum de Magdalono de Neapoli, servatis etiam servandis.

Damus in regentem studii nostri generalis p. fr. Antonium Tarelium baccalaureum, in baccalaureum autem ordinarium p. fr. Iacobum Cumanum de Neapoli, in magistros studentium pro anno 1617 p. fr. Matthiam Leoicium et pro anno 1618 p. fr. Seraphinum de Laurentiis Lucensem et pro anno 1619 p. fr. Hyacinthum Lauritum.

Russiae.

Confirmamus erectionem eiusdem nostrae provinciae in capitulo Romano sub titulo Russiae factam et, ne iam a multis annis inter patres Polonos et Ruthenos exortae lites amplius serpant super quibuscumque eorum controversiis, divisionibus conventuum aut provinciae titulis utrique parti silentium perpetuum imponimus.

Mandamus omnibus utriusque provinciae Poloniae scilicet et Russiae praelatis, ut iuxta decreta summorum pontificum neuter illorum alterius fratres profugos sub poenis arbitrariis a reverendissimo magistro ordinis decernendis recipere aut retinere audeant.

Acceptamus loca in provincia nostra Russiae Sublapien., Treboulen., Rohatiinen., Iatoschinien. et Zalesien.

Declaramus baccalaureos iuxta ordinationes praecedentium capitulorum generalium locum tenere debere a die promotionis eorum.

Admonemus patrem provincialem, ut de consilio graviorum patrum aut a capitulo suo provinciali praescriptum graduatorum numerum reverendissimo magistro generali offerat confirmandum.

Quoniam eadem ratio provinciae Russiae nobis habenda videtur, sicut et provinciae Poloniae circa lectores sufficienter in theologia eruditos, quibus praedicationis munus committi solet, ideo concedimus provinciae Russiae, ut lectoribus theologiae, qui in cathedra Leopoliensi conciones habent aut habituri sunt, proemia litteraria graduum secundum formam pro provincia Poloniae in praesenti capitulo praescriptam concedantur.

Approbamus magisteria p. fr. Christophori Presmiliensis et fr. Victorini Buscensis necnon baccalaureatum p. fr. Ambrosii Vizedovii, p. fr. Gabrielis Drohobicensis, servatis servandis.

Promovemus ad magisterium p. fr. Ambrosium Vizedovium baccalaureum, praesentis capituli nostri generalis diffinitorem, ad baccalaureatum vero p. fr. Damascenum Leopoliensem et fr. Antonium Cromensem, servatis servandis.

Damus in regentem studii generalis Leopoliensis p. fr. Marianum, in baccalaureum ordinarium p. fr. Ambrosium Vizedovium et in magistrum studentium p. fr. Gabrielem Drohobicensem.

Ordinamus iuxta aliorum capitulorum generalium praescriptas leges, ut nullus regens actu officium suum exercens in priorem eligi et electus confirmari possit et valeat.

Congregatio Gallicana.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut in congregatione nostra Gallicana unum aut plures conventus pro exacta regulari observantia iuxta rigorem constitutionum nostrarum designet, eaque omnia et singula faciat, quae pro reformatione eiusdem congregationis nostrae Gallicanae iudicaverit expedire, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Congregatio Occitana.

Approbamus et confirmamus congregationem nostram reformatam Occitanam, sanctissimi d. n. Pauli papae V. auctoritate, ad instantiam christianissimi Francorum regis Henrici IV, ab illustrissimo d. cardinali de Aracaeli, tunc nostri ordinis generali magistro, erectam et in duobus immediate succedentibus capitulis generalibus Parisiensi et Romano confirmatam.

Confirmamus ordinationes capitulorum generalium Vallisoletani 1605 et Romani 1608 de non dandis dispensationibus quovis praetextu et colore nisi secundum tenorem nostrarum sacrarum constitutionum duntaxat nec ullus praelatus in reformata congregatione Occitana aliter dispensare possit.

Conformiter ad nostras sacras constitutiones plurimaque capitula generalia statuimus, ut nullus huius congregationis filius, absque ipsius congregationis petitione, ad quoscumque gradus vel ad praedicatoris generalis officium promoveatur, et aliter in futurum promovendi pro non promotis in ea censeantur. Quod etiam ad eiusdem congregationis petitionem ad alios, qui eiusdem congregationis filii non existentes in ea in posterum assignati vel deputati fuerint, extendimus.

Confirmamus concessionem eidem reformationi ab illustrissimo cardinali Xavierre, tunc ordinis nostri generali magistro, factam, quod ad illam venientes, per annum in novitiatu detineantur, idque etiam extendimus ad eiusdem congregationis filios, qui ex ea in posterum egressi ad ipsam revertentur.

Confirmamus decretum reverendissimi magistri ordinis pro eadem congregatione factum, quo statuit eos, qui a congregatione egressi sunt vel in posterum egredientur, nisi ante tres menses revertantur, ad eas provincias eosque conventus, in quibus per assignationem recepti fuerunt, pertinere, nullamque ad id aliam insinuationem requiri volumus, quam quae per hoc generale capitulum fit omnibus in communi.

Concedimus, quod qui ad dictam congregationem reformatam veniendi licentiam petierint, eiusque negatae testimoniales litteras secum detulerint, recipi in ea valeant; quod tamen criminosis iuxta Clementis VIII. decretum nullatenus prodesse volumus. Mandantes etiam aliarum provinciarum et conventuum praesidentibus, quod religiosos qui ex hac congregatione Occitana, cum testimonialibus litteris ad suas provincias suosque conventus redierint, recipere non differant.

Concedimus etiam eidem congregationi, quatenus de translatione beatae Mariae Magdalenae et beati Thomae Aquinatis quotannis in ea festum et officium sub toto duplici celebrare, deque ipsa beata Maria Magdalena et d. Thoma qualibet hebdomada per annum officium facere, sicut de beato Dominico patre nostro in feria tertia fieri consuevit, possit.

Approbamus reformatum conventum Parisiensem sanctae Mariae Annuntiatae, concessione illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis de Aracaeli, tunc nostri ordinis generalis magistri, et proxime praeteriti Romani capituli generalis approbatione, aliisque omnibus servatis, quae de iure servanda fuerant, pro eadem congregatione Occitana reformata erectum.

Pro monasterio Prulliano.

Approbamus in monasterio nostro Prulliano reformationem per venerabilem et admodum reverendam sororem Ioannam a Lotaringia ipsius monasterii priorissam factam et institutam.

Ordinamus, ut in posterum puellae seculares, quas turmatim in suis particularibus edificiis educare solebant sorores, in monasterium non introducantur ac deinceps in illo non alantur, illaque priora edificia, quae extra dormitorium sibi privatim sorores construxerant, pro infirmariis aliisque communitati utilibus officinis deputamus.

Ordinamus, ut privatae pecuniae, in deposito communi, sub cura duarum vel trium sororum ex discretioribus ad id munus per vota electarum habeantur, nec ulli sororum in posterum licebit sub poena excommunicationis penes se retinere aut saecularibus personis quaecumque illae fuerint sive dono sive mutuo absque matris priorissae toties quoties habita facultate eas tradere. Idemque statuimus de supellectilibus sororum particularium, ut ea pro necessitate cuiusque per sorores ma-

turas et discretas distribuantur. Quas nostras ordinationes circa praefatum monasterium inviolabiliter observari volumus, praecipimusque sub excommunicationis poena, ne ulla sororum illis audeat verbo vel facto reniti.

Confirmamus in suppriorissam eiusdem monasterii religiosam matrem sororem Rosam de Nos, alias de Monte Auriol, cum solita auctoritate et potestate, quam reliquae suppriorissae in eodem monasterio habere consueverunt.

Damus reverendissimo magistro nostro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, et eisdem addere vel minuere omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, praesertim vero circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus et circa reformationem conventuum, fratrum et monasteriorum monialium, secundum quod eius prudentiae videbitur expedire.

Concedit reverendissimus magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, ut pro una vice tantum eligere possint aliquem patrem sacerdotem, in nostro ordine ad audiendas confessiones expositum, qui ipsos absolvere queat ab omnibus peccatis, casibus et censuris, quae et quas ante horum publicationem incurrissent. Idem absolutionis beneficium conferre poterunt nostri ordinis monialibus ordinarii earum confessarii.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. admodum pp. diffinitoribus huius generalis capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae, ante celebrationem huius capituli damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen post talem eius damnationem ad meliorem frugem reversus, in ipsa nostra religione per notabile aliquod temporis spatium religiose vivendo tanto se favore dignum exhibuerit.

Praecipimus denique in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum, congregationum et vicariarum praesidentibus, ut acta huius capituli in omnibus conventibus suae curae subiectis, infra duos menses a receptione praesentium, legi et publicari faciant et inviolabiliter exequutioni mandari, et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio omnia, nullo praetermisso, legantur.

Mandantes insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu habeantur eorumdem exemplaria, quorum unum in communi deposito cum aliis consuatur, alterum habeant priores seu praesidentes conventuum, tertium conservent magistri novitiorum, ne quis praetextu ignorantiae eorum, quae pie sancita sunt, se possit excusare.

Volumus autem, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Capitulum generale sequens, quod erit diffinitorum secundum, celebrabitur in Hispania in conventu nostro s. Dominici amplissimae civitatis Ulixiponensis, vel ubi ex causa rationabili reverendissimo magistro ordinis videbitur.

Fratres et sorores, qui cum opinione sanctitatis obiere.

Inter patres nostrae provinciae utriusque Lombardiae, qui a proximo capitulo Romano 1612 obierunt, vir sanctitate insignis, miraculis vivens et post mortem clarus bonae memoriae rev. p. magister fr. Seraphinus a Porrecta (1) diem clausit extremum. Qui quanto prae caeteris virtute, doctrina et exaestimatione eminebat, eo de se humilius sentire, omnibus subesse, suique oblitum uni Deo vacare satagebat. A primo ingressu in ordinem usque ad extremam foelicissimi eius obitus diem regularis observantiae tenacissimus, vigilias, ieiunia, studia litterarum et reliquas ordinis sanctiones adeo coluit, ut quadraginta circiter annorum spatio septem mensium annis singulis continuum, quod sanctae Crucis ieiunium dicitur, nunquam nisi adversa valetudine afflictus solveret, praedicationi verbi Dei scholastica studia, in quibus mirifice profecit, coniungere satagebat et cum semel tardiori hora ab ecclesia quadam, in qua concionem habuerat, ad conventum reversus, fores clausas invenisset, ne intempesta nocte fratres excitaret, prae foribus ecclesiae sub die post longam orationem fessa membra humo reclinare maluit, quam vel fratres excitare vel ad saecularium domos seu hospitia divertere. Paupertatem adeo coluit, ut neque etiam vulgatissima numismata cognosceret. Quae sibi ab officiosissimis zelo et charitate praeditis insignis huius Bononiensis conventus praelatis et aliis officialibus obsonia abunde ministrabantur, vix pauca ad victum omnino necessaria assumebat, maiorem vero partem in Christi pauperes erogabat, magnum sibi lucrum arbitratus, ut ea ori suo detraheret, quibus egenos reficeret. In conventu Venetiarum viginti quatuor annorum spatio commoratus, fama constans est, inde ad Urbem, unica excepta edendorum in lucem sacrorum librorum causa, egressum non fuisse. Durissimo praeterea lecto, quandoque vero sella pro cubili usus et caloris patientissimus, nulla causa adduci potuit, ut lineis ad carnem uteretur et nullo frigoris rigore superatus ad ignem accedere, ultimae senectutis tempore excepto, vel eodem in cella sua uti

(1) De fr. Seraphino a Porrecta cf. SSOP. II, 392.

voluerit, ne eam occasionem nactus vel otioso verbo vel fractione silentii leviter conscientiam suam laederet. Tandem multis fractus laboribus et eruditissimis doctrinae ac pietatis suae in lucem editis sacris monumentis, felicissimum Deo spiritum reddidit anno aetatis suae 77. Ad cuius funus multitudo populi confluxit, et multis clarus miraculis ad honorificentiorem tumulum in ecclesia nostra s. Dominici Bononiensis translatus est.

In eadem provincia rev. p. fr. Franciscus Orsellus de Forlivio, nobilis genere, sed virtute nobilior, post annorum sexaginta trium curriculum, in Dei servitio, ieiuniis, vigiliis et reliquis ordinis nostri austeritatibus feliciter expletum, post exactam exemplarem ac laboriosam cum aedificatione subditorum gubernationem plurium conventuum et Romanae vicariae, feliciter obdormivit in Domino.

In provincia nostra Romana, Florentiae in monasterio nostro s. Catharinae Senensis, obiit venerabilis mater soror Theodora de Rosatis, sanctitate et, ut fertur, miraculis clara, quae in iuventute adversa valetudine affecta, usque ad trigesimum annum et supra, diuturna consumpta infirmitate et medicorum iudicio desperata prorsus valetudine, precibus sancti Hyacinthi, adeo miraculose incolumitati restituta fuit, ut quae iam moritura erat, e lecto statim prosiliens, integris membris et viribus mirantibus cunctis monialibus, ad chorum, ut Deo gratias redderet, properavit. Reliquum vero temporis singulari vitae austeritate transegit; humilitatem et sui contemptum eximie coluit, a vino semper abstinuit; numquam vel raro postea lecto cubavit, sed nudo tabulato vel humi sive in parva sede ad parietem inclinato capite brevem somnum coepit. Media nocte hiemis tempore, ad exemplum Seraphici Francisci inter nives se nudam proiecit, ubi per horam supra dimidiam, glacie exterius constricta et interius divino amore succensa, sponso suo himnos cecinit, flagellis et ieiuniis se affligebat, laboribus et officiis monasterii die occupata, nocte orationibus et gemitibus vacabat. Vixit in opinione sanctitatis apud principes et nobiles civitatis. Laetissime obiit, officio prioratus functa anno aetatis suae 53. die 9. februarii 1614. Ad cuius corpus factus est concursus populi, qui vestimenta eius veluti reliquias auferre conabatur. Puero coeco lumen et pluribus aliis infirmis sanitatem restituisse, et in vita ac post mortem aliis multis miraculis claruisse, constans est fama apud graviores viros et eiusdem monasterii sorores. Denique eius sanctitatem angelorum testimonio, qui se piis viris conspicuos fecerint, fuisse comprobatam, ferunt.

In provincia Aragoniae et regno Cathaloniae in conventu nostro Gerundensi facta est translatio corporis fr. Antonii Vincentii Domenec, qui cum opinione sanctitatis obiit anno Domini 1606. In cuius translatione per illustrissimum et reverendissimum d. episcopum Gerundensem

facta, tota civitas Gerundensis commota est letitia et gaudio prae summa ipsius erga tantum patrem devotione. Contigere etiam multa miracula, eiusdem patris intercessione patrata, inter quae illud memorabile est, quod cum presbyter quidam paralisi in pollice sinistrae manus laboraret, spectantibus praefato d. episcopo, clero et populo, ad tactum capitis venerabilis illius patris sanitatem recepit. Mulier etiam quaedam vidua, quae a multis annis absque fasciae lineae adminiculo incedere non poterat, coram praedicti patris corpore posita, sana et incolumis recessit, praedicta fascia ibi in signum relicta. Item puella septem annorum a nativitate paralitica cum a matre sua intra vetus sepulchrum, a quo venerabilis viri corpus translatum fuerat, posita fuisset, post octo dies, ipsa hora incolumis, se sola ambulavit et post aliquot alios dies, ut Deo et benefactori suo gratias ageret, in conventum nostrum venit et reverendissimo d. episcopo Gerundensi, ne tantum miraculum sospiretur, universam facti seriem enarravit. In dies autem adeo erga tanti viri reliquias crescit populi devotio, ut sacellum, in quo corpus defuncti inhumatum iacet, multis donariis argenteis ex voto nunc appensis circumtegatur.

In eodem regno Cathaloniae obiit venerabilis p. fr. Petrus Ioannes Guasch in sacra theologia magister, qui ab ipso ordinis ingressu futurae sanctitatis et observantiae regularis semper specimen dedit et quadraginta et uno annis quasi lux et splendor effulsit. Hic enim salutis animarum sitientissimus fuit, paupertatis adeo amator, ut nec ad usum libros haberet, itinera pedester conficiebat, in oratione ac vigiliis continuus erat, ieiuniis et disciplinis carnem iugiter affligebat. Beatissimae Virg. Mariae Matris Dei devotissimus omnem fere Cathaloniam sodalitiis sanctissimi Rosarii ditavit. His aliisque bonis operibus plenus obiit 31. aug. 1613 in conventu s. Raymundi de Pennafort, multis variisque laboribus per se fundato ac summa cum religionis observantia instituto.

In regno Valentiae et conventu sanctissimi Corporis Christi de Lucente die 27. mensis novembris 1614 migravit ex hac vita rev. p. Ioannes Alarcon, vir in magna aestimatione ab omnibus ob vitae sanctimoniam habitus. Hic in educandis novitiis mira dexteritate viguit; ante mortem magnos et inexplicabiles dolores patientia admirabili biennio passus est; sacra sinaxi refectus et extrema unctione communitus, ab adstantibus patribus petiit, ut ob reverentiam sanctarum undecim millium virginum, quas sibi ea periodo apparuisse creditur, ipsum in terra prosternere permitterent; humilis adeo fuit, ut honoris aliquid nunquam admittere voluerit; cum autem moribundus ad singula verba commendationis animae responderet, ut ad illa verba « suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi » deventum est, quievit in pace.

Audita eius morte magna populi confluxit multitudo, quae lacrymis suffusa vestimenta eius veluti sacras reliquias auferre conabatur.

In eodem regno Valentiae et conventu Valentino obiit venerabilis p. magister fr. Hieronymus Alcoçer, vir magna virtute praeditus et continua poenitentia adeo extenuatus, ut speciem quandam b. Ludovici Beltrandi prae se ferret; ad cuius mortem ingens populi confluxit multitudo, quae praecisas dicti patris vestes tanquam quid sanctum et pretiosum hucusque conservat.

In eadem provincia Aragoniae in coenobio s. Dominici Maioricarum 9. septembris 1613 obiit rev. p. fr. Iulianus Roig eiusdem insulae et conventus filius. Hic magnae sanctitatis et opinionis vir fuit, humilitate insignis, vitae exemplo mirabilis, in ieiuniis continuus; cathena ferrea iugiter corpus suum afflixit; pater fuit pauperum, tantique apud Deum meriti, ut nonnumquam in eius manibus panis creverit; et cum a domino Deo evocaretur, universa sponte et non vocata nec monita civitas, una cum reverendissimo suo episcopo, prorege, consiliariis, totaque nobilitate in ecclesiam nostram confluxerunt, ut ea pia corporis veneratione et vestium, quas inter se divisas tanquam reliquias venerantur, tanti viri sanctitatem testarentur. Post mortem venerabilis hic pater multis miraculis claruit, quae praefati reverendissimi domini episcopi iussu et patrum nostrorum studio, comprobata testibus et publicis consignita litteris, hinc inde passim colliguntur, quorum omnium et oblata munera et votivae aliquot in eius sepulcro appensae tabellae a saecularibus fidem manifestam faciunt.

In provincia sancti Iacobi de Mexico Indiarum Occidentalium obiit ven. p. fr. Petrus de Galarca natione Hispanus, qui per totum vitae suae tempus observantissimus fuit, humilitatis eximiae, mansuetudinis, modestiae, in pauperes charitatis, zeli ardentissimi divini honoris et devotionis erga b. Virginem exemplum se exhibuit omnibus singulare. Pene octuagenarius feliciter obdormivit in Domino et cum opinione magna sanctitatis; ad cuius venerabile funus plurimi cives Mexicani confluxere.

In provincia s. Antonini novi regni Granatensis Indiarum Occidentalium ven. p. fr. Dominicus de Angelis ob ingentes suas virtutes et ferventissimum erga religionem nostram zelum, ut in sanctitate et iustitia Deo optimo maximo inserviret, mortalem hanc vitam senio confectus cum immortali commutavit.

In provincia sancti Vincentii de Chiappa Indiarum Occidentalium inter patres sacerdotes obiit cum magna opinione sanctitatis in conventu sancti Dominici de Guatemala bonae memoriae rev. p. fr. Andreas del Valle, Vallisoletanus, filius originalis provinciae Hispaniae, praedicator generalis eiusdem provinciae sancti Vincentii, qui viginti et am-

plius annorum spatio inventus est integre, etiam in minimis, sacras constitutiones nostras servasse et integras quadragesimas, totidem annorum spatio, solo pane et aqua confecisse, pluresque dies absque ullo cibo transigisse, quin et ieiunium ante meridiem etiam in itineribus non solvebat nec cibum et potum vel aquae guttam gustabat; noctes orationibus vacans fere insomnes ducebat, bis singulis noctibus duro flagello usque ad sanguinis effusionem se affligebat, sacram theologiam viginti octo annorum spatio praelegit, ex provincialis officio, magistri novitiorum et aliis difficilioribus et humilioribus officiis addictus, fratrum suorum pedibus, vir Deo plenus et maxime humilis, substratus erat. Nulla re magis affligebatur, quam cum ea, qua apud omnes, sanctitatis opinione pollebat, laudaret, solo contentus sui contemptu; quo ductus, antequam ecclesiae fores aperirentur, summo mane, ut populi ad se confluentis concursum effugeret, devotissime divinum sacrificium celebrabat. Appropinquante felici eius transitu ad meliorem vitam, factus est magnatum, religiosorum omnium ordinum et totius populi ad ipsum, ut eius benedictionem reportarent concursus, nec ante duos dies ipsius corpus iam exanime tumulari potuit, semel ac iterum a devotissimo populo dilaceratis eius vestibus, quas pro reliquiis suscipiebant, denudatum. Quod et omnium acclamatione copiosissimisque lacrymis honorifice prope maiorem ecclesiae aram sepultum est. Viventem ac vita functum miraculis claruisse communiter ab omnibus fertur. Cuius beatissimi viri memoria in benedictione est.

In provincia sancti Hippoliti Martyris de Guaxaca Indiarum Occidentalium praeclarissimae virtutis specimen dedit bonae memoriae rev. p. fr. Iordanus de s. Catarina, filius provinciae Hispaniae, qui salutis animarum sitientissimus, praedicationi et doctrinae Indorum, ad quos profectus est, iugiter deditus, asperrima per rupes et montes itinera nudis pedibus conficiebat, unica vice diebus singulis refectionem sumens; a vino semper abstinuit, nunquam lecto cubavit, sed in scamno sedens brevissimo noctis spatio somnum capiebat, reliquum vero nocturni temporis in assiduis orationibus impendebat; multa ab ipso edita miracula narrantur et spiritu prophetiae fuisse praeditum fertur. Huic accedunt tres (!) alii patres religione, exemplo, virtutibus insignes, qui mortalem vitam cum celesti, ut pie creditur, commutarunt nempe pater magister fr. Franciscus D. Avila, p. fr. Andreas de Portas, p. magister fr. Petrus de la Cueva quondam provincialis, p. fr. Hieronymus de Abrego et p. fr. Didacus de Alarcon, vir magnae virtutis et castitatis munditia clarus.

Sed inter caeteros praestantissimae virtutis p. fr. Andreas de Cunillas in civitate Oaxacae ortus et per totam vitam virtutibus ornatus; praesertim per decem annos ante obitum maximis poenitentiis, ieiuniis

ac disciplinis se afflixit, super tabula panno laneo tecta cubavit; praelaturas semper declinans, officio magistri novitiorum functus, quadragesimo tertio aetatis suae anno vitam hanc mortalem cum coelesti gloria, ut pie creditur, commutavit. Religiosi ac seculares ad eius tumulum comfluentes, vestimentorum eius partes abstrahentes, quasi pretiosas reliquias sibi reservarunt.

P. fr. Ioannes Ochoa in eadem civitate ortus, vir plane apostolicus et magnus evangelicae praedicationis apud Indos minister, qui eorum linguas peroptime callens, eosdem Iesu Christo lucrifacere studuit. Quos sane verbo et exemplo sui mirifice docuit humillimus, mansuetus ac valde patiens, ieiuniis, disciplinis et itinera pedester conficiendo, carnem suam iugiter afflixit. Qui tandem plenus bonis operibus in Domino requievit, in magna sanctitatis opinione habitus.

P. fr. Benedictus Fernandez in conventu s. Michaelis de Achiutla et p. fr. Consalvus Lucero in conventu Dominae nostrae de Assumptione de Flaxiaco, cum in dictis locis per quadraginta circiter annorum spatium in conversione Indorum ad christianam fidem et iugi praedicationi evangelii ac instruendis baptizandisque iisdem et reliquis sacramentis ministrandis ardentissime intendissent, tandem postquam vita functi ad Dominum evolarunt, ab eisdem Indis, quos ipsi venerabiles patres Iesu Christo et ecclesiae sanctae filios pepererant, lapideis tabulis eorum monumenta in posteritatis memoriam ornata sunt.

In provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum insignis virtutibus claruit rev. p. fr. Ludovicus Gradullo, qui zelo propagandae fidei duabus vicibus regnum amplissimum Chinae ingressus et una vice regnum Conchinae multa vitae pericula gravissimaque incommoda passus est et septuagenarius sanctissimam Deo animam reddidit.

In provincia sanctae Catarinae Senensis inter caeteros cum opinione sanctitatis in conventu s. Dominici de Teate obiit rev. p. f. Nicolaus Mascius Perusinus, qui unus fuit ex primis fundatoribus reformatae congregationis s. Catarinae Senensis et diutius vivens plus omnibus fructuose laboravit. Triginta quinque annorum spatio officio prioris functus, duobus etiam annis vicarius generalis tunc congregationi praefuit, vir pauperrimus spiritu, obedientiae addictus et mentis corporisque candore perspicuus, ieiunia ordinis integra custodivit, a carnibus continuo abstinens, in seipso rigidus, aliis valde compatiens, pro necessitatibus hilariter indulgebat; praecipue vero erga infirmos tanta pietate pollebat, ut continua erga illos charitate et sollicitudine teneretur. In ultima aegritudine ultra mensem gravi afflictus morbo, optimum odorem eius cellula, lectus, vestimenta corpusque aegrum redolebant. In vita et usque ad obitum variis rebus adversis patientissime tolleratis et quasi vas auri

solidum, in camino ignis probatum, ad caelestem Domini mensam, ut pie creditur, utpote ad honorem divina manu fabricatum foeliciter translatum est. Eius porro defunctum corpus maxime nitidum purumque conspiciebatur et speciosius ac tractabilius, quam dum viveret. Quod ob confluentis populi ad ipsum prae devotione tangendum et osculandum, biduo insepultum, honorifico tandem tumulo conditum est; nec desunt viri religiosi, qui tanti patris meritis a suis infirmitatibus ad integram valetudinem se restitutos fuisse testentur.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Paulo papa V., qui ordinem nostrum mirifice fovet et diligit, et foelici statu s. Matris Ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Matthia et foelici statu Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege et regina quil. sac. un. missam.

Pro catholico et potentissimo Hispaniarum rege Philippo, principe et prole regia, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo rege Poloniae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Burghesio, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis quil. s. un. mis.

Pro principibus christianis, qui sub obedientia sedis apostolicae vivunt, ac pro bono totius christianae reipublicae quil. sac. unam missam.

Pro bono statu et reformatione totius ordinis nostri et pro eius capite reverendissimo magistro generali et in eius societate laborantibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro felici statu illustrissimae Urbis Bononiae et pro senatu, nobilibus et reliquis eius civibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus nostris et maxime pro his, qui huic capitulo eleemosynas elargiti sunt, quilibet sacerdos unam missam.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus bonae memoriae illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam nostro generali capitulo in suis testamentis reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a tempore praeteriti capituli generalis obierunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. un. mis. Ubi sacerdotibus una missa, aliis clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Finis.

ACTA CAPITULI GENERALIS ULYSSIPONE IN CONVENTU SANCTI DOMINICI ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SANCTISSIMAE PENTECOSTES III. IUNII ANNO DOMINI MDCXVIII.

Sub reverendissimo patre fr. Seraphino Sicco Papien., sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus rr. admodum pp. diffinitoribus:
admodum rev. p. magistro fr. Petro de Herrera diffinitore Hispaniae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Tourne diffinitore Tolosano,
admodum rev. p. magistro fr. Guillelmo Dudouyt diffinitore Franciae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Michaele Pio (1) Bononiensi diffinitore utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. magistro fr. Michaele Arrigo diffinitore Romano,
admodum rev. p. magistro fr. Ambrosio de Cordova diffinitore Regni,
admodum rev. p. magistro provinciali Angliae fr. Ioanne Baptista de Capriata diffinitore Angliae,
admodum rev. p. praesentato fr. Ioanne Bertran diffinitore Aragoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco Papa diffinitore Trinacriae,
admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Pereira diffinitore Portugalliae,
admodum rev. p. magistro fr. Ioanne de los Angeles diffinitore Bethicae,
admodum rev. p. mag. fr. Iacobo de Rocourt diff. inferioris Germaniae,
admodum rev. p. mag. fr. Francisco Spuerio a Montealto diff. Calabriae,
admodum rev. p. magistro fr. Ludovico Barroso diffinitore Mexicano,
admodum rev. p. magistro fr. Raymundo Poisson diffinitore Occitanae,
admodum rev. p. praedicatore generali fr. Balthasar Verdugo diffinitore s. Laurentii de Chile,
admodum rev. p. praed. gen. fr. Archangelo de Dominicis diff. Aprutino,
admodum rev. p. magistro fr. Gabriele Drohobics diffinitore Russiae.

---

(1) De fr. Ioanne Michaele Pio cf. SSOP. II, 540.

Universis et singulis patribus et fratribus ordinis praedicatorum frater Seraphinus Siccus Papiensis, sacrae theologiae professor et totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus s.

Pergit proculdubio sanctissima religio nostra in suis institutis feliciter, Deo benedicto favoris sui aura adspirante. Nos etenim pro nostri muneris debito diversas provincias perlustrantes, plurimos e propinquo saepe aspeximus religiosos, qui viam Dei, priscorum sanctorum patrum vestigiis praenotatam, magnis iisque continuis percurrunt itineribus. Neque tamen annuimus, quin, ut est labilis humana conditio, nonnulli sint, qui in incepto languent itinere et in hoc perfectionis stadio, quod currere ceperunt, vacillant et ruunt. Quod neque felicem religionis nostrae cursum remoratur, neque nos eorum emendationis spe destituit. Quis enim miles, etiam si cadat, non surgat, resonante tuba alacrior et animos viresque sumat a casu? En, huius generalis capituli tubam, aures vestras, o fratres, personantem. Curritis? incitamus. Vacillatis? hoc admonitionum et legum suflamine vos sistere nitimur. Sic currite, ut comprehendatis et ad illum supernae tranquillitatis portum perveniatis, qui efficit perfecte beatos.

Valete.

Acta capituli generalis Ulyssipone in conventu sancti Dominici ordinis praedicatorum celebrati in festo s. Pentecostes 3. iunii 1618 sub reverendissimo p. fr. Seraphino Sicco Papien., sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper Virginis et beati patris nostri sancti Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Inchoationes.

Inchoamus, ut primus versus hymni « Ave maris stella » flexis genibus in choro dicatur.

Inchoamus, ut in ecclesiis nostris sanctissimum eucharistiae sacramentum in uno tantum altari, maiori videlicet, asservetur. Quod si ob ministrandam populo sacram communionem sit in aliquibus provinciis inducta iamque approbata consuetudo, ut idem sacramentum in alio etiam sacello et altari custodiatur, mandamus, ut eidem sacro ministerio pater aliquis ex antiquioribus deputetur, qui semper sit paratus audiendis saecularium confessionibus et sollicite, quod ei in meritum sanctae obedientiae praecipimus, procuret, ut dictum sacellum et altare debito cum ornatu et decoro conserventur.

Confirmationes.

1. Confirmamus omnia acta capituli generalis proxime Bononiae praehabiti, nisi forte aliquid per acta huius capituli pro temporis opportunitate sit moderatum vel innovatum.

2. Confirmamus ordinationem illam, ut in missis etiam privatis, paulo ante consecrationem, pro elevatione divinissimi sacramenti cereus accendatur.

3. Confirmamus, id quod alias in capitulo Salmanticae 1551 statutum est et Romae 1571 suggerente etiam sanctissimo domino innovatum, ut videlicet novitii nonnisi in maioribus et gravioribus conventibus et ubi in rei veritate viget regularis observantia, non in minori quam senario numero instituantur. Quod si in minoribus conventibus fuerint aliqui recepti, statim ad graviores conventus mittantur educandi, ibique pro conventu, in quo sive pro quo habitum susceperunt, professionem facturi; quae omnia et singula in multis praeterea capitulis generalibus confirmata fuerunt.

4. Confirmamus ordinationem capituli Vallisoletani 1605, qua in hunc modum cautum est libertati electionum, quam tantopere sacra Tridentina synodus commendavit, consulere volentes strictissime mandamus observari, quod in capitulo generali Bononiae 1564 statutum fuit, ne videlicet provinciales in singulis electionibus aliquos eligendos ipsis electoribus proponant, nisi ubi specialis et urgens necessitas id postulaverit et non alias; tuncque non pauciores quam tres proponantur. Addentes, quod iidem provinciales nullo modo priores electos confirment vel cassent, nisi de graviorum patrum consilio et per eorum vota secreta, scilicet per calculos albos et nigros.

5. Confirmamus declarationem saepe alias factam et glosae constitutionum nostrarum distinctione secunda capite secundo insertam, eos videlicet non posse eligi in priores, qui chorum, dormitorium, refectorium et communia, prout decet, sequi non valent, addentes insuper decretum felicis record. Clementis papae VIII., in quo habetur: Ut ad officia, gradus et praelaturas illi praecipue eligantur, qui possint et consueverint regulas ordinis et constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium chori ac vestitum et victum communem.

6. Confirmamus id, quod in pluribus capitulis ordinatum, praecipue vero Valentiae 1596 ad memoriam revocatum est, ut videlicet magistri, baccalaurei et lectores memores sint eorum, quae habentur in declaratione nostrarum constitutionum distinctione secunda de studentibus circa doctrinam gloriosissimi doctoris nostri angelici d. Thomae Aquinatis, quam legere, declarare, sustentare et defendere tenentur; contrarium vero facientes, officio lectoratus et quocumque alio officio, gradu et dignitate perpetuo sint privati.

7. Confirmamus ordinationem disponentem, ut studentes extranei peracto triennii studio ad suas provincias revertantur, revocantes hoc decreto omnes licentias hactenus concessas remanendi in studio generali ultra triennium et aggravantes superiorum conscientias, quatenus hoc inviolate observari procurent.

8. Confirmamus ordinationem in quam plurimis capitulis generalibus stabilitam et tandem in capitulo Parisiis 1611 repetitam et confirmatam his praecisis verbis, quod nullus sub poenis in capitulo de graviori culpa contentis ac etiam sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, cuius absolutio magistro ordinis reservatur, directe vel indirecte divisionem ordinis aut institutionem vicarii generalis Indiarum quovis praetextu audeat vel praesumat procurare.

Declaratio.

Declaramus, quod priores biennales, qui post dominicam in septuagesima sui officii tempus explerent, in eo nihilominus perseverent, usquequo proximum sequens capitulum provinciale eiusdem anni fuerit celebratum.

Ordinationes.

1. Ordinamus, ut oleum sanctum in ecclesia vel sacristia, loco decenti et peculiariter ad hoc constructo, apposita propria inscriptione, nunquam vero in tabernaculo, ubi ss. Christi corpus adoratur, conservetur.

2. Ordinamus, ut in omnibus sacristiis nostris vel, si minus capaces illae fuerint, alio sacro loco ipsis contiguo oratoria aliqua decenter praeparata construantur, ubi patres sacerdotes celebraturi, sacra praemissa confessione et praevia oratione, digne et commode se disponere valeant.

3. Ordinamus et districte praecipimus patribus confessoribus sub poena suspensionis ab audientia confessionum, ut ob tanti decentiam sacramenti mulierum confessiones semper ex confessionalibus per minuta laminae ferreae vel alterius solidae materiae foramina excipiant, nunquam vero extra confessionalia neque aperta facie. Quod si qui hanc ordinationem et mandatum violare praesumpserint, mandamus patribus prioribus, eorum conscientias aggravantes, ut eadem suspensionis poena tales inobedientes puniant.

4. Ordinamus, ut unus tantum confessarius ordinarius cuique monasterio monialium deputetur aut duo ad summum, si ob multitudinem monialium id necesse fuerit; extraordinarius autem confessarius eisdem monialibus offeratur bis aut ter in anno iuxta decretum sacri concilii Tridentini.

5. Ordinamus, ne quis ratione novae assignationis possit eodem anno duos eligere priores nec socios pro capitulo provinciali, exceptis regen-

tibus, lectoribus et studentium magistris, qui studiorum promovendorum intuitu aliis conventibus assignati fuerint, et etiam supprioribus de novo institutis. Quae tamen exceptio non intelligatur de lectoribus casuum conscientiae.

Admonitiones.

1. Admonemus omnes nostri ordinis fratres, ut omnino servent decretum a sanctissimo d. nostro emanatum, quo prohibentur regulares accedere Romam sine licentia magistri ordinis sub poena privationis vocis activae et passivae et carceris formalis per sex menses.

2. Admonemus omnes et singulos nostri ordinis fratres tam praelatos quam subditos, ut accurate perpendant decretum a fel. recordat. Gregorio XIII. emanatum, quod Clemens papa VIII. confirmavit et extendit et demum sanctissimus d. noster Paulus papa V. sic extensum innovavit et roboravit, quo mandatur in virtute sanctae obedientiae omnibus nostri ordinis praelatis, ne ad instantiam quarumcumque personarum extra nostrum ordinem constitutarum quacumque dignitate vel excellentia fulgentium, cuivis nostri ordinis religioso ullam remittere poenam aut gratiam concedere, ullosve gradus, dignitates, officia, administrationes, functiones seu praelaturas conferre audeant. Quicumque autem eiusdem nostri ordinis religiosi, qui per huiusmodi mendicatos favores aliquid ex praedictis sibi procuraverint vel sibi sponte, ad instantiam et contemplationem dictarum personarum, oblatum receperint vel ad hunc effectum munera aliqua impenderint, ad talia et similia ac etiam maiora consequenda inhabiles apostolica auctoritate declarantur. Ideoque omnes securitati suae conscientiae prospiciant.

3. Admonemus pp. provinciales, ne faciles sint in eiiciendis religiosis ab ordine, sed considerent, quid sibi velit, hominem a religione expellere. Potius autem servent, quod traditur in declaratione cap. de graviori culpa, ut scilicet ipsi provinciales cum diffinitoribus vel cum quatuor provinciae patribus aut aliis, qui diffinitores fuerint, facinorosos puniant etiam poena triremium. Nunquam vero ob quodcumque crimen aliquem habitu exuant et a religione expellant nisi servata praecisa et integra forma nostrarum legum et constitutionum et de gravissimorum et doctissimorum patrum maturo consilio per vota secreta.

4. Admonemus rr. pp. provinciales, ne ad absolutionem priorum quoquomodo, ipsis inauditis, procedant, sed adhibito consilio duodecim patrum ex gravioribus vel, si non suppetat numerus, octo ad minus, de eorum voto secreto et non aliter causam decernant.

5. Admonemus omnes fratres nostri ordinis tam praelatos quam subditos, ut memores sint eorum, quae continentur in nostris constitutionibus dist. 1. cap. 18. tex. 5., quod videlicet quicumque crimina fra-

trum saecularibus personis extra obedientiam nostri ordinis constitutis revelaverit, unde fratri vel ordini infamia vel damna fuerint subsecuta, carcerali custodiae mancipetur; et quod huiusmodi ordinis destructores nonnisi per magistrum ordinis vel per capitulum generale possint liberari. Praecipimusque omnibus praelatis et provinciarum seu conventuum praesidentibus, ut huiusmodi delinquentes poenam in praedicta constitutione taxatam irremissibiliter subire compellant.

6. Admonemus omnes patres provinciales et priores, quibus monasteriorum monialium cura incumbit, ut procurent strictissime observari decretum s. conc. Tridentini, quo cavetur, ne sanctissimum Christi corpus intra chorum vel septa monasterii monialium conservetur, non obstante quocunque indulto seu privilegio.

7. Admonemus admodum rr. pp. provinciales et provinciarum vicarios et quoscunque capitulorum diffinitores, conformiter ad ea, quae in pluribus capitulis generalibus et praesertim in capitulo generali Romae celebrato anno 1589 sancita et declarata et Parisiis 1611 ad memoriam revocata sunt, non esse videlicet in potestate alicuius provinciae praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii non acceptare acta seu statuta capitulorum generalium, sed omnes et singulas provincias decretis et ordinatis in eisdem capitulis ita subiectas esse, ut unaquaeque earum teneatur ipsa acta in unoquoque conventu publicare, acceptare et inviolabiliter observare, utpote pro communi bono provinciarum, conventuum et fratrum facta, et, quatenus opus esset, auctoritate apostolica revocatam et annullatam fuisse quamcunque consuetudinem aut quodcunque aliud in contrarium existens.

Commissio.

Committimus rev. magistro ordinis, ut constitutiones nostras cum declarationibus et appendicibus, quas ipse apponi mandavit et nos in hoc capitulo generali communi consensu approbavimus et acceptavimus, quam primum praelo subiici et in lucem prodire in communem totius religionis commodum procuret.

Concessiones.

1. Concedit rev. pater n. magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem ad audientiam confessionum in nostro ordine expositum, qui ipsos possit absolvere ab omnibus censuris, casibus et peccatis, in quae ante horum publicationem incurrerint. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earum ordinarii confessarii.

2. Concedit idem rev. m. ordinis omnibus rr. admodum pp. diffinitoribus huius capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebratio-

nem huius capituli damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate et rectae vitae exemplo huiusmodi favore se dignum praestiterit.

In provincia Hispaniae.

Approbamus piam huius provinciae consuetudinem, qua, dum antiphona « Salve Regina » post completorium cantatur, ad illa verba « Eia ergo » etc. omnes fratres genua flectunt.

Approbamus ad petitionem provinciae erectiones locorum nostrorum de Cifuentes et de Potes in prioratus.

Acceptamus conventum monialium de Portacaeli Vallisoleti et approbamus conventiones et pacta inter d. Rodericum Calderon, marchionem septem ecclesiarum dicti monasterii fundatorem, et fratres nostrae provinciae Hispaniae inita super praedicti monasterii fundatione.

Promovemus ad gradum magisterii rev. p. fr. Didacum Giron. Ad praesentaturam autem rr. pp. fr. Franciscum de Arauxo (1), fr. Gabrielem Caicedo, fr. Didacum Rodriguez et fr. Franciscum de Araña, qui pro sua provincia in hoc generali capitulo conclusiones defendit. Ad praesentaturam vero titulo praedicationis promovemus rev. p. fr. Hyacinthum de Colmenares et fr. Garciam de Caravajal.

Instituimus in praedicatores generales p. fr. Illephonsum Fernandez (2) et fr. Ludovicum Manuel, servatis servandis.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Illephonsi Barrantes, fr. Ludovici Pinti, fr. Gabrielis Gonzalez et praesentaturam p. fr. Hyacinthi de la Plaça et praedicaturam generalem p. fr. Bernardi Gutierrez, salvis prov. iuribus.

In provincia Tolosana.

Admonemus, ut filii huius provinciae, qui vere apti et idonei fuerint, aliis praeferantur in electionibus ad prioratus eiusdem provinciae.

Committimus rev. magistro ordinis, ut in sua visitatione quoad durationem et reelectionem priorum pro sua prudentia opportune provideat, novitios in conventibus ad id aptioribus educari procuret et studia in conventu Burdegalensi pro iuvenibus provinciae, ut expedire iudicaverit, instituat.

Committimus et simul rogamus rev. n. magistrum ordinis, ut, cum urgente aliqua necessitate commissarios ad hanc provinciam destinare voluerit, tempus illis praescribat, ultra quod suam commissionem protrahere non possint; qui etiam priusquam aliquem suae auctoritatis actum exerceant, patentes litteras in ingressu provinciae ostendere et publicare teneantur.

---

(1) De fr. Francisco de Arauxo cf. SSOP. II, 609.
(2) De fr. Illephonso Fernandez cf. l. c. pag. 445.

Declaramus, quod fratres iuvenes huius provinciae possunt mitti ad studia generalia aliarum provinciarum, etiam ad Parisiense, donec fuerit in hac provincia erectum studium.

Admonemus rev. p. provincialem, ut de consilio graviorum patrum mittat aliquos religiosos, vita et moribus probatos ad conventum Brageracensem; in cuius aedificatione et instauratione reditus, qui superfuerint, consummantur neque in alios usus convertantur.

Declaramus ad petitionem eiusdem provinciae, quod pater magister frater Renatus Faber, qui modo est vicarius loci de Genisse, a vicariatu amoveri non potest, reverendissimo patre magistro ordinis inconsulto.

Ordinamus, ut confessarii monialium, tam ordinarii quam extraordinarii, iuxta sacri concilii Tridentini decreta concedendi, sint patres graviores et seniores atque in casibus conscientiae sufficienter instructi.

Fratres provinciae, qui cum debitis licentiis ad quemcumque conventum cuiusvis provinciae vel congregationis declinaverint benigne recipiantur et hospitali charitate tractentur.

Promovemus ad gradum magisterii ad petitionem huius provinciae rr. pp. fr. Ioannem Dugier et fr. Antonium Labat, servatis servandis et salvis iuribus provinciae.

In provincia Franciae.

Admonemus rev. p. provincialem tum praesentem tum pro tempore futurum, ut reformationi suae provinciae totis viribus incumbat et studia promoveat in conventibus, ubi vigere possunt.

Declaramus, quod fratres non possunt sine licentia legitima egredi propriam provinciam nec etiam praetextu se transferendi reformationis gratia ad aliam provinciam vel congregationem.

Committimus et, quantum possumus, obnixe rogamus r. p. nostrum mag. generalem, quod rev. p. provinciali super regulari observantia et reformatione diligenter et cum fructu evigilante, conventus provinciae ab ipsa nequaquam separet.

Admonemus rev. p. provincialem, quod, si patres magistri seu graviores in priores etiam miserabilium conventuum electi et confirmati fuerint, ipsos patres gravioribus poenis et censuris prioratus illos, nisi alias subsistentem et legitimam causam pro se adduxerint, acceptare compellat.

Approbamus magisteria admodum r. p. fr. Guillelmi Duduit, huius capituli diffinitoris, et p. fr. Ioannis Pelerin eius socii.

Approbamus etiam lecturam sententiarum pp. fr. Io. Champenois, fr. Nicolai de la Mare et fr. Philippi Moustier in universitate Parisiensi.

In provincia utriusque Lombardiae.

Ad petitionem provinciae statuimus, ut in posterum admittendi ad

baccalaureatum iuxta consuetudinem antiquam unum saltem actum baccalaurei in studio Bononiensi exercere debeant.

Item ad petitionem provinciae ordinamus, ut qui deinceps acceptabuntur a pp. provinciae in magistros provinciae, non peracto in studio Bononiensi baccalaurei munere, loco non gaudeant neque voce, nisi completo tempore, quo idem munus exercere debuissent, computando a tempore acceptationis. Quod si contingat, plures simul approbari in magistros, biennium baccalaureatus secundi approbati incipiat seu incipere intelligatur post biennium expletum primi, biennium tertii expleto biennio secundi et sic deinceps, ita tamen, ut qui actu in officio baccalaureatus inservierint, caeteris omnibus loco et voce praeferantur, nisi magister ordinis propter rationabiles causas aliter expedire iudicaverit.

Ad instantiam provinciae s. Petri Martyris commendamus conventum Bonifacii in insula Corsica rev. admodum provinciali huius nostrae provinciae utriusque Lombardiae eiusque curae illum committimus, dummodo a capitulo provinciali eiusdem provinciae Lombardiae acceptetur.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. lectores fr. Hieronymum de Neapoli, fr. Hyacinthum de Bergomo, qui in hoc capitulo pro hac sua provincia conclusiones sustinuit, et fr. Dominicum de Tossignano socium admodum rev. p. procuratoris in curia.

Acceptamus magisterium admodum rev. p. fr. Sixti de Mutina cum loco et voce, et approbamus magisteria admodum rr. pp. fr. Hieronymi Bariae de Bononia, inquisitoris Regii, p. fr. Pii de Bononia inquisitoris Anconae, p. fr. Thomae de Tabia inquisitoris Arimini, p. fr. Stephani de de Vidigulfo socii reverendissimi p. generalis, p. fr. Stephani ab Aurea, p. fr. Hippoliti Mariae Donzelli inquisitoris Vercell., p. fr. Augustini de Regio inquisitoris Cremae, p. fr. Agapiti de Crema, fr. Ioannis Michaelis de Bononia huius capituli diffinitoris, fr. Ioannis Mariae de Garrexio (1) et fr. Ambrosii de Tabia, salvis iuribus suae provinciae.

Approbamus affiliationes p. fr. Hippoliti de Quinciano pro conventu Gratiarum Patavino, admodum rev. p. magistri fr. Hieronymi de Camerino pro conventu s. Dominici Mantuano et p. lectoris fr. Egidii Portae de Verona pro conventu s. Anastasiae de Verona, servatis tamen omnibus, in litteris patentibus affiliationum expressis, et non aliter.

In provincia Romana.

Damus in regentem studii nostri Querquensis pro annis proxime futuris rev. p. fr. Thomam Mancinum baccalaureum, quem etiam ad magisterium promovemus, servatis servandis et salvis provinciae iuribus. In

---

(1) De fr. Ioanne Maria de Garrexio cf. SSOP. II, 428.

baccalaureum vero ordinarium damus p. fr. Modestum Almonium et in magistrum studentium p. fr. Petrum de Corsanea.

Acceptamus magisterium rev. admodum p. fr. Michaelis de Arrighis, huius capituli diffinitoris, cum loco, voce et privilegiis provinciae, dummodo non obstet indultum aliquod apostolicum pro hac provincia alias emanatum.

Promovemus ad magisterium admodum rr. pp. fr. Dominicum Gorum (1), fr. Andream de Berincasis et fr. Reginaldum Cellium, salvis iuribus suae provinciae.

Acceptamus praedicaturam generalem fr. Hyacinthi Stephanii cum voce gratiisque aliis, dummodo non obstet indultum aliquod apostolicum; et approbamus praedicaturam generalem p. fr. Dominici Biagii, salvis iuribus suae provinciae.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Dominici de Barberano, fr. Dominici de Grassis (2), fr. Archangeli de Baldinis, fr. Iacobi de Cotta, fr. Ambrosii de Brandis, fr. Nicolai de Rodulfis (3), eius lecturam approbantes pro gradu et forma baccalaurei in collegio Romano secundum consuetudinem huius provinciae, fr. Timothei de Riccis et fr. Gregorii de Ursinis, instituti a s. d. n., ut nobis relatum est, salvis iuribus provinciae.

Approbamus magisteria studentium, quae exercuerunt rev. p. mag. fr. Thomas Caccinus in collegio Romano et p. fr. Franciscus Chiadinus in studio Querquensi.

In provincia Regni.

Committimus rev. p. n. magistro ordinis, ut in hac provincia et in congregatione Sanitatis ea decernat, quae pro sua prudentia pacis et observantiae regularis conservationi opportuna iudicaverit.

Promovemus ad magisterium ad petitionem provinciae rr. pp. fr. Archangelum de Pontecurvo et fr. Ioannem Baptistam de Caserta baccalaureos, servatis servandis et salvis iuribus suae provinciae, et, eisdem adiunctis conditionibus, promovemus ad baccalaureatum pp. lectores fratrem Marcum Antonium de Neapoli, fr. Theodorum de Balneolo, fr. Hieronymum Bongiorno, fr. Hyacinthum de Bellis et fr. Adeodatum Boczellinum.

Pro congregatione autem Sanitatis ad eiusdem congregationis petitionem promovemus ad magisterium pp. baccalaureos fr. Cornelium de Avitabili de Neapoli (4), fr. Octavianum de Neapoli et fr. Dominicum de Neapoli magistrum novitiorum in conventu Sanitatis, dummodo iste sustineat regentiam in conventu Cosentino.

---

(1) De fr. Dominico Goro cf. l. c. pag. 415.
(2) De fr. Dominico de Grassis cf. l. c. pag. 425.
(3) De fr. Nicolao de Rodulfis cf. l. c. pag. 457.
(4) De fr. Cornelio de Avitabili cf. l. c. pag. 485.

Damus in baccalaureum ordinarium p. baccalaureum fr. Antoninum de Camarota.

Confirmamus, ut lectio textus s. Thomae habeatur in conventibus Neapolitanis s. Petri Martyris et sancti Spiritus.

Statuimus, quod nullus possit assignari in studio formali s. Dominici patrum Sanitatis, nisi triennio expleto in textu s. Doctoris in praedictis conventibus, et nisi conclusiones ex universa philosophia defenderit, alias talis assignatio nulla sit pro officio lectoratus obtinendo.

Declaramus iuxta nostras constitutiones, quod patres provinciales, expleto officio, habent locum super omnes alios fratres congregationis respective.

In provincia Theutoniae.

Committimus p. nostro rev. magistro ordinis, ut quam primum fieri poterit, duodecim fratres ex provinciis Hispaniarum ad hanc provinciam Theutoniae dirigat, quorum aliqui novitiis educandis sint apti, caeteri vero legendo et docendo fratres ibi commorantes philosophicis et sacris litteris instruere valeant.

Committimus admodum rev. p. m. fr. Thomae Marino, provinciali Terrae sanctae in hanc provinciam a rev. n. m. ordinis visitatori destinato, ut monasterium monialium Vallis s. Catharinae, quod Diessenoffem nuncupatur, nisi sorores illae clausuram admittant et obedientiae ordinis, ut par est, se subiiciant ill. ac rev. ordinario moderandum renuntiet.

Confirmamus ordinationes a praedicto admodum rev. p. visitatore factas pro istius provinciae regulari observantia et regimine.

In provincia Poloniae.

Confirmamus ordinata in capitulis Romano 1612 et Bononiensi 1615 pro hac nostra provincia.

Damus in regentem nostri studii generalis Cracoviensis rev. p. m. fr. Lucam Samotulium, in baccalaureum p. fr. Camillum Iasinsk (1), et concedimus rev. p. provinciali et diffinitoribus provincialis capituli, ut possint quolibet anno providere de magistro studentium in dicto studio, habita tamen ratione, non quidem antiquitatis, sed sufficientiae in litteris, et servatis omnibus servandis iuxta ordinationes capitulorum generalium.

Promovemus ad baccalaureatum p. fr. Georgium Trebnic lectorem et p. fr. Sventoslaum Silvichi lectorem, hac tamen conditione quoad p. Sventoslaum, ut primo fungatur officio magistri studentium.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Fabiani Bircovii (2), salvis suae provinciae iuribus.

---

(1) De fr. Camillo Iasinsk cf. SSOP. II, 536.
(2) De fr. Fabiano Bircovio cf. l. c. pag. 542.

Assignamus in studio Salmanticensi pro loco primo vacante p. fr. Augustinum de Varsovia.

In provincia Graeciae.

Concedimus provinciae nostrae Graeciae ad sui petitionem et instantiam, ut eligere sibi possit provincialem, dummodo habeat sufficientiam vocalium iuxta dispositionem nostrarum legum, constitutionum et capitulorum generalium, et non aliter.

Ad petitionem eiusdem provinciae instituimus baccalaureum, servatis omnibus servandis, p. lectorem fr. Hyacinthum Cita nostrae provinciae s. Dominici, socium p. admodum rev. provincialis provinciae Graeciae.

In provincia Aragoniae.

Erigimus in prioratum, servatis servandis, domum nostram s. Dominici Villae de Incha, cui praeficimus in priorem p. fr. Franciscum Berart, instituentes in praedicatorem generalem pro eodem conventu p. fr. Christophorum Fiol.

Item erigimus in prioratum domum nostram beatae virginis de Rosario in regno Maioricarum, servatis servandis, et damus pro hac vice in priorem illius p. fr. Iacobum Cifre; in praedicatorem vero generalem instituimus pro eodem conventu p. fr. Antonium Gacies.

Committimus rev. n. magistro ordinis, ut in sua visitatione circa erigendam domum s. Mariae del Pilar in prioratum pro sua prudentia decernat.

Committimus rev. p. provinciali, ut opportune provideat, ne collegium Dertusae magis, quam aequum sit, in expensis gravetur.

Confirmamus ordinationes, quas rev. n. magister ordinis in sua visitatione reliquit pro conventu s. Ildephonsi Caesaraugustae, admonemusque priores illius conventus, ut voluntatem testatoris inviolate adimpleant.

Acceptamus conventum monialium Calataiubii, fundatum a perillustri d. Iosepho de Palafox, catholici regis capellaneo et ecclesiae Caesaraugustanae canonico, cum pactis et conditionibus inter ipsum et provinciam Aragoniae initis, admittentes eundem dominum fundatorem, tamquam ordinis nostri singularem benefactorem, in vita pariter et in morte ad participationem omnium bonorum spiritualium totius ordinis nostri.

Confirmamus ordinationem saepe factam, ne duo fratres carnales sibi in prioratu succedant, neque supprior sit frater prioris; quam ordinationem ad moniales extendimus.

Provisionem moderatorum pro studiis et lectorum pro conventibus sicut caetera alia in hac provincia disponenda ad p. rev. n. magistrum ordinis referimus, ut ipse in reditu ad hanc eandem provinciam pro sua prudentia omnia, ut expedire iudicaverit, perficiat.

Promovemus ad praesentaturam, servatis servandis et salvis suae provinciae iuribus, p. fr. Franciscum Palau, qui in hoc capitulo pro sua provincia conclusiones sustinuit, et p. fr. Franciscum Ximenes et p. fr. Vincentium Noguera, dummodo pro omnibus istis vere et realiter vacet locus.

Instituimus in praedicatores generales p. fr. Bernardum Bonet, p. fr. Antonium Gacies et p. fr. Christophorum Fiol, servatis servandis.

Approbamus omnes gradus a capitulo generali immediate praeterito usque ad istud rite concessos et a provincia acceptatos, salvis eius iuribus.

In provincia Provinciae.

Statuimus, ut circa Aquensem conventum nihil innovetur praeter iam statuta a p. rev. n. magistro ordinis, sed in sua iam incepta strictiori observantia fratres ibi commorantes progrediantur.

Promovemus ad gradum praesentaturae, sic petente provincia, p. fr. Hyacinthum Taon et p. fr. Hyacinthum Moneirum, servatis servandis; huncque damus in regentem eiusdem conventus, dummodo prius in hoc generali studio s. Dominici Ulyssiponensis examinetur.

Admonemus simulque mandamus, ut in recipiendis ad habitum pueris et instituendis praedicatoribus generalibus decreta apostolica et leges nostrae observentur.

Committimus p. n. reverendissimo, ut ad dictum conventum Aquensem aliquem commissarium dirigat, qui in eo studia instituat in caeterisque provideat, quatenus novissime opus esse videtur.

In provincia Trinacriae.

Confirmamus, ut studentes a patribus moderatoribus quolibet anno examinentur et inepti priventur studio et in aliis officiis occupentur, ut ordinatum fuit Romae 1608.

Admonemus, ut decretum apostolicum servetur, quo fratres prohibentur Romam ire absque speciali magistri ordinis licentia.

Ad petitionem provinciae erigimus in prioratus loca s. Dominici de Castrienne et s. Spiritus Marsaliae, servatis omnibus et singulis servandis iuxta constitutiones apostolicas et leges nostras.

Damus in regentem nostri studii s. Dominici de Panormo illum, quem p. rev. magister ordinis iudicaverit idoneum, in baccalaureum ordinarium p. baccalaureum fr. Thomam Galuzzo de Panormo et in magistrum studentium p. fr. Thomam Foresta, servatis servandis.

Damus in regentem studii nostri s. Dominici de Messana rev. p. fr. Hyacinthum de Luna magistrum, in baccalaureum vero et magistrum studentium, eos quos pro iis muneribus reverendissimus magister ordinis delegerit.

Ad petitionem provinciae promovemus ad magisterium, servatis servandis et salvis provinciae suae iuribus, rr. pp. fr. Thomam Galuzzo, fr. Hieronymum Ismargio, fr. Iosephum Ferrara, fr. Ioannem Baptistam Capello. Ad baccalaureatum vero cum eisdem conditionibus rr. pp. fratres Decium Labarca, fr. Vincentium Riccobene, fr. Thomam Foresta et fr. Petrum Navida.

Assignamus in conventu Bononiensi pro loco primo vacante pro rata suae provinciae p. fr. Franciscum Spuces de Taurmenio et p. fr. Augustinum Spuces de Taurmenio.

In conventu autem s. Dominici de Neapoli simili modo assignamus p. fr. Hyacinthum de Cifaludo et p. fr. Bonaventuram de Messana. In conventu vero s. Dominici de Messana assignamus pro loco primo vacante p. fr. Vincentium de Noto et p. fr. Vincentium de s. Philippo.

Supernumerales in conventu s. Dominici de Messana erunt p. fr. Dominicus de Casali vecchio et p. fr. Hieronymus de Messana, accedente consensu p. provincialis.

In provincia Portugalliae.

Confirmamus ea omnia, quae a reverendissimo magistro ordinis ordinata fuerunt in visitatione huius provinciae.

Promovemus ad magisterium ad petitionem provinciae rr. pp. praesentatos fr. Georgium Pinheiro, fr. Antonium de Escusa, fr. Ignatium Galvao et fr. Emanuelem Tenes, servatis servandis et salvis suae provinciae iuribus; quibus conditionibus ad praesentaturam promovemus p. fr. Emanuelem Rabelo, fr. Antonium de Nativitate, fr. Mauritium de Cruce et fr. Ioannem de Vasconcellos (1), qui pro hac sua provincia conclusiones defendit, et fr. Christophorum de Brito ad titulum praedicationis.

Ad petitionem provinciae instituimus in praedicatores generales pro locis vacantibus, iuxta ordinem antiquitatis suae professionis, et non aliter, p. fr. Ludovicum Ribeiro, fr. Gonçalez de s. Hyacintho, fr. Iosephum de Silva, fr. Antonium de Angeles, fr. Gasparum de Gois et fr. Georgium Coello, dummodo primo examinentur et approbentur per vota secreta a quinque patribus magistris.

Confirmamus omnia ordinata per reverendissimum magistrum ordinis pro congregatione orientali, pro qua ad magisterium promovemus p. praesent. fr. Hieronymum de Paisaom, ad praesentaturam p. fr. Emanuelem de s. Raimundo et ad praesentaturam titulo praedicationis p. fr. Franciscum de Avelar, dummodo omnes isti habeant requisita, et servatis servandis salvisque suae provinciae iuribus, ea etiam adiuncta con-

(1) De fr. Ioanne de Vasconcellos cf. SSOP. II, 570.

ditione, ut omnes praedicti maneant in illa congregatione et ei ad sexennium saltem inserviant.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis Baptistae et fr. Simonis de Luce.

In provincia Betica.

Declaramus, quod in capitulo tantum electionis a p. provinciali et pp. diffinitoribus instituantur praedicatores generales, qui tamen in eodem capitulo vocem non habeant.

Confirmamus ordinationes capitulorum generalium Parisiensis et Bononiensis quoad auctoritatem patrum in congregationibus intermediis unitorum; declarantes electionem diffinitoris pro capitulo generali habendam esse in capitulo provinciali iuxta dispositionem nostrarum constitutionum et non aliter.

Committimus rev. p. n. magistro ordinis, ut in visitatione huius nostrae provinciae curet erigi domos novitiorum in illis tantum conventibus, quos ad id accommodatos censuerit, et terminet controversiam circa collegium nostrum Reginae angelorum in civitate Hispalensi, an scilicet ad formam conventus sit reducendum.

Deputamus conventum de Alcala de los Ganzules pro educandis novitiis Anglis, ut etiam a capitulo provinciali huius provinciae decretum fuit, servatis servandis iuxta constitutiones nostras.

Admonemus, quod nullus promotus vel promovendus ad gradum magisterii vel praesentaturae vel ad praedicaturam generalem potest neque debet gaudere titulo nec loco nec voce neque aliis gratiis vel privilegiis, nisi sint servata et serventur omnia et singula expressa in nostris constitutionibus et litteris apostolicis sub poenis in eisdem contentis. Et committimus reverendissimo magistro ordinis, ut in sua visitatione provideat et ordinet ea, quae circa huiusmodi gradus pro bono statu huius provinciae iudicaverit expedire.

In provincia inferioris Germaniae.

Statuimus, ut quot sunt numero conventus, tot et non plures sint praedicatores generales iuxta constitutiones nostras. Inter huiusmodi autem praedicatores generales concedimus, ut gaudeant quatuor eximii, qui fuerint designati a pp. provinciali et diffinitoribus gradu praesentaturae, modo habeant requisita et talis sit huius provinciae usus.

Promovemus ad magisterium rev. p. fr. Toffanum Walterii, servatis servandis et salvis provinciae suae iuribus, et ad praesentaturam titulo praedicationis p. fr. Hieronymum Valvanum praedicatorem generalem, dummodo habeat requisita.

Instituimus praedicatores generales p. fr. Iodocum Cabilio, p. fr. Ioannem Locquet et p. fr. Petrum Dens.

Ad petitionem diffinitoris damus in lectores pro prima vacante cursus artium Duaci p. fr. Marinum Ambrosium a Capello et p. fr. Ioannem Roman.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Ioannis de Loiz (1), p. fr. Henrici et p. fr. Ioannis Bocquet; et baccalaureatus p. fr. Thomae Plancham, fr. Ioannis Dumes, fr. Iordani Ocsien, fr. Andreae a Turri et fr. Petri du Fay (2).

Admonemus, ut iuxta saepius ordinata in capitulis generalibus decretum electionis diffinitoris pro capitulo generali sit authenticum, et petitiones provinciae ad idem capitulum mittendae signentur sigillo provinciae et subscribantur a pp. provinciali et diffinitoribus provincialis capituli.

Decernimus, ut non augeatur numerus monialium conventus Tegularensium prope Attrebatum, nisi dotem tribuerint duplicatam iuxta decretum pontificium. His vero monialibus concedimus, ut festum s. Margaritae sub toto duplici celebrare possint, non intermisso tamen officio b. Virginis.

In provincia s. Thomae Apuliae.

Ordinamus, ut in conventibus, ubi est sufficiens eligentium numerus, priores per electionem fiant, nullaque vocalium, ad cavendas fraudes, voci suae renuntiare possit. Nolumusque, ut priores conventuum, qui in provinciali capitulo suis prioratibus renuntiaverint, in eodem capitulo assumi possint in priores conventuum.

Damus vicariae Capitanatae conventus Luceriae et Fogiarum; vicariae terrae Barrii conventus Andriae, Bitonti, Medicae et Barrii; vicariae Basilicatae conventus Altamurae, Gravinae, Materae et Griptolarum; vicariae autem Otranti conventus Licei, Neritoni, Tarenti et Mesapiae.

Declaramus, quod si contingat conventum Ferrandinae respuere filiationes fratrum ad se, antequam congregationi Sanitatis uniretur, pertinentium, vel ipsos fratres suam pro dicto conventu affiliationem recusare, stante ambarum partium consensu, dicti fratres pertineant ad hanc provinciam s. Thomae, cui dictus conventus erat iam incorporatus.

Ad petitionem provinciae concedimus conventui Andriae, qui ob paupertatem generale studium conservare non potest, ut quotannis summa et subsidio centum ducatorum a commodioribus conventibus exigendorum sublevari possit, accedente tamen assensu rev. p. provincialis et patrum diffinitorum capituli provincialis necnon graviorum patrum magistrorum provinciae.

---

(1) De fr. Ioanne de Loiz cf. SSOP. II, 589.
(2) De fr. Petro du Fay cf. l. c. pag. 504.

Damus in baccalaureum ordinarium studii nostri s. Ioannis de Licito pro gradu et forma p. fr. Thomam de Grumo.

Promovemus ad gradum praesentaturae rr. pp. fr. Vincentium Carmelingum de Ferrandina, p. fr. Benedictum de Tarento, p. fr. Antonium de Martina et fr. Vincentium de Castellaneto, dummodo a futuro capitulo provinciali acceptentur, et nulli geratur praeiudicium servatisque servandis.

Assignamus in studentes pro rata provinciae in studio Bononiensi fr. Michaelem de Barrio et fr. Iordanum de Mola, in studio s. Dominici de Neapoli fr. Thomam de Altamura et fr. Ioannem Baptistam de Tarento, in studio vero Patavino p. fr. Ioannem Baptistam de Uria et p. fr. Thomam de Vallio, dummodo in dictis studiis sint loca vacantia.

In provincia Calabriae.

Ad petitionem provinciae damus in regentem studii nostri Cosentini rev. p. fr. Dominicum Scopa de Neapoli, in cuius defectum rev. mag. ordinis providebit. In baccalaureum autem ordinarium damus p. fr. Vincentium de Radicena et in magistrum studentium pro primo anno p. lectorem fr. Dionisium de Briatreo, pro secundo anno p. fr. Franciscum de Monteleone lectorem et pro tertio p. lectorem fr. Dominicum de Moio, servatis servandis iuxta ordinata in capitulis generalibus.

Ad petitionem provinciae promovemus ad magisterium pp. fr. Paulum de Monteleone, p. fr. Franc. de Strangulo et p. fr. Hieronymum de Suriano, servatis servandis et salvis suae provinciae iuribus, dummodo habeant requisita; quibus conditionibus ad praesentaturam promovemus p. fr. Vincentium a Grottarea, p. fr. Vincentium de s. Georgio, p. fr. Petrum de Francavilla, p. fr. Thomam de Faiano et p. fr. Gregorium a Neocastro.

Instituimus in praedicatores generales p. fr. Petrum Mussium de Monteleone, p. fr. Hyacinthum de Neocastro, p. fr. Dionisium de s. Georgio et p. fr. Ioannem Paulum de Montealto, modo habeant requisita et sint realiter loca vacantia pro his praedicaturis generalibus.

In provincia s. Crucis.

Attenta provinciae huius paupertate, ad ipsius petitionem concedimus, quod eius fratres ad provincias Hispaniarum cum licentia reverendissimi magistri ordinis studii causa transmeantes nullas solvere teneantur contributiones conventibus seu studiis, in quibus erunt assignati.

Acceptamus ad ipsius provinciae petitionem conventum novum s. Antonii in civitate Cumana et alterum s. Dominici de Portacaeli in insula de Portorico, servatis servandis.

Mandamus omnibus et singulis patribus et fratribus ad civitatem Abana declinantibus, ne ullo modo extra conventum nostrum pernoctent, aliter a praesidente dicti conventus severe puniantur.

Ad petitionem provinciae promovemus ad magisterium p. fr. Io. Maldonatum regentem universitatis sancti Dominici insulae Hispaniole, ad praesentaturam autem p. fr. Adrianum de Padilla, p. fr. Ioannem Cancer et p. fr. Stephanum de Zamora, servatis servandis.

In provincia s. Iacobi de Mexico.

Admonemus p. provincialem, ut in posterum mittat ad generale capitulum per diffinitorem petitiones provinciae a se ipso et diffinitoribus firmatas et sigillo provinciae munitas iuxta constitutiones nostras.

Admonemus, fratres non posse iuxta pluries ordinata ex istis provinciis ad Hispaniarum regna transire nisi de sola licentia magistri ordinis, quem rogamus, ut disponat, huiusmodi licentias, si quando aliquas urgente necessitate concesserit, nullius fore valoris, nisi proprius provincialis praebuerit consensum in scriptis.

Decernimus, ut praesentaturae titulo praedicationis in hac nostra provincia supprimantur, postquam tales praesentati hodierni defecerint, nullusque deinceps tali gradu nec titulo gaudeat, nisi per viam lectoratus promotus fuerit iuxta constitutiones nostras.

Ad petitionem provinciae concedimus, ut conversi peracto probationis anno profiteri possint, ut antea consuetum erat.

Acceptamus praesentaturas p. fr. Io. de Quexada et p. fr. Ioseph de Cruce, dum tamen accedat consensus capituli provincialis celebrandi et maioris partis patrum provinciae.

Promovemus ad magisterium patrem fr. Didacum Pacheco et p. fr. Franciscum Arevalo, dummodo acceptentur a capitulo provinciali ut supra, et ad praesentaturam promovemus p. fr. Damianum de Porras, servatis servandis.

Instituimus in praedicatores generales p. fr. Illephonsum de Avila pro natione Mexicana, salvis iuribus suae provinciae et servatis servandis, et fr. Ioannem de Esquivel pro loco primo vacante, salvis iuribus suae provinciae et servatis servandis.

Admonemus omnes, nostram non esse intentionem promovere aliquem, qui alias fuerit condemnatus ad poenas gravioris culpae, nisi in capitulo provinciali per diffinitores et patrem provincialem caeterosque graviores patres per vota secreta fuerit restitutus.

In provincia s. Ioannis Baptistae del Pirù.

Concedimus, ut in conventibus s. Rosarii de Lima, s. Dominici de Cusco, s. Dominici de Chuquisaca et s. Dominici de Potosi et s. Mariae Magdalenae de Lima praecipue filii provinciae in priores eligantur.

Item ordinamus ad petitionem provinciae, quod in ea nequaquam recipiantur ad habitum neque clericalem neque laicorum, qui ex Mauris, haereticis atque Iudaeis usque ad quartam generationem originem tra-

xerint, neque qui vulgo mulatos et mestiços nuncupantur, sicuti neque qui per sanctissimum inquisitionis tribunal abiuratione formali reconciliati fuerint.

Confirmamus ordinationem capituli generalis Vallisoletani, ut scilicet singulis annis dimidium sinodorum investiatur et expendatur ad possessiones vel census perpetuos emendos pro sustentatione conventuum..

Mandamus, instante provincia, quod commissarii, qui a rev. magistro ordinis mittentur, antequam suae auctoritatis actum ullum exerceant, in conventu de Lima litteras suae commissionis publicare teneantur.

Decernimus, ut qui sine licentia per provinciam vagantes reperti fuerint, omnibus eleemosinis, quas intra terminos huius provinciae collegerint, a p. provinciali priventur, et conventibus tenuioribus applicentur.

Confirmamus ordinationem saepe factam, quod nullus Lusitanus ad habitum recipiatur nisi praehabito a p. provinciali nostraė provinciae Portugalliae legitimo testimonio puritatis sanguinis.

Confirmamus etiam, ut duo fratres carnales sibi invicem in prioratibus tam provincialibus quam conventualibus succedere minime possint.

Prohibemus, ne fratres carnales et germani actualium provincialium in Hispaniam titulo procuratorum vel diffinitorum generalis capituli mittantur.

Promovemus ad gradum magisterii rr. pp. praesentatos fr. Sebastianum Ramos et p. fr. Franciscum Mexia, servatis servandis et dummodo nihil obstet in contrarium. Ad praesentaturam autem cum similibus conditionibus et dummodo actualiter et realiter modo vacet locus, promovemus p. fr. Bartholomaeum Martinez titulo praedicationis, si tamen talis sit provinciae consuetudo. Itemque ad praesentaturam promovemus p. fr. Ferdinandum de Caravajal, p. fr. Ludovicum de Bilbao, p. fr. Michaelem de Leon et p. fr. Io. Perez, dummodo quoad lecturam requisita habeant, servatis servandis et salvis iuribus suae provinciae, et dummodo etiam omnes praedicti promoti assistant personaliter in sua provincia eidemque inserviant, pro qua sunt instituti.

Instituimus praedicatorem generalem p. fr. Ioannem de Escudero, dummodo habeat requisita et realiter sit locus vacans iuxta numerum praescriptum in actis capituli generalis.

Acceptamus magisteria pp. fr. Didaci de la Torre, p. fr. Augustini de la Vega, p. fr. Francisci de Castro, p. fr. Petri de Paredes, p. fr. Ildefonsi Velasquez et p. fr. Augustini Montes, dummodo habeant requisita iuxta dispositionem nostrarum constitutionum neque sint supra numerum iam in capitulis generalibus praescriptum.

Acceptamus praesentaturam p. fr. Andreae Lifon, dummodo ad hanc suam provinciam se conferat, ibique personaliter assistat, et non aliter.

In provincia s. Antonini.

Confirmamus omnia ordinata a reverendissimo p. nostro ordinis magistro sub anno 1613 et 1618 pro regulari observantia et regimine huius provinciae.

Declaramus, conventus non teneri ad solvendas contributiones patri provinciali, nisi personaliter illos visitaverit.

Mandamus patribus doctrinariis, ne diebus festivis a suis doctrinis recedant.

Imponimus rr. pp. provinciali et diffinitoribus capituli provincialis, ut cum taxa aliqua pro contributionibus fuerit statuenda, id fiat sine excessu et pro doctrinarum facultate.

Fratres, qui extra provinciam sine licentia discurrentes reperti fuerint, severe puniantur iuxta capitulorum generalium ordinationes, et si lectores vel graduati ad eorum petitionem extra provinciam fuerint assignati, ipsorum loca vacare censentur.

Quod vero attinet ad reiiciendos neophitos, Ethiopes et mesticios, ne ad habitum recipiantur, id totum ad rev. ordinis magistrum referimus. Promovemus ad magisterium p. fr. Matthaeum de Valenzuela, ad praesentaturam vero p. fr. Hieronymum Millas, servatis servandis.

In provincia Occitana.

Committimus reverendissimo magistro ordinis, ut in huius provinciae visitatione ea decernat circa conventus reformatos et alios, quae viderit pro regulari observantia expedire.

Damus conventus Rivorum et Carcassonensem pro strictiori observantia regulari ibi servanda, conventus autem Arelatensem et Limosi pro educandis novitiis, servatis servandis.

Committimus reverendissimo nostro, ut decernat, an capitulum intermedium in hac provincia celebrari expediat.

Admonemus, ut eligendis in prioribus constitutiones nostrae omnino serventur, et praecipue ut ii eligantur, qui verbum Dei proponere sciant.

Ad petitionem provinciae confirmamus ordinationem ultimam capituli provincialis praeteriti huius provinciae circa taxam contributionis provincialium pro tempore, dum tamen ad nihil ultra teneantur conventus nisi ad expensas pro solo victu, quando erunt in actuali visitatione.

Promovemus ad magisterium pp. baccalaureos fr. Petrum Bruni et fr. Gabrielem Capeau, servatis servandis et salvis iuribus suae provinciae, ad lecturam autem sententiarum pro forma et gradu in universitate Caturcen. p. fr. Ludovicum Mesplede (1), p. fr. Petrum du Cor, p. fr. Matthaeum Long et p. fr. Hyacinthum Forestier lectores.

---

(1) De fr. Ludovico Mesplede cf. SSOP. II, 607.

Instituimus praedicatorem generalem p. fr. Ioannem Planche Massiliensem, si locus sit vacans.

Declaramus p. magistrum fr. Raimundum Poisson, praesentis capituli diffinitorem, pertinere ad conventum Carpentoractensem, et reverendissimum p. generalem supplevisse consensum conventus a quo.

Approbamus praesentaturam p. fr. Ioseph Baruc, salvis iuribus suae provinciae.

Confirmamus omnia acta per reverendissimum magistrum ordinis in visitatione conventus Avinionensis.

In provincia s. Laurentii del Chile.

Ad petitionem provinciae confirmamus ordinationem capituli generalis Romae 1608, ut capitulum provinciale celebretur pro tempore in die Epiphaniae, in cuius vigilia provincialis eligatur. Quapropter concedimus p. provinciali moderno, ut duodecim dies ante consuetum terminum provincialatus officium finere valeat; quo praefato tempore electio fieri possit.

Item concedimus huic nostrae provinciae, ut indultum apostolicum petere possit prò institutione generalium praedicatorum ad titulum conversionis Indorum pro quatuor diocoesibus, quas ista provincia continet.

Erigimus in prioratus nostras domos s. Agnetis de Santiago del Esterro et sancti Telmi de Buenos Ayres, servatis servandis iuxta formam praescriptam in nostris constitutionibus; concedentes, ut pro primo conventu institui possit praedicator generalis p. fr. Ioannes Vaez et pro secundo p. fr. Laurentius Duran, dummodo habeant requisita, servatis servandis.

Acceptamus praedicaturam generalem p. fr. Gabrielis de Covaleda et p. fr. Henrici Mendoze, qui instituti fuerunt in capitulo provinciali, dummodo habeant requisita.

In provincia s. Hippoliti de Oaxaca.

Admonemus p. provincialem pro tempore, ut curet in conventu s. Dominici utpote principaliori duos continue assistere magistros in theologia, si in provincia fuerint, totidemque baccalaureos, quorum nullum inde removeat nisi urgentissima de causa.

Promovemus ad praesentaturae gradum rr. pp. fr. Ildephonsum Romera, p. fr. Franciscum de Morandas et p. fr. Didacum de Mercado, dummodo vacet locus, servatis servandis et salvis provinciae suae iuribus.

In provincia s. Petri Martyris.

Promovemus ad magisterium p. fr. Timotheum Bussium de Cherio, ad praesentaturam vero rev. p. fr. Hyacinthum Brolia, servatis servandis et salvis provinciae suae iuribus et sine praeiudicio maiorum suorum in professione.

Ad petitionem provinciae commendamus rev. admodum p. provinciali utriusque Lombardiae conventum Bonifacii in insula Corsica eiusque curae illum committimus, dummodo a capitulo provinciali eiusdem provinciae Lombardiae acceptetur.

In provincia s. Catharinae Senensis.

Ordinamus, ne mittantur fratres ad studia generalia provinciarum aliarum sine licentia reverendissimi magistri ordinis.

Confirmamus omnes et singulas ordinationes et declarationes pro hac provincia factas et praesertim declarationem illam capituli generalis Parisiensis 1611 et Romae 1612 et Bononiae 1615, quod conventus Iesu Maria et s. Vincentii et conventus s. Severi Maioris in civitate Neapolitana et conventus s. Mariae de Arcu in dioecesi Nolana necnon conventus de Reate pertineant ad eandem provinciam s. Catharinae Senensis, sub poena gravioris culpae et aliis poenis reverendissimo magistro ordinis arbitrariis, ne quis de divisione dictorum conventuum a praefata provincia loqui, tractare aut eam procurare directe vel indirecte per se vel per alium quomodolibet praesumat.

Admonemus, ut serventur decreta pontificia et praecipue sanctissimi d. n. Pauli papae V. circa numerum magistrorum, iique acceptentur a provincia iuxta dispositionem nostrarum constitutionum.

Confirmamus ordinationem factam in capitulo Romano circa recipiendos, declarantes, quod revisores litterarum testimonialium recipiendorum sint diversarum nationum, si adfuerint, scilicet Hetruscae, Aprutinae et Neapolitanae, volentes, ut ab ipsis iuvenes ad habitum admittendi examinentur.

Confirmamus etiam ordinationem a reverendissimo magistro ordinis in sua visitatione constitutam, ut scilicet in conventu s. Mariae ab Arcu, s. Severi et Iesu Mariae fratres ex modo dictis tribus nationibus assignentur.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Antonium Torelli Aprutinum et p. fr. Seraphinum de Laurentiis, servatis servandis et salvis provinciae suae iuribus, et acceptamus lecturam p. fr. Dominici de Elia Neapolitani.

Damus in regentem nostri studii generalis s. Dominici de Aquila rev. p. fr. Iacobum Cumanum; in baccalaureum p. fr. Ioannem Mariam a Balneoregio. In provisione autem magistri studentium servetur ordo professionis, ut hactenus fieri consuevit, dummodo concurrat debita litterarum sufficientia.

Approbamus praedicaturas generales p. fr. Paulini Tei Hetrusci, p. fr. Iordani a Iesualto Neapolitani et p. fr. Silvestri de Basciano Aprutini.

In provincia Russiae.

Confirmamus erectionem huius nostrae provinciae Russiae.

Ad petitionem provinciae transferimus studium generale conventus sanctissimi Corporis Christi Leopoli ad conventum s. Mariae Magdalenae extra menia eiusdem civitatis ad petitionem provinciae, et hoc cum cellae necessariae fuerint constructae.

Committimus rev. admodum p. commissario reverendissimi magistri ordinis, ut decernat super tempore celebrationis capituli, et declaramus, quod patres provinciales non debent ultra triennium in officio perseverare, quandoquidem eo tantum temporis spatio in officio perstitit primus provincialis auctoritate apostolica institutus et vicarii huius, alias congregationis peregrinantium, triennium in officio non excedebant. Itemque declaramus, ut priores et vicarii locorum iuxta consuetudinem durent in officio, non tamen ultra tempus praescriptum in nostris constitutionibus.

Remittimus patri reverendissimo assignationes pro studiis generalibus extra praedictam provinciam, ad tollendam occasionem vagationum.

Statuimus, ut nullus instituatur praedicator generalis nisi servatis iis omnibus et singulis, quae a nostris constitutionibus praescribuntur.

Declaramus, quod socius provincialis pro tempore, dum tali fungitur officio, intelligitur assignatus in eo conventu suae assignationis, ex quo fuit assumptus.

Declaramus, quod praedicatores generales ad baccalaureatum promoti non aliis gaudeant privilegiis, quam iis, quibus usque modo gaudere consueverunt, donec reverendissimo magistro ordinis fuerit informatus.

Declaramus, quod p. provinciali non solvantur contributiones, nisi actualiter et personaliter visitaverit conventus.

Ad petitionem provinciae reducimus numerum magistrorum ad octo, baccalaureorum ad novem, praedicatorum autem generalium ad tot, quot sunt conventus.

Concedimus ad petitionem provinciae, ut tertiarii post unum annum religionis ad habitum conversorum admitti et anno uno probationis peracto professionem emittere possint.

Ad petitionem provinciae promovemus ad magisterium p. fr. Gabrielem Drohobicium praesentis capituli diffinitorem et p. fr. Marianum de Krzepice baccalaureos. Promovemus autem ad gradum baccalaureatus titulo praedicationis p. fr. Fabianum de Presmilia praedicatorem generalem, praedicti p. diffinitoris socium, servatis servandis et salvis provinciae suae iuribus.

Assignamus in studio nostro Bononiensi loco primo vacante et pro rata suae provinciae p. fr. Modestum de Cremenecia.

In congregatione Sardiniae.

Statuimus, quod nihil circa statum huius congregationis innovetur, quoadusque Deo auspice numerus conventuum et fratrum augeatur, qui quando fuerit competens, titulo et privilegiis provinciae cumulari poterit. Interim eligantur ad officia, qui habiles et sufficientes fuerint et praecipue filii ipsius congregationis, qui debitis qualitatibus sunt suffulti.

Ad instantiam congregationis concedimus, ut, urgente gravi necessitate, regentes studiorum possint aliquando eligi in priores, simul in officio regentis permanentes, dummodo huiusmodi officia se invicem compatiantur.

Rogamus reverendissimum patrum magistrum ordinis, ne mittat ad hanc congregationem fratres pro implendis penitentiis eis iniunctis, siquidem multa sic evitabuntur inconvenientia; fratres autem huiusmet congregationis in aliis provinciis studiorum causa commorantes quam primum ad illam redire procuret.

Damus in regentem conventus nostri s. Sebastiani Sasseris p. fr. Ioannem Baptistam Carruzium.

Promovemus ad praesentaturam p. fr. Franciscum Manca (1) et p. fr. Franciscum Horra, dummodo habeant requisita, servatis servandis et salvis suae congregationis iuribus.

Concedimus, ut p. Franciscus de Puigsech conservetur in officio magistri studentium in conventu nostri s. Dominici Castri Calleris pro tempore competenti.

In congregatione Hiberniae.

Declaramus, quod fratres Hiberni, qui ad alienas provincias studiorum causa transierint, peractis studiis, ad suam congregationem revertantur.

Approbamus ordinata a rev. p. praesentato fr. Rocho de Cruce huius congregationis vicario pro eiusdem congregationis bono et regulari observantia.

Concedimus praedicto p. fr. Rocho facultatem adducendi in Hiberniam quatuor nostri ordinis fratres, cuiuscumque nationis et provinciae fuerint, de consessu tamen suorum provincialium, qui fratres legendo et docendo in eadem congregatione studia dirigere et promovere possint.

Item concedimus eidem p. fr. Rocho, ut fratres Hibernos in extraneis provinciis modo commorantes post cursus theologicos ad suam congregationem revocare valeat.

In congregatione Occitana.

Confirmamus omnia privilegia et gratias concessas in aliis capitulis

---

(1) De fr. Francisco Manca cf. SSOP. II, 486.

generalibus ad favorem reformationis huius nostrae congregationis Occitanae, quam plurimum commendamus suo admodum rev. p. vicario moderno.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo d. n. Paulo papa V. et felici statu sanctae matris ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Matthia et felici statu Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo, principe et prole regia, quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege et regina quil. sac. un. missam.

Pro serenissimo rege Poloniae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Burghesio, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali de Aracaeli, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali duce de Lerma quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo huius Ulyssiponensis civitatis quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo episcopo inquisitore generali in regno Portugalliae quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis quilibet sacerdos unam missam.

Pro excellentissimo d. duce de Bragança quil. sac. un. missam.

Pro excellentissimo duce de Aveiro, qui copiosam contulit huic nostro capitulo eleemosynam, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo comite s. Ludovici, huius capituli singulari benefactore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissima d. Aloysia de s. Albano qu. sac. un. missam.

Pro christianis principibus, qui sub obedientia sedis apostolicae vivunt, et pro bono totius christianae reipublicae quil. sac. un. missam.

Pro illustrissimo senatu et toto populo huius florentissimae et amplissimae civitatis Ulyssipon. quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus, qui contulerunt eleemosynas huic capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu et reformatione totius ordinis nostri et pro eius capite reverendissimo magistro generali et in eius societate laborantibus quilibet sacerdos unam missam.

Pro admodum rev. p. provinciali Terrae sanctae, magistro fr. Thoma Marino, reverendissimi patris generalis in Germania superiori commissario, quilibet sacerdos unam missam.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et ave Maria imponitur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus dominorum regum Portugalliae Alphonsi III. et successorum, qui hunc conventum Ulyssiponensem fundavere, q. s. un. mis.

Pro animabus bonae memoriae illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulo generali in suis testamentis reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima rev. admodum p. fr. Archangeli de Dominicis praedicatore generali et pro provincia sanctae Catharinae Senensis in hoc capitulo diffinitore, qui ad suam provinciam rediens in conventu s. Pauli Hispalensis devotissime et singulari omnium fratrum exemplo feliciter obdormivit in Domino, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima rev. p. magistri fr. Pauli Mariae de Neapoli, socii patris diffinitoris provinciae Regni, qui defensis publice in hoc capitulo conclusionibus ad patriam rediens in conventu s. Pauli Vallisoleti animam Deo reddidit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a tempore capituli generalis proxime praeteriti obierunt, quil. sac. un. missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, aliis clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Fratres et sorores, qui gloriose obierunt.

In provincia Hispaniae obierunt fr. Illephonsus de Peces, aetate iuvenis, virtute et sanctitate grandaevus. Anna Rodriguez Carcera, beata tertii ordinis, vitae sanctimonia insignis et Catharina de Herrera, beata tertii ordinis, nobilis genere, nobilior virtute, magnum et constans commiserationis exemplum, sua enim omnia in pauperes erogavit.

In provincia Regni in conventu sanctae Mariae Sanitatis de Neapoli congregationis reformatae obiit pater magister fr. Marcus de Marthenisio, unus ex praefatae congregationis institutoribus, qui toto vitae decursu constitutionum nostrarum custos fuit exactissimus.

In provincia Aragoniae obierunt p. fr. Bartholomaeus Riera et p. fr. Antonius Creus, ambo octogenarii, ille sui instituti observantissimus, iste praeterea singulari patientia et mansuetudine mirabilis. Item obiit

soror Anna Sanchez Fermosa, tertii habitus, quae cathenis ferreis et ciliciis incedebat onusta et orans divinas meruit habere visiones.

In provincia Bethica obiit p. fr. Augustinus de Torres praesentatus, prior conventus Ubedae, magnum sanctitatis exemplar.

In provincia sancti Iacobi de Mexico obierunt p. fr. Gaspar de Segura, p. fr. Laurentius de Assumptione, p. fr. Sebastianus Montano, hic ab Indis rebellibus et idolatris sagittis percussus interiit, illi vero natura ad metam, sua sponte decurrente, animam devotissime suo creatori reddiderunt. Quo modo etiam obierunt fr. Didacus de Medelin et fr. Petrus de Balmaseda.

In provincia sancti Ioannis Baptistae de Pirù obiit soror Rosa de sancta Maria, tertii ordinis, quae in omnibus sanctam Catharinam Senensem ad vivum expressit. Item p. praesentatus fr. Franciscus de Vega provincialis eiusdem provinciae, qui ob insignem doctrinam et ferventem praedicationem, quam sanctissimis moribus exprimebat, vir sanctus et apostolicus ab illo orbe fuit acclamatus.

Item obierunt in eadem prov. p. magister fr. Didacus de Ojeda (1) et p. praesentatus fr. Nicolaus de Aguero, poenitentia rara et morum integritate insignes.

In provincia sancti Rosarii Philippinarum obiit p. fr. Franciscus Blancas, quem miraculis claruisse fertur.

In provincia sanctae Catharinae Senensis obiit p. magister fr. Dominicus Montagnolus, vir doctissimus, ut eius scripta testantur, simulque humillimus et omni virtute ornatus.

In congregatione Occitana obiit p. fr. Sebastianus Michaelis, sacrae theologiae professor, vir integritate vitae et excellentia doctrinae conspicuus, qui reformationem in Gallia ferventissimo spiritu incepit et summa diligentia, quamdiu vixit, promovere studiit.

Praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum, congregationum et vicariatuum praesidentibus, ut acta huius capituli in omnibus conventibus suae curae subiectis intra duos menses a receptione praesentium legi, publicari et semper inviolabiliter observari faciant et saltem quater in anno coram uniuscuiusque conventus communitate repeti.

Mandantes insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu haberi curent exemplaria, quorum unum in communi deposito cum aliis consuatur, alterum habeant priores seu praesidentes conventuum, tertium conservent ma-

---

(1) De fr. Didaco de Ojeda cf. SSOP. II, 395.

gistri novitiorum, ne quis praetextu ignorantiae eorum, quae pie sancita sunt, se possit excusare.

Volumus autem, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Damus reverendissimo patri nostro magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare vel diminuere, omnia denique et singula facere possit, quae nos possemus, praesertim vero circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus et circa reformationem conventuum, fratrum et monasteriorum monialium, secundum quod eius prudentiae videbitur expedire.

Capitulum generale sequens, quod erit provincialium, celebrabitur in Italia in conventu nostro s. Eustorgii de Mediolano, vel ubi ex causa rationabili reverendissimo magistro ordinis videbitur.

Laus Deo.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS MEDIOLANI IN CONVENTU S. EUSTORGII ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES XV. MAII ANNO DOMINI MDCXXII.

Sub reverendissimo p. fr. Seraphino Sicco Papien., sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus admodum reverendis patribus diffinitoribus, nempe:
admodum rev. p. magistro fr. Hugone Vauquer provinciali Franciae,
adm. rev. p. mag. fr. Lactantio de Cremona prov. utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. magistro fr. Antonio Phebeo (1) provinciali Romano,
admodum rev. p. mag. fr. Andrea de sancto Severino prov. Regni,
admodum rev. p. mag. fr. Petro Baptista Ulyssiponen. prov. Theutoniae,
admodum rev. p. baccalaureo fr. Georgio Trebnic provinciali Poloniae,
admodum rev. p. fr. Luca Ugolino provinciali Graeciae,
admodum rev. p. magistro fr. Thoma Marino provinciali Terrae Sanctae,
admodum rev. p. magistro fr. Narciso Ribes provinciali Aragoniae,

(1) De fr. Antonio Phebeo (Faebeo) cf. MASETTI l. c. pag. 134 et supra pag. 253, ubi minus recte Antoninus nuncupatur.

admodum rev. p. magistro fr. Valentino Maccario provinciali Bohemiae,
admodum rev. p. lectore fr. Nicolao Vitali provinciali Dalmatiae,
admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Gioancardo provinciali Siciliae,
admodum rev. p. mag. fr. Ioanne de Loix prov. inferioris Germaniae,
admodum rev. p. mag. fr. Andrea Zerbio Papien. prov. sancti Thomae,
admodum rev. p. mag. fr. Hyacintho de Laplane provinciali Occitano,
admodum rev. p. mag. fr. Adriano Patavino provinciali s. Dominici,
admodum rev. p. mag. fr. Ioanne Baptista Ferrerio prov. s. Petri Martyris,
adm. rev. p. mag. fr. Antonio Fontana prov. s. Catherinae Senensis,
admodum rev. p. magistro fr. Mariano Crepicien. provinciali Russiae,
adm. rev. p. mag. fr. Stephano Gherardo pro suo provinciali Provinciae,
adm. rev. p. mag. fr. Dominico de Polestina pro suo prov. Calabriae,
adm. rev. p. fr. Iosepho de Quintanadueñas pro suo prov. Mexicano.

Universis et singulis patribus et fratribus ordinis praedicatorum
Fr. Seraphinus Siccus Papiensis,
sacrae theologiae professor ac totius eiusdem ordinis
humilis magister generalis et servus,
salutem in Domino.

Ea est, patres ac fratres in Christo dilecti, rerum humanarum inconstantia et vanitas, ut nemo vitam sapientius instituere possit, quam si huic saeculo veluti nuntio remisso, sese suaque omnia divino cultui dicarit. Id optimo praestant consilio, qui spretis voluptatum delinimentis, quibus ad terrena mens allici potest, religiosam vivendi rationem suscipiunt ac profitentur. Hoc a vobis, Deo optimam mentem inspirante, eo quidem felicius factum est, quod in hanc sacrosanctam divi patriarchae Dominici religionem nomen dedistis. Religionem, inquam, satis nunquam pro dignitate laudatam, saluberrimis institutis, legibus, praeceptis ac traditionibus instructam ac praemunitam. O vos in hac mortali vita beatos, in illa vero aeterna beatissimos, si quod semel persancte statuistis, pertinaci studio perfeceritis. Quidni? An non voto et iureiurando vos ipsos, nullo impellente, sed vestra sponte huiusmodi legibus obstrinxistis? Miseranda sane sanguineisque lachrymis deploranda vivendi conditio, si religiosam vitam quis ore iactaret, nihil vero minus quam de ea cogitans, immo saeculi mores prae se ferens, factis indignis religionem ipsam eiuraret. Hocne viri esset sapientis, suscepta, confirmata, iurata sancta consilia deserere, ab instituta solemni professione vita tam levi negotio discedere? Summa ergo contentione vobis enitendum est, fratres mei, ut quam semel ingressi estis viam, in ea concito gradu pergatis. Quod si haec verba ex charitatis visceribus promanantia vos nonnihil incendunt,

en a sanctissimo Romano pontifice, catholicae fidei propagandae cupidissimo, iussus, pergo animis vestris ardentiores faces submittere. Anne vos praeterit religionem nostram ad praedicationem animarumque salutem ab initio fuisse institutam? Quis vero ardentius in hominum flagitia est invectus, quis acrius haereticos est insectatus, quis in eruendis ex densa errorum caligine infidelibus potentior extitit vel gloriosior beatissimo patre nostro Dominico? Eius vestigia presso pede insecuti caeteri patres, sacris scriptis, vitae documentis, evangelica praedicatione, susceptis peregrinationibus, officio inquisitionis prudentissime administrato, summis laboribus, enixo studio, morte denique ipsa adeo in haec usque tempora haereses profligare institerunt, ut huius gloriosi facinoris decus religio nostra sibi iure quidem optimo vindicarit. Quae cum ita sint, ut quid fratres mei antiquae gentis nostrae titulos gloriamque referre non contenditis? Iam iam vos omnes sancti patris Dominici generosam prolem mihi videre videor ad hanc suscipiendam provinciam praeclaro impetu animatos. Igitur agite, queso, dilectissimi, omnes curas, cogitationes conatusque vestros ad ea studia easque virtutes intendite, quibus vesanos gentium ritus detestabilem deorum inanium cultum maledictasque haereses tam longe lateque pervagatas, spreta etiam inopia, aerumnis, incommodis, morte demum ipsa, si quando missi fueritis, contempta, evertere valeatis. Hisce virtutibus ut magis ac magis animos vestros excolatis, vestra praemonet vos professio, urget sacer Romae senatus, nuper ad fidem propagandam institutus, iubet summus ecclesiae pastor ac pontifex, tota demum ecclesia magno expectare videtur desiderio. Ego vero obsecro obtestorque vos per Christum Iesum, ut pro quibus ille sanguinem in ara crucis profudit, pro iisdem in coelestem patriam traducendis vos ipsi vires omnes profundere velitis. Ut autem, quas diximus virtutes facilius comparare possitis, sequentia generalis capituli acta, quamplurimorum patrum nostroque firmata consensu, intenta aure suscipite eaque animo saepius tractantes servare curate.

Acta capituli generalis Mediolani in conventu s. Eustorgii ordinis praedicatorum celebrati, in festo ss. Pentecostes, die 15. maii anno 1622, sub reverendissimo p. fr. Seraphino Sicco Papien., sacrae theologiae professore et magistro generali totius ordinis praedicatorum.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatae Mariae semper virginis et beati patris nostri s. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus sanctissimum dominum nostrum instituisse congre-

gationem tredecim illustrissimorum et reverendissimorum cardinalium de Propaganda Fide nuncupatam datasque fuisse literas ab eadem congregatione ad reverendissimum patrem nostrum generalem pro mittendis fratribus in partes infidelium ad catholicae veritatis lucem vocandorum. Quamobrem monemus omnes provinciarum nostrarum praesidentes, eos praesertim vel qui locis infidelium sunt finitimi vel in quorum provinciis illi versantur, ut re mature considerata ipsum reverendissimum patrem nostrum generalem instruant, quemadmodum possint facilius opera fratrum nostrorum ipsi infideles aut haeretici ad catholicam religionem converti, et quinam inter caeteros illi sint fratres suarum provinciarum vita et moribus conspicui, qui tuto et cum spe fructus consequendi ad praedicandum, docendum et disputandum mitti possint.

2. Denuntiamus, omnibus provincialibus et fratribus nostrarum provinciarum Galliae christianissimum regem magno desiderio teneri, ut omnes nostri conventus in eius ditione constituti reformentur, ac proinde ab illustrissimo et reverendissimo d. cardinali Ludovisio nomine sanctissimi domini nostri de hac regis voluntate certioris effecti redditas fuisse litteras huic nostro generali capitulo, quas etiam fratribus omnibus Gallis adstantibus in diffinitorio legi fecimus; in quibus habetur, ut in provinciales eligantur patres reformati, novitii recipiantur in conventibus reformatis et quicumque ad magisterium promovendi coram magistro ordinis examinentur. Quare ut haec nobis benignissime pro bono nostrae religionis a sua sanctitate proposita omnino serventur, districte mandamus.

3. Denuntiamus praefatam sacram congregationem de Propaganda Fide nuperrime decrevisse, ut iuxta constitutionem Pauli V. in praecipuis regularium conventibus studia linguarum Hebraicae, Graecae, Arabicae et Latinae habeantur. Quare praecipimus reverendis patribus tam provincialibus quam conventualibus, eorum praesertim conventuum nostrorum, in quibus artium et sacrae theologiae studia vigent et copiosus satis novitiorum vel studentium numerus habetur, ut post sex menses a praesentium notitia huiusmodi studia instituisse debeant sub poena absolutionis a suis officiis, conquisitis ad munus docendi doctissimis praeceptoribus; quos si ex ordine nostro habere nequiverint, ex saecularibus accersant ac praeficiant, designatis annuis stipendiis ex communibus uniuscuiusque provinciae sumptibus.

Confirmationes.

Confirmamus ea omnia, quae per viam inchoationis in praeterito Ulyssiponensi capitulo fuerunt ordinata.

Confirmamus ordinationem Romae, Venetiis, Parisiis et Ulyssipone factam et confirmatam, ne scilicet ullus sub poenis in capitulo de graviori culpa contentis ac etiam sub poena excommunicationis latae sen-

tentiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, cuius absolutio reverendissimo magistro ordinis reservatur, directe vel indirecte divisionem ordinis vel institutionem vicarii generalis Indiarum quovis praetextu procurare audeat vel praesumat.

Confirmamus provisiones omnes a reverendissimo patre generali pro bono regimine provinciarum Indiarum Occidentalium Hispali 1619 editas.

Confirmamus, quaecumque ordinavit reverendissimus pater generalis in visitatione provinciarum totius Hispaniae.

Item confirmamus, quae reverendissimus pater noster generalis statuit de visitatoribus ad provincias Indiarum Occidentalium ad instantiam catholici regis transmissis, decernentes, ut visitationes modo a sua reverendissima paternitate praescripto et non alias ab eis gerantur.

Commissiones.

Quoniam, dum in scholis nostris patres lectores et studentes theologi in disputatione subtilitatum et opinionum minus utilium versantur, interea infideles et haeretici catholicae fidei dogmata et conclusiones communes sanctorum patrum et scholasticorum summa calliditate subvertere nituntur, ideo suggerente sacra congregatione de Propaganda Fide, committimus a rr. pp. provincialibus, ut in conventibus, qui sunt propinquiores finibus infidelium instituant studia controversiarum fidei, quibus incumbant fratres ad proficiendum idonei et in religiosis moribus probatissimi, quorum opera eadem s. congregatio opportune uti valeat.

Committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut curet quam primum typis mandari rituale ceremoniarum ordinis nostri ad uniformitatem in omnibus exacte servandam.

Committimus eidem reverendissimo patri nostro generali, ut ad congregationem Indiarum Occidentalium visitatorem aliquem pro sua prudentia idoneum mittat, qui, ut opus fuerit, rebus eiusdem congregationis provideat.

Declarationes.

Declaramus, in electione prioris provincialis debere tres priores antiquiores non tamen vicarium provinciae, dummodo non sit unus ex dictis antiquioribus, ad bancum sedere.

Ordinationes.

1. Ordinamus, ut patres sacerdotes ad altaria, ubi Corpus Christi asservatur, sacrum facientes, dicturi « Dominus vobiscum », paulisper ad sinistrum cornu declinent, ne sanctissimo eucharistiae sacramento terga vertant.

2. Ordinamus, ut feria quinta in coena Domini omnes patres sacerdotes cum stola ad sacram communionem accedant.

3. Item ordinamus, ut super cappam defuncti sacerdotis stola aptetur, quousque sepulturae tradatur.

4. Ordinamus, ne fratres ullo praetextu nec etiam itineris agendi gladios oblongos aut arma similia deferre audeant sub poena gravioris culpae.

5. Ordinamus, ut in omnibus provinciis circa primam horam post occasum solis ad orationem defunctorum, alternis ictibus, ex intervallo campana ecclesiae pulsetur, ut etiam vesperi pro angelica fit salutatione.

Admonitiones.

1. Ne ordinationes frustra multiplicentur, admonemus omnes et singulos admodum rr. pp. provinciales et conventuales, ut sibi subditos ad veram regularis observantiae formam iuxta nostrorum patrum instituta revocare studeant, ac proinde quamprimum habeant in suis provinciis et conventibus exemplaria nostrarum constitutionum Barchinonae nuper editarum.

2. Quia vero bonum vel malum sacri ordinis nostri ex novitiorum educatione pendere dignoscitur, monemus, ut observentur, quae in aliis capitulis generalibus sancita fuerunt, ne professi eximantur a cura magistri et domo novitiorum usque ad sacerdotium, neque ad habitum aliqui recipiantur nisi in conventibus, ubi viget regularis observantia, a quibus non statim removeantur neque ad alios conventus mittantur, donec fuerint instructi regularibus disciplinis. Interim vero alii ad habitum non admittantur neque admissi ullo modo in communi dormitorio manere permittantur.

3. Admonemus omnes admodum rr. pp. provinciales, ut iuxta pluries ordinata in capitulis generalibus decreto Bonifacii papa IX. inhaerentibus unusquisque in sua provincia unum vel plures conventus iuxta qualitatem et numerum fratrum deputet, in quibus regula et constitutiones ordinis nostri omni rigore ab omnibus ibi degentibus ad unguem observentur, ut latius in praedictis capitulis et constitutionibus denuo impressis habetur.

4. Quoniam ex multitudine graduatorum regularis observantia in ordine destruitur, monemus omnes et singulos nostri ordinis tam praelatos quam subditos, ut accurate perpendant decretum a fel. recor. Gregorio XIII. emanatum, quod Clemens papa VIII. confirmavit et extendit et demum Paulus V. sic extensum innovavit et roboravit, quo mandatur in virtute sanctae obedientiae omnibus nostris ordinis praelatis, ne ad instantiam quarumcumque personarum extra nostrum ordinem constitutarum, quacumque dignitate vel excellentia fulgentium, cuivis nostri ordinis religioso ullam remittere poenam aut gratiam concedere, ullosve gradus, dignitates, officia, administrationes, functiones sive praelaturas

conferre audeant. Quicumque autem eiusdem nostri ordinis religiosi per huiusmodi mendicatos favores aliquid ex praedictis sibi procuraverint vel sibi sponte, ad instantiam et contemplationem dictarum personarum, oblatum receperint vel ad hunc effectum munera aliqua impenderint, ad talia et similia ac etiam maiora consequenda inhabiles apostolica auctoritate declarantur; ideoque omnes securitati suae conscientiae prospiciant.

5. Admonemus admodum rr. pp. provinciales et provinciarum vicarios et quoscumque capitulorum diffinitores conformiter ad ea, quae in pluribus capitulis generalibus et praesertim in capitulo generali Romae celebrato anno 1589 sancita et declarata et Parisiis 1611 ad memoriam revocata sunt, non esse videlicèt in potestate alicuius provinciae praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii non acceptare acta seu statuta capitulorum generalium, sed omnes et singulas provincias decretis et ordinatis in eisdem capitulis ita subiectas esse, ut unaquaeque earum teneatur ipsa acta in unoquoque conventu publicare, acceptare et inviolabiliter observare, utpote pro communi bono provinciarum, conventuum et fratrum facta, et, quatenus opus esset, authoritate apostolica revocatam et annullatam fuisse quamcumque consuetudinem aut quodcumque aliud in contrarium existens.

6. Admonemus omnes nostri ordinis fratres, ut omnino servent decretum apostolicum, quo prohibentur regulares accedere Romam sine licentia magistri ordinis sub poena privationis vocis activae et passivae et carceris formalis per sex menses.

Cum autem accedere permissi fuerint nulla omnino negotia tractent in ipsa curia Romana nisi per admodum rev. p. procuratorem ordinis vel de eius scitu et expressa licentia in scriptis iuxta ordinata in capitulo Romano 1612.

7. Admonemus, ut iuxta ordinationem capitulorum generalium Romae 1601 et Vallisoleti 1605 uniformitas in exteriori habitu in ordine observetur, ita ut caputium neque plicas habeat neque angulos neque magnum admodum neque breve nimium sit, sed in quadam mediocritate. Tunicae sint ex panno communi, non praetioso nec subtili, et scapularia etiam neque ex subtili materia neque plicas habentia, similiter nec cappae sint de materia subtili vel praetiosa. Idem volumus observari in vestibus interioribus, ut sint humilitatem et decentiam monasticam prae se ferentes omnique curiositate carentes.

8. Admonemus, ut omnino servetur ordinatio capitulorum generalium, qua mandatur, prout etiam nos mandamus sub praecepto formali et poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, ne quis scribat per se vel per alium literas

criminosas aut diffamatorias vel de gravioribus negotiis ad quoscumque intus vel extra ordinem sine proprii nominis appositione.

9. Admonemus, ut inviolate servetur decretum a sacra congregatione regularium emanatum, quod nulli religioso, cuiuscumque ordinis, status, conditionis ac dignitatis existat, superioribus, confessariis ordinariis et extraordinariis ac visitatoribus exceptis, liceat absque licentia eiusdem sacrae congregationis accedere ad monasteria monialium tam sui quam alterius ordinis ad colloquendum cum eis. Quod si aliquis ad praedicandum vel celebrandum missam mitti contigerit, prohibetur, ne, ullo quaesito colore, moniales aut alias personas, intra clausuram degentes, alloqui possit. Confessariis autem interdicitur, ne in domibus monasterio earum contiguis pernoctent aut alios pernoctare faciant aut secum retineant, neve extra tempora generalium confessionum ullo modo comedant; eo vero tempore comestionem diurnam accipere vix permituntur et tunc cum sua habitatio a monasterio nimium distat. Quae omnia sub poena privationis officiorum ac vocis activae et passivae ipso facto incurrenda et aliis poenis dictae congregationi arbitrariis infligendis praecipiuntur inviolabiliter observari.

10. Admonemus omnes patres provinciales praesertim nostrarum provinciarum Galliae et vicarium congregationis nostrae Gallicanae pro tempore, ipsis sub poena absolutionis ab officio praecipientes, ne fratres suos extra suas provincias neque ad patrem reverendissimum magistrum ordinis mittant. Experientia enim compertum est, multos praetextu inveniendi studii cum licentiis suorum provincialium hac in re minus caute se habentium divagari, qui tamen ut plurimum sunt inepti. Quod si aliqui sint ad proficiendum in studiis idonei, eos mittant ad studia generalia iuxta tenorem nostrarum constitutionum, vel antequam eos limites suarum provinciarum exire permittant, moneant ipsum reverendissimum magistrum ordinis de ipsorum sufficientia et morum probitate, ut si locus in aliquo conventu aderit, ibi assignari possint; alias noverint ad suas provincias statim fore remittendos.

Concessiones.

Concedit reverendissimus p. n. magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem, ad audientiam confessionum in nostro ordine expositum, qui ipsos possit absolvere ab omnibus censuris, casibus et peccatis, in quae ante horum publicationem incurrissent. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earum ordinarii confessarii.

Concedit idem reverendissimus magister ordinis omnibus rr. admodum pp. diffinitoribus huius generalis capituli, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenam gravioris culpae ante

celebrationem huius capituli damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate et rectae vitae exemplo huiusmodi favore se dignum praestiterit.

In provincia Tholosana.

Cum postulati ad gradum magisterii in ultimo capitulo provinciali debitis careant requisitis, cassamus omnes huiusmodi postulationes praeter illam p. fr. Dominici Hugues, nunc in conventu Ruthenensi docentis, quem propterea instituimus in magistrum, servatis servandis.

Item cum numerus praedicatorum generalium in eodem capitulo institutorum excedat numerum conventuum, abolemus omnes eorum institutiones.

Delemus etiam nominationes baccalaureorum, eo quod non sint debitis requisitis suffulti.

Statuimus, ne liceat baccalaureis Parisiensibus ad hanc provinciam pertinentibus in alia universitate praeter Parisiensem lauream doctoralem suscipere, secus totum irritum sit et inane.

Mandamus, ut dotes monialium in bona stabilia convertantur; interim vero in commune depositum tribus clavibus obfirmatum includantur, quarum unam penes se habeat priorissa, aliam suppriorissa, aliam vero mater antiquior; de quibus dotibus, ut de aliis monasterii reditibus rationem reddant superiori; quod si obedire renuerint, nihilominus poenis adhibitis compellantur.

In provincia Franciae.

Mandamus patri provinciali, ut iuxta piissimam christianissimi regis mentem ad reformationem instituendam et promovendam animum intendat, et statuimus, ne conventus, dum reformatio viguerit, a provincia neque a iurisdictione provincialis separentur.

Item mandamus eidem p. provinciali, ut omnino curet inviolatam servari clausuram monialium iuxta decreta pontificia et sacri concilii Tridentini, ipsasque moniales ad hoc, si opus fuerit, praeceptis et poenis gravissimis iuxta eadem decreta compellat.

Rogamus reverendissimum patrem nostrum generalem, ne dissentiente p. provinciali nominationes baccalaureorum huius provinciae, quae fiunt pro tempore in conventu Parisiensi, confirmet, statuimusque, ne in posterum dictae provinciae fratres ad baccalaureatum nominentur, nisi prius bono testimonio patris provincialis fuerint commendati.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Nicolai de la Mare prioris Altissiodorensis, fr. Philippi Monastier prioris Lexoviensis, fr. Claudii Borssi, fr. Ioannis Baudet et fr. Nicolai Querendeau, modo sint rite et legitime promoti iuxta constitutiones nostras.

In provincia utriusque Lombardiae.

Confirmamus studia instar formalium in conventibus extra Bononiam instituta, decernentes, ne studiorum causa ad exteras provincias nisi forte ad eas, ubi viget regularis observantia, fratres mittantur.

Cum ex ingenti multitudine assignationum novitiis pro studio Bononiensi collatarum incommoda multa oriantur, eas omnes, quae hactenus executioni non sunt mandatae, revocamus.

Mandamus admodum rr. pp. moderatoribus studii nostri Bononiensis sub poena absolutionis a suis officiis, ut certo anni tempore, a festo videlicet sanctae Mariae Magdalenae usque ad festum Exaltationis sanctae Crucis, omnes studentes materiales, si qui erunt, et novitios examinasse teneantur: ac iis, quos profecisse noverint, admissis caeteros eiiciant.

Studentes vero formales, qui a patre provinciali in visitatione reperti fuerint ita irreligiose viventes, ut de consilio patrum sine periculo gravis scandali in Bononiensi conventu tollerari non possint, ab ipso p. provinciali secundum exigentiam culparum puniantur et ex eodem conventu et studio omnino expellantur.

Statuimus, ne fratres aliarum provinciarum in filios huius provinciae admittantur nisi suffragantibus per vota secreta ipsiusmet provinciae patribus in capitulo provinciali congregatis.

Admonemus omnes patres, ad quos pertinet, acceptare aliquos in magistros provinciae ipsorumque conscientias aggravamus, ne quempiam admittant, qui vere non sit aptus ad munus regentis gerendum.

Ordinamus, ne posthac eligantur agentes seu procuratores conventuum pro capitulo provinciali nisi ex urgentissima causa; tum vero ab his tantum eligi possint, qui in electione socii prioris pro eodem capitulo votum habuerint.

Damus in regentem studii nostri Bononiensis admodum rev. p. magistrum fr. Aurelium de Lauda, in baccalaureum vero admodum rev. p. lectorem theologum fr. Sigismundum de Lauda.

Approbamus magisteria admodum rr. pp. fr. Abundii de Como inquisitoris Mediolanensis, fr. Ioannis Vincentii de Tabia inquisitoris Mutinae, fr. Sylvestri de Castillione inquisitoris Veronae, fr. Claudii de Burgotario inquisitoris Placentiae, fr. Ioannis Pauli de Ferraria inquisitoris Cremae, p. fr. Ambrosii de Tabia, qui pluribus annis prudenter nostram congregationem Styriae est moderatus, fr. Ioannis Vincentii de Valentia (1) socii reverendissimi patris generalis et praesentis capituli secretarii, fr. Constantini de Ferraria socii admodum rev. p. commissarii sancti officii in Curia, fr. Hyppoliti Camilli de Mutina, qui Romae per quadragesimae

(1) De fr. Ioanne Vincentio de Valentia cf. SSOP. II, 453.

tempus peculiari cum laude est concionatus, fr. Valentini de Vintimilio provincialis Bohemiae et fr. Raymundi de Montecuculo vicarii nostrae congregationis Styriae et Carintiae, salvis suae provinciae iuribus, et dummodo hi duo postremi in illis partibus ad tempus sibi praescriptum permaneant.

In provincia Romana.

Ordinamus pro nostra provincia Romana ad instantiam p. provincialis, ut non possint promoveri ad gradum magisterii, etiam salvis eiusdem provinciae iuribus, qui in nostro collegio Romano sanctae Mariae super Minervam pro collegialibus vel lectoribus exclusi fuerint. Si vero literas promotionis ad eundem gradum magisterii obtinuerint, quae huius ordinationis expresse non meminerint eique expresse non derogaverint, pro subreptitiis et nullius roboris habeantur neque ullo pacto executioni mandentur.

Declaramus illam ordinationem, qua decernitur, lectores primarios conventuum debere potiri voto in concilio patrum, etiam post abdicatum praelegendi munus in iis conventibus, in quibus lectoris primarii munus exercuerint, de iis tantum esse intelligendam, tam de praeterito quam in futurum, qui saltem per integrum biennium lectoris primarii munus in eisdem conventibus exercuerint.

Ad profectum studiorum pluraque incommoda vitanda ordinamus, ut nullus in posterum eiusdem provinciae frater examinari et admitti possit in lectorem artium vel sacrae theologiae, qui saltem biennio integro in nostro generali studio s. Mariae ad Quercum et triennio integro in collegio nostro Romano s. Mariae super Minervam studens formalis et collegialis non fuerit aut per quinquennium in aliis universitatibus studens formalis non permanserit, neque ad alia studia generalis praeterquam Bononiae vel in studiis generalibus Hyspaniarum assignari neque admitti possint. Quod si secus fiat, cursus theologici ibidem peracti dictis fratribus non suffragentur.

Ordinamus, ut nullus fiat primarius lector sacrae theologiae in nostris conventibus sanctae Mariae Novellae et Perusii, nisi qui integro quadriennio sacram theologiam vel artes saltem praelegerit, neque ibidem fiat eiusdem sacrae theologiae secundarius lector, nisi integro triennio praedictas facultates docuerit.

Ordinamus, ut in omnibus conventibus, in quibus duae praelectiones sacrae theologiae in dies habentur, alter lectorum textum tantum s. Thomae doceat, altero magis exactam commentariorum rationem prosequente. Primario vero lectore, quam maluerit, praelegendi rationem eligente, alter alteram prosequatur.

Acceptamus praedicaturas generales pp. fr. Ignatii Alberici prioris

Spoletani, fr. Vincentii Antifassii, fr. Cherubini Mauri, fr. Andreae Biscioni et fr. Antonini Alticotii lectoris, socii admodum rev. p. provincialis Romani in praesenti generali capitulo, cum voce aliisque privilegiis ac si in eadem provincia acceptati fuissent, dummodo non obstet aliquod indultum apostolicum.

Approbamus lecturam sacrae theologiae et officium magistri studentium, quibus hactenus functi sunt et in futurum fungentur, pp. fr. Thomas Sergriffius regens et p. fr. Vincentius Iustinianus baccalaureus in universitate Coloniensi, fr. Thomas Felix lector primarius sacrae theologiae Augustae et fr. Thomas Cenninus lector in conventibus nostris Tholosano et Parisiensi sanctae Mariae Annuntiatae, ac si eadem munera in studio generali eiusdem Romanae provinciae peregissent.

Instituimus magistros in sacra theologia ad petitionem provinciae p. fr. Ignatium Nentium (1) priorem s. Marci de Florentia, praevio rigoroso examine coram reverendissimo magistro ordinis, et rev. p. lectorem fr. Dominicum Paulacium regentem in nostro studio Perusino, qui theses defendit in hoc generali capitulo, salvis provinciae iuribus; qua conditione instituimus praedicatorem generalem p. fr. Angelum Grimanum, qui pluribus annis in conventibus nostris apud Constantinopolim laboravit.

Approbamus pro conventu nostro Fesulano decretum eiusdem conventus, ut quotidiana missa pro anima rev. p. magistri fr. Seraphini Banchii, cum ex hac vita migraverit, celebretur pro quamplurimis beneficiis in eundem conventum collatis, super qua re conscientiam rev. p. prioris pro tempore oneramus.

Acceptamus petente provincia magisterium p. magistri fr. Modesti Almonii regentis in studio nostro generali Querquensi cum gratiis et privilegiis.

In provincia Regni.

Concedimus, ut in conventibus s. Dominici de Neapoli et Salernitano fiat octava solemnis de sancto Thoma, non praetermisso officio beatae Virginis nec homilia feriali.

Concedimus, ut in conventu Aversano celebretur octava s. Ludovici; et instante ipsa civitate Aversana, damus ei, pro eo quantum possumus, in patronum ac tutelarem angelicum doctorem nostrum divum Thomam Aquinatem.

Statuimus ad petitionem provinciae, ne ullus sive ex provincia sive ex congregatione fiat baccalaureus, qui in studio s. Dominici non fuerit magister studentium, neque fiat aliquis magister in theologia, qui officium baccalaurei ordinarii saltem biennio in eodem generali studio non

(1) De fr. Ignatio Nentio cf. SSOP. II, 557.

exercuerit. Lectores autem ad munus magistri studentium et baccalaurei ordinarii aliquando promovendi eo ordine admittantur, ut data paritate doctrinae antiquior a professione iuxta praescripta capitulorum generalium praeferatur.

Decernimus, ne ullus fieri possit studens formalis, nisi ex universa philosophia neque titulo lectoris insigniri nisi ex toto cursu theologiae publice conclusiones defenderit.

Ordinamus, ut in electione provincialis scrutatores, qui a p. provinciali proponuntur, per suffragia secreta eligantur.

Damus in regentem studii nostri s. Dominici rev. p. fr. Ioannem Baptistam de Caserta, in baccalaureum ordinarium p. mag. fr. Dominicum Grassi et in magistrum studentium p. fr. Athanasium de Magdalono.

Assignamus in eodem studio in studentes formales p. fr. Ioannem de Urso Marcio, p. fr. Ioannem Baptistam de Magdalono, p. fr. Thomam de Caserta, p. fr. Ioannem Baptistam de Afragola, p. fr. Hyacinthum et p. fr. Dominicum de Caserta, p. fr. Aloysium de Arpino, servato inter ipsos ordine professionis.

Promovemus ad baccalaureatum rev. p. lectorem fr. Dominicum Sayas, cum ipso pro hac vice tantum dispensantes in eo, quod non fuerit magister studentium, cum in hoc capitulo generali conclusiones pro sua provincia erudite defenderit, confirmamusque ipsum in lectorem textus s. Thomae in nostro conventu s. Dominici de Neapoli.

In provincia Theutoniae.

Approbamus ritum dicendi alternatim per choros rosarium b. Mariae Virginis tam in conventu Coloniensi quam in monasteriis monialium, auctore admodum rev. p. provinciali magistro fr. Petro Baptista, huius capituli diffinitore.

Confirmamus studia in conventibus Augustano, Coloniensi et Friburgensi erecta, praecipientes patribus provincialibus et eorundem conventuum pro tempore prioribus sub poena absolutionis a suis officiis, ut ea omnino tueantur et promoveant.

Revocamus ad claustra omnes fratres sive ratione parochiae sive quavis alia occasione extra commorantes.

Statuimus, ne in conventibus fratrum aut monialium praebendarii, quos vocant, ullo pacto recipiantur, irritum decernentes, quidquid secus factum fuerit.

Monemus patrem provincialem, ut omnino tollat abusus contra nostras constitutiones circa rasuram invectos, efficiatque, ne fratres barbam aut comas nutriant, sed rasura fiat aequalis.

Instituimus praesentatos in ordine rev. p. fr. Thomam Sergriffium regentem et lectorem primarium conventus Coloniensis, fr. Ludovicum

Venegas (1) regentem et lectorem primarium conventus Friburgensis, p. fr. Thomam Felix regentem et lectorem primarium in conventu Augustano, p. fr. Vincentium Iustinianum baccalaureum lectorem sacrae theologiae in conventu Coloniensi, p. fr. Gabrielem de Vega lectorem primarium in universitate Viennensi, p. fr. Ioannem de Valdespino sacrae theologiae lectorem in conventu Kircheimensi et p. fr. Dominicum de Bastida sacrae theologiae lectorem in conventu Augustano, salvis suarum provinciarum iuribus, et dummodo huic provinciae inserviant, quoad sic placitum fuerit reverendissimo magistro ordinis. Ex filiis autem provinciae promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Leonardum Transchler baccalaureum priorem Coloniensem, fr. Thomam Grundler baccalaureum priorem Landtshutanum, fr. Georgium Lanther lectorem sacrae theologiae et priorem Augustanum.

Instituimus in praedicatores generales rev. p. fr. Ioannem Godert, fr. Nicolaum Turgen, fr. Antoninum Vogler priorem Crembsensem et fr. Ioannem Endebroich priorem Susatensem, fr. Vincentium Falck priorem Bulsanensem, fr. Ioannem Struzell et p. fr. Ioannem Herzog, p. fr. Iacobum Steinlin priorem Eistadianum.

In provincia Poloniae.

Concedimus, ut in conventibus Posnaniensi et Premisliensi festum Visitationis cum octava solemni celebrari possit, fratribus vero in dioecesibus, ubi festum sancti Erasmi episcopi et martyris secunda iunii celebratur, commorantibus, ut sese conformare valeant illis ecclesiis in officio dicti martyris recitando.

Erigimus in conventus loca nostra Gildensem b. Mariae Virginis et Climontoviensem s. Hyacinthi, servatis servandis.

Ratam habemus concordiam ab admodum rev. p. magistro fr. Damiano Fonseca, reverendissimi magistri ordinis commissario, inter patres dissidentes anno 1619 die sexta octobris in congregatione Varsaviensi firmatam. Et approbamus decretum sub die 15. octobris in eadem congregatione factum, quo conventus Cracoviensis cum omnibus ac singulis fratribus ad ipsum spectantibus ab omni suspicione oppressionis liber pronuntiatur, ut in praedicta concordia plenius habetur.

Monemus patrem provincialem pro tempore, ei praecipientes, ut rigorosam observantiam in quosdam huius provinciae conventus inductam foveat et promoveat, obsistentes puniat, eamque in maioribus conventibus instituere conetur.

Declaramus et declarando decernimus huius provinciae Poloniae limites esse civitatem Vilnensem aliasque in ultimo capitulo Parisiensi ex-

(1) De fr. Ludovico Venegas cf. SSOP. II, 433.

pressas, non tantum cum suburbiis, sed etiam cum districtu quatuor tantum milliarum Polonorum ; ac propterea nostrum conventum Bostroricensem adiudicamus et incorporamus nostrae provinciae Russiae, perpetuum silentium utrique provinciae in hac parte imponentes.

Concedimus, ut capitulum provinciale tam electionis quam intermedium pro festo s. Michaelis celebrari possit.

Item concedimus sororibus tertiariis tam Cracoviensibus quam Premisliensibus, ut postquam ad statum secundi habitus de observantia per capitulum provinciale translatae fuerint et intra clausuram constitutae, valeant sibi ipsis priorissam ex eodem monasterio eligere.

Postulante provincia augemus numerum magistrorum ad quindenarium, baccalaureorum vero ad octodenarium, ea lege et conditione, ne deinceps alii petantur.

Damus in regentem studii nostri Cracoviensis p. magistrum fr. Thomam Rozensc, in baccalaureum vero p. fr. Cratillum, postquam praesens baccalaureus munus suum confecerit.

Promovemus ad magisterium sic postulante provincia rev. p. fr. Adamum Pickarski, p. fr. Camillum Iasinski et p. fr. Sventoslaum Silnicki baccalaureos, servatis servandis, ut in literis patentibus pro ipsorum promotione expeditis, et dummodo officium baccalaurei ad tempus statutum exercuerint ; ad baccalaureatum vero eadem lege promovemus rr. pp. fr. Albertum Mosticensem, fr. Vencislaum Zabrzeski, fr. Ignatium Telkicel, fr. Valerianum Grocolscki, fr. Felicianum Vidaviensem, fr. Dominicum Szaniwski, fr. Albertum Laudantium, fr. Innocentium Morawlski, fr. Samuelem Wierzchovium et fr. Cratillum, dummodo munus magistri studentium perfecerint.

Instituimus in praedicatores generales rr. pp. fr. Ambrosium Sienicki, p. fr. Florianum Smogorzewski, p. fr. Severinum Krzyczkowski, p. fr. Mattheum Lukaszowic, p. fr. Bernardum, p. fr. Raymundum, p. fr. Calixtum Rodkowiski, p. fr. Abraham Rabcal de Olsna, p. fr. Laurentium conventus Ratislaviensis et fr. Marcum Sepocka conventus Cracoviensis, modo habeant requisita, sintque loca vacantia et non alias.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Valeriani Lithvanidis, fr. Thomae Rosenski et fr. Ioannis de Leeczna.

Assignamus in studio Bononiensi pro rata suae provinciae p. fr. Ioannem Borec et p. fr. Augustinum Coslovskj, in studio autem Patavino similiter pro rata huius provinciae p. fr. Bernardum Skepski et p. fr. Iacobum Kolcovz.

In provincia Graeciae.

Concedimus, ut iuxta antiquam huius provinciae consuetudinem provincialis officium pro tempore ad triennium extendatur.

Instituimus praedicatores generales p. fr. Victorium Salomoni pro conventu Candacen. et p. fr. Gregorium Cidonia pro conventu Cidonien.

Concedimus, ut in hac provincia die 23. septembris officium de beata Tecla sub festo trium lectionum celebrari possit.

In provincia Aragoniae.

Concedimus ad petitionem huius provinciae pro hac vice tantum, ut patres praesentati fr. Petrus Ferran principatus Cataloniae, fr. Reginaldus Amiguet regni Aragoniae et fr. Gaspar Valles regni Valentini possint ad magisterium suo loco et tempore promoveri, cum requisitos actus scholasticos, ante ultimam ordinationem de legendo in aliqua universitate, in aliis conventibus perfecerint, modo non obstet decretum apostolicum.

Declaramus ordinationem reverendissimi magistri ordinis de aetate graduandorum intelligendam esse de magistris et praedicatoribus generalibus, non autem de praesentatis iuxta eiusdem reverendissimi generalis mentem.

Erigimus in prioratum domum s. Vincentii Ferrerii Villae Novae de Castello, modo actu alat duodecim fratres; damusque in priorem patrem fr. Vincentium Molina nunc vicarium, in praedicatorem vero generalem p. fr. Ioannem Gonzales.

Admodum rev. p. provinciali committimus, ut mittat ad reverendissimum patrem nostrum generalem numerum praedicatorum generalium, qui in conventibus, pro quibus fuerunt instituti, ex causa reali permanere non possunt; rogamusque eundem reverendissimum patrem nostrum, ut pro sua prudentia cum vere impeditis in ordinatione a se facta velit dispensare.

Item pro hac vice dumtaxat p. provinciali moderno concedimus, ut propter gravissima huius provinciae negotia, quae instare et urgere exposuit, aliquot patres graviores ex unaquaque eiusdem provinciae natione loco accommodato convocare valeat et de eorum consilio, quae fuerint opportuna, statuere. Quae tamen statuta robur non habeant, donec fuerint per reverendissimum magistrum ordinis confirmata.

Committimus p. provinciali, ut diligenter inspectis licentiis huius provinciae fratribus pro transferenda affiliatione concessis, si conditiones appositas non fuisse servatas deprehenderit, inanes esse declaret.

Cum nonnulli rev. p. studentes extranei, ut a p. provinciali significatum fuit, voce in electionibus privari cupiant, quo sic multis sese molestiis expediant, aequi bonique consulimus, ut, obtenta a sanctissimo d. n. desuper facultate, iidem extranei studentes privati voce in electionibus declarentur.

Concedimus monialibus s. Agnetis Caesaraugustae, ut festum s. Didaci de Alcala sub duplici celebrare possint.

Promovemus ad magisterium et baccalaureatum respective omnes illos, qui secundum ordinem petitionum provinciae loca modo vacantia occupare debent, iuxta literas patentes a reverendissimo magistro ordinis expeditas.

In provincia Bohemiae.

Concedimus duos lectores a patre reverendissimo magistro ordinis designandos pro conventibus sanctae Mariae Magdalenae Pragae et s. Michaelis Olmutii et in exequutionem literarum, a sacra congregatione de Propaganda Fide ad ipsum magistrum ordinis directarum, destinamus in hanc provinciam Bohemiae admodum rev. p. magistrum fr. Dominicum de Mantua ex provincia nostra Lombardiae assignantes ipsum pro lectoris et regentis officio in conventu nostro Pragae, ut ibi sex aut octo studentes, quos ex eadem provincia Lombardiae, literarum sufficientia et religiosis moribus praeditos secum ducet, aliosque eiusdem provinciae Bohemiae seu etiam aliarum provinciarum mittendos fratres theologicas materias doceat, pro loci opportunitate, ad veritatis catholicae praesidium et religionis nostrae incrementum.

Acceptamus ecclesias ordini nostro oblatas prope sanctam Agnetem, servatis servandis iuxta constitutiones nostras de domibus et ecclesiis recipiendis.

In provincia Provinciae.

Cum aliqui huius provinciae conventus sint incorporati congregationi Occitanae, concedimus, ut contributiones iuxta proportionem minuantur.

Declaramus, p. fr. Antonium Passardi non esse priorem conventus nostri Vapincensis, cum electus fuerit duodecim annis a professione nondum expletis, quem tamen instituimus vicarium in capite eiusdem conventus.

Promovemus ad baccalaureatum p. fr. Claudium Cortes (1) in nostro conventu Aquensi lectorem, modo habeat requisita, et servatis servandis.

Instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Thomam Neci de Nicea pro conventu Niceae, si alius praedicator iam non fuerit pro eodem conventu institutus.

In provincia Dalmatiae.

Concedimus, ut in hac provincia die 23. septembris officium fiat de beata Tecla sub festo trium lectionum.

Dispensamus ad petitionem provinciae propter penuriam servorum, ut in ea fratres conversi elapso uno probationis anno profiteri possint, dum tamen per aliquod temporis spatium in habitu saeculari infimis officiis intenti in conventibus versentur.

(1) De fr. Claudio Cortes cf. SSOP. II, 562.

Confirmamus ordinationes factas ab admodum rev. p. provinciali fr. Nicolao de Pharo lectore pro reformatione novitiatuum et studiorum huius provinciae.

Rogamus reverendissimum patrem magistrum ordinis, ne deinceps ulli fratri huius provinciae facultatem concedat affiliationem in aliam provinciam transferendi.

Admonemus admodum rev. p. provinciales, ne huius provinciae fratres profugos recipiant nisi iuxta ordinationes et statuta ordinis nostri, neque aliquem ex hac provincia ad gradus aut dignitates admittant, quin praemonuerint huiusmet provinciae provincialem, eius sententia bonoque testimonio praehabito.

Statuimus, ut qui fuerit prior in uno conventu, in eodem iterum eligi nequeat ante elapsum interstitium duorum prioratuum, quo exacto, si alia vice fuerit prior, iterum eligi non possit nisi transacto trium prioratuum spatio, et sic deinceps, addendo interstitium unius prioratus ad praecedentes, si contingat pluries eundem fratrem in eodem conventu eligi in priorem.

Cum ex paucitate discipulorum non possint fratres docendo facile gradus sibi comparare, concedimus, ut qui per quadriennium conciones infra annum habuerint aut infra tantumdem tempus casus conscientiae ter in hebdomada aut sacram scripturam diebus festivis legerint sive artium cursum perfecerint, ad officium magistri studentium et baccalaureatus peti possint, si alias sufficientes in doctrina fuerint.

Damus in regentem studii Iadrensis pro futuro triennio admodum rev. p. magistrum fr. Victorium de Iadra, pro alio autem triennio admodum rev. p. magistrum fr. Sixtum Philippum de Brachia, in baccalaureum vero pro futuro biennio p. fr. Dominicum Bevilaqua de Lesina, decernentes, ut huiusmodi baccalaurei ordinarii pro tempore biennium in officio consumant.

Instituimus in baccalaureos rr. pp. fr. Dominicum Glodium de Cattaro, fr. Dominicum Bevilaqua de Lesina et fr. Franciscum Martinovicum de Brachia.

Assignamus in studio nostro Bononiensi pro rata suae provinciae et loco vacante p. fr. Victorium Grimani de Iadra.

In provincia Siciliae.

Statuimus baccalaureos et magistros absque petitione provinciae institutos nec loco neque voce potiri posse, sed tantum titulo, donec acceptentur a capitulo provinciali.

Decernimus iuxta alias ordinata, studentes formales in studiis generalibus tantum per capitulum provinciale esse assignandos, praevio examine quoad mores per priorem et pp. conventus, ubi erant assignati,

quo vero ad sufficientiam literarum per moderatores studii faciendo; cuius examinis et approbationis in ipsa assignatione fiat mentio, praefixo termino sex mensium, quo elapso nisi assignationes ipsae executioni mandatae fuerint, nullius sint postea roboris et firmitatis.

Damus in regentem studii Panormitani p. magistrum fr. Thomam Galuzzo, in baccalaureum ordinarium p. fr. Vincentium Abbate pro primis duobus annis, pro aliis vero duobus annis consecuturis p. fr. Hieronymum Anastasi; in magistrum studentium pro primo anno fr. Franciscum Ansalone, pro secundo p. fr. Dominicum de Adernione et pro tertio p. fr. Placidum de Leontino.

In studio vero Messanensi elapso tempore praesentis regentis damus in regentem p. magistrum fr. Ioannem Baptistam Rugieri, in baccalaureum ordinarium pro primis duobus annis p. fr. Petrum Rabbasa et pro aliis duobus p. fr. Mauritium de Gregorio (1); in magistrum studentium p. fr. Dominicum de Casali vecchio pro primo anno, pro secundo p. fr. Franciscum Spuchies et pro tertio p. fr. Vincentium de Drepano.

Confirmamus in vicarium loci nostri s. Catharinae de Senis civitatis Catanae p. fr. Raphaelem de Catania, donec conventus, cuius aedificationi insistit, fuerit constructus.

Assignamus in studio Bononiensi pro loco primò vacante et pro rata huius provinciae fr. Aloysium de Genua.

In provincia Portugalliae.

Ad assiduam instantiam patris magistri fr. Iosephi de s. Maria, vicarii super conventibus recollectis instituti, ipsum ab huiusmodi vicariatus munere liberamus et absolvimus; statuentes, ut iidem conventus recollecti subsint curae p. provincialis pro tempore, qui tamen invitis eorundem conventuum prioribus fratres in eis assignare nec inde removere possit. Cuius provincialis conscientiam aggravamus, ut strictissimam regularem observantiam iuxta constitutiones nostras omni rigore promoveat.

Concedimus huic provinciae, ut facultatem a summo pontifice petere possit praetermittendi capitula intermedia.

Erigimus in conventum vicariam s. Antonii de Montemor, modo habeat requisita, volentes, ut primus prior a vocalibus eligatur.

Promovemus ad magisterium, salvis provinciae iuribus, patrem praesentatum fr. Antonium a Nativitate, qui coram reverendissimo magistro ordinis de sua sufficientia in hoc capitulo periculum fecit.

In provincia inferioris Germaniae.

Decernimus, ut in singulis conventibus quotidie saltem per horam

(1) De fr. Mauritio de Gregorio cf. SSOP. II, 566.

exercitium casuum conscientiae habeatur, cui praesit doctior ex fratribus a patre provinciali deputandus; in studiis vero Lovaniensi et Duacensi unus ex regentibus ter saltem in hebdomada sacram scripturam exponat.

Volumus, ut in conventu Montensi novitiatus instituatur pro conventibus novis, nullusque in eo conventu assignetur, qui exactam reformationem servare noluerit.

Monemus omnes patres provinciales, ne ullum ex hac provincia recipiant, nisi licentiam p. reverendissimi magistri ordinis ad solius patris provincialis petitionem obtentam exhibeat.

Committimus pp. provincialibus huius provinciae pro tempore, ut curam habeant confraternitatis sanctissimi Rosarii, nuper in conventu Lovaniensi instauratae, eique fratres zelo et religione conspicuos praeficiant.

Damus in regentes pro locis vacantibus studii nostri Lovaniensis p. fr. Franciscum Capronium sacrae theologiae praesentatum, quem ob insignem doctrinam satis reverendissimo per examen perspectam in magistrum promovemus, et p. fr. Iacobum van Hesde, quem in baccalaureum instituimus.

Revocamus in hanc suam provinciam p. fr. Petrum Holbece sacrae theologiae licentiatum Parisiensem, quem damus in regentem studii nostri Duacensis pro loco primo vacaturo.

Promovemus ad gradum licentiae in ordine p. fr. Iacobum de Brouloer et p. fr. Ioannem Dumets, ad baccalaureatum vero in ordine p. fr. Hieronymum Fabrum (1), p. fr. Ioannem Cabiliau et p. fr. Adrianum Paymans, modo per huiusmodi promotiones non excedatur numerus graduatorum huic provinciae praescriptus.

Instituimus in praedicatores generales pp. fr. Thomam Placon sacrae theologiae licentiatum Duacensem et fr. Dominicum Remon licentiatum Lovaniensem, servatis servandis.

Acceptamus pro hac vice tantum gradum licentiae p. fr. Petri du Fay, ac si eum in ordine suscepisset, concedentes ei, ut collato sibi magisterii gradu potiatur.

Concedimus iuxta iteratam provinciae instantiam et habita, quatenus opus esset, facultate a sanctissimo d. n., ut pater praesentatus fr. Franciscus Vivero Hispanus, serenissimae Infantis Hispaniarum a sacris concionibus, titulo magisterii in hac Germaniae inferioris provincia gaudeat.

In provincia sancti Thomae.

Mandamus admodum rev. p. provinciali pro tempore sub poena ab-

(1) De fr. Hieronymo Fabro cf. SSOP. II, 524.

solutionis ab officio, ne permittat priores extra suas ecclesias tempore Adventus et Quadragesimae conciones habere.

Ad petitionem p. provincialis, attenta egestate conventus sancti Dominici de Andria, deputamus pro studio generali ea necessitate durante conventum s. Petri Martyris Imperialis de Taranto, usque ad tempus reverendissimo magistro ordinis bene visum.

Expleto triennio praesentis regentis, assignamus in conventu s. Petri Imperialis pro eodem regentis officio p. baccalaureum fr. Dominicum de Gravina.

Statuimus, ut in conventu s. Ioannis de Aymo civitatis Lycii sex saltem studentes sacerdotes assignentur, prius tamen examinati a moderatoribus studii Tarantini; qui expleto triennio et habitis pp. lectorum litteris testimonialibus de probitate morum ac litterarum sufficientia, in eodem studio Taranti pro lectoris officio examinari poterunt; ipsi vero studentes conventus Lycii nullis gaudeant studentium formalium privilegiis, nisi prius a moderatoribus studii formalis Taranti examinati fuerint; studentes autem sacerdotes in eodem conventu de Lycio, exacto triennio a die qua ordinem presbiteratus susceperint incipiendo, studium formale adire poterunt, ibi examen subituri pro lectoris officio consequendo.

Ad evitanda plurima incommoda statuimus, ut priores, qui officio cesserint, non possint eligi in priores aliorum conventuum, nisi forte causa infirmitatis seu expleto biennio sese officio, permittente provinciali, abdicaverint.

Decernimus, ut affiliationes fratrum aliarum provinciarum non acceptentur nisi in capitulo provinciali a pp. diffinitoribus et patribus provinciae per vota secreta.

Acceptamus omnia acta et ordinationes factas in congregatione proxime celebrata in conventu s. Dominici de Monopoli.

In provincia Calabriae.

Confirmamus ordinationem factam ab illustrissimo et reverendissimo d. d. cardinali de Aracaeli in visitatione huius provinciae, cum generalis officio fungeretur.

Erigimus in studium formale conventum s. Dominici de Suriano ea forma, qua per capitulum generale postremo Bononiae celebratum instituta fuerunt studia formalia in provincia utriusque Lombardiae extra Bononiam.

Mandamus patri provinciali pro tempore sub poena absolutionis ab officio, ne unquam locari, vendi aut quocunque modo alienari permittat casale seu castellum conventus Altimontis; et nihilominus si secus factum fuerit, totum irritum et inane decernimus.

Confirmamus in vicarium hospitii civitatis Paulae p. fr. Ioannem Baptistam de Montealto.

Provisiones studiorum committimus reverendissimo patri magistro ordinis.

Assignamus Bononiae pro rata huius provinciae p. fr. Silvestrum Theodonium et p. fr. Dominicum de Fillogasio, quos tamen a sua provincia recedere nolumus, priusquam vocentur a p. priore Bononiensi; quo modo assignamus in studio Patavino p. fr. Andream de Boogi. Graduandi autem intra numerum praescriptum a provincia postulati veniant ad reverendissimum magistrum ordinis, examen coram ipso subituri.

In provincia Hiberniae.

Restituimus nostrae congregationi Hiberniae nomen et titulum provinciae damusque in provincialem patrem praesentatum fr. Rochum de Cruce.

Tradimus huic provinciae conventum Belvariensem in Gallia, modo patres provinciae Franciae consentiant.

Commendamus admodum rev. p. provinciali provinciae inferioris Germaniae magistro fr. Ioanni de Loix omnes fratres Hibernos, ut pro eo quantum poterit, ipsis faveat apud Flandriae magnates.

Concedimus, ut in quolibet studio generali locis vacantibus adsint unus vel duo fratres huius provinciae Hiberniae.

Cum in hac provincia fratres nostri praedicationi evangelicae potissimum ad convertendos haereticos insistere debeant, eis facultatem concedimus petendi a summo pontifice, ut gradibus titulo praedicationis insigniri valeant.

Concedimus huic provinciae, ut donec in regno Angliae res pacatae non fuerint, partem aliquam bonorum fratrum defunctorum ad conventus aliarum provinciarum, quorum ipsi defuncti erant filii, mittere non teneantur.

Item concedimus patri provinciali huius provinciae, ut revocare possit omnes studentes Hibernos, cum sibi expedire videbitur; nullum vero fratrem volumus sine eiusdem provincialis licentia in scriptis obtenta posse recedere a provincia sub poena carceris et aliis arbitrariis.

In provincia s. Iacobi de Mexico.

Concedimus huic provinciae facultatem petendi a summo pontifice, ut vicarii trium domorum, scilicet Chimalvacam, Chalco et de Queutla de las Amilpas et de Tequescetepec suffragium habere possint in electione provincialis; item ut tres priores conventuum de Zacatecas, Guadalaxara et Vera Cruz eligantur a provinciali cum diffinitorio aut sex patribus provinciae. Insuper, ut vocales ad electionem prioris conventuum de la Puebla et de Mexico duodecim annos a professione habere debeant.

Concedimus patri provinciali pro tempore, ut possit in vicariis vacantibus vicarios instituere de consilio sex graviorum patrum per vota

secreta, quando commode totidem magistros, ad quos iuxta alias ordinata huiusmodi consilium praestare spectat, convocare non poterit.

Promovemus ad praesentaturam pro locis nunc vacantibus ad petitionem provinciae p. fr. Franciscum de Olmos et p. fr. Didacum de Moncayo.

Approbamus praedicaturam generalem patris fr. Dominici de Monroy pro conventu Mexicano et, quatenus opus est, ipsum in praedicatorem generalem pro eodem conventu instituimus, decernentes, ut primus locus vacans detur p. fr. Ioanni de Esquibel iuxta acta capituli provincialis in hac provincia ultimo celebrati.

Revocamus et cassamus magisterium p. fr. Alonsi de Aguilera, nisi expresse summus pontifex super requisitis et sufficientia litterarum dispensaverit.

Confirmamus ordinationem de alternativa electionis provincialis ex natis in Hispania et ex natis in Indiis, ita ut, si aliter fiat, ipso facto electio sit nulla et inanis; mandamus autem sub poena absolutionis ab officio p. provinciali pro tempore, ut iustitiam distributivam et aequalitatem servari curet in postulandis gradibus et recipiendis ad habitum; quod si modo plures ex altera dictarum partium recepti inveniantur, nullus admittatur, quoadusque totidem ex altera parte admissi fuerint.

Damus facultatem admodum rev. p. provinciali pro tempore, ut fratres ad provinciam Philippinarum destinatos seu destinandos prima data navigationis occasione ad pergendum in eandem provinciam compellere possit.

Concedimus ad petitionem provinciae, et quantum in nobis est, ut lectiones, quae habebuntur in conventu de Guadalaxara, cum studium ex munificentia regia fuerit institutum, valeant pro gradibus in ordine suscipiendis.

Statuimus, ne recipiantur ad habitum neque clericalem neque laicorum, qui ex Mauris, haereticis atque Iudaeis usque ad quartam generationem originem traxerint, neque qui vulgo mulatos et mestizos nuncupantur, sicut neque qui per sanctissimum inquisitionis tribunal abiuratione formali fuerint reconciliati.

Ordinamus, ne deinceps instituantur praedicatores generales nisi hac lege, ut permanere ac degere debeant in conventibus, pro quibus fuerint instituti, et non alias.

Districte prohibemus, ne fratres ex domo novitiorum sint cubicularii quorumcunque patrum nec etiam provincialium.

In provincia Occitana.

Monemus admodum rev. p. provincialem, ut omnino curam habeat instituendae et promovendae reformationis, ipso enim in hunc finem

cum fructu laborante, conventus provinciae nullo modo ab ea separabuntur.

Promovemus ad magisterium ad petitionem provinciae p. baccalaureum fr. Franciscum Bovat, praemisso rigoroso examine coram reverendissimo magistro ordinis iuxta litteras pontificias.

In provincia s. Dominici.

Concedimus huic provinciae, ut in ea festum de beata Tecla 23. septembris more trium lectionum celebrari possit.

Damus in baccalaureum studii Patavini pro duobus annis proxime futuris rev. p. fr. Thomam Marcheti de Utino; in magistrum vero studentium pro anno 1622 rev. p. fr. Gasparem Cremoninum, pro anno 1623 rev. p. lectorem fr. Marinum Cerchiari de Padua, modo praevio examine coram reverendissimo magistro ordinis approbati fuerint.

Illi vero, qui ad gradus sunt a provincia postulati, modo non excedatur numerus in generalibus capitulis praescriptus, se ipsos reverendissimo magistro ordinis sistere debebunt, examen coram ipso subituri.

Caeterum promovemus ad magisterium rev. p. baccalaureum fr. Franciscum Cortivum, qui in hoc generali capitulo pro sua provincia conclusiones defendit.

Approbamus magisterium rev. p. magistri fr. Innocentii Floravanti de Venetiis et praedicaturam generalem p. fr. Archangeli de Venetiis. Instituimus vero in praedicatorem generalem ad petitionem provinciae p. fr. Camillum de Venetiis, servatis servandis.

In provincia s. Petri Martyris.

Concedimus, ut in hac provincia possit celebrari octava solemnis s. Petri Martyris in conventu s. Eustorgii; in aliis vero conventibus fiat quotidie de ipso memoria, etiamsi alia festa supervenerint.

Confirmamus in provincialem huius provinciae admodum rev. p. magistrum fr. Dominicum Castillioneum, unanimi consensu electum, cum solita auctoritate et potestate.

Confirmamus, quo ad nos attinet, ordinationem in capitulis provincialibus huius provinciae factam de alternativa provincialis una vice de Pedemontana natione et alia de Mediolanensi vicissim eligendi.

Statuimus, ne ullus gaudeat titulo lectoris seu praedicatoris nisi iuxta probatam ordinis consuetudinem.

Decernimus, ut qui renuunt subire onera magistri studentium et baccalaurei ordinarii in studio generali s. Eustorgii suo loco et tempore, in posterum ad eadem munera non admittantur neque, si admissi fuerint, baccalaureorum aut magistrorum privilegiis gaudeant.

Promovemus ad magisterium rr. pp. baccalaureos fr. Antonium Cataneum de Derthona, p. fr. Benedictum Marabotum de Taurino, quem

etiam damus in regentem studii nostri s. Eustorgii pro tribus futuris annis, p. fr. Ioannem Baptistam Balbum de Taurino (1), quem damus in baccalaureum ordinarium eiusdem studii pro duobus sequentibus annis; ad baccalaureatum vero promovemus p. fr. Clementem de Iporedia, dantes eum in magistrum studii pro anno praesenti 1622; p. fr. Cynthium Montegualdonum, quem pro anno 1623 damus pro eodem munere magistri studentium; p. fr. Conradum Inbonatum de Mediolano et p. fr. Matthiam Perottum lectorem et priorem Mediolanensem ac diffinitorem capituli provincialis, sine praeiudicio tamen suorum maiorum iuxta petitionem alias factam in capitulo Derthonensi.

Instituimus in praedicatores generales pp. lectores fr. Raymundum Iordanum, fr. Iacobum Philippum Cabbiatum priorem Modoetiensem et fr. Ioannem Baptistam de Valentibus iuxta petitionem capituli antecedentis.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Dominici de Novaria, fr. Francisci Valle de Mediolano, fr. Hyacinthi Broliae de Cherio inquisitoris Vercellarum, et baccalaureatum fr. Io. Baptistae de Taurino et fr. Io. Baptistae de Derthona ac praedicaturam generalem p. fr. Anselmi Ceruti lectoris de Monteregali.

In provincia s. Catharinae de Senis.

Concedimus, ut in conventu Iesu Mariae de Neapoli officium de s. Vincentio feria 4. possit celebrari.

Deputamus studium in conventu s. Mariae ab Arcu modo et forma per reverendissimum magistrum ordinis praestituenda.

Statuimus, ut in studio Aquilano is ad gradum baccalaureatus primo ascendat, qui prius fuerit magister studentium; ille vero munus regentis prius obtineat, qui pro gradu baccalaureatus prius legerit, caeteris tamen paribus.

Non admittatur lectoribus lectura artium, nisi triennio integro perlegerint neque inde possint ad legendam theologiam transire sine licentia capituli provincialis vel ipsius patris provincialis.

Approbamus magisterium p. baccalaurei fr. Iacobi Cumani, dummodo legerit pro gradu et forma. et praedicaturam generalem p. fr. Ioannis Baptistae Phaenicii.

Damus in regentem studii nostri Aquilani p. fr. Ignatium Terracianum baccalaureum ordinarium, modo accedat ad examen coram reverendissimo p. generali; de baccalaureo autem ordinario providebit idem reverendissimus; in magistrum vero studentium pro anno 1622 damus p. fr. Io. Baptistam de Dominicis Lucensem, pro anno 1623 p. fr. Au-

(1) De fr. Ioanne Baptista Balbo cf. SSOP. II, 450.

gustinum Cerasola Theatinum, et pro anno 1624 p. fr. Bernardinum Cutillum lectores.

In provincia Russiae

Concedimus, ut in hac provincia feria quarta vacante fiat officium de s. Hyacintho, excepto conventu Leopoliensi s. M. Magdalenae, in quo de s. Thoma eadem feria quarta non impedita debet officium persolvi.

Confirmamus iam tertio erectionem nostrae provinciae Russiae, decernentes, eam ex vi constitutionum nostrarum inter provincias ordinis esse connumerandam.

Provincialis, quamprimum fuerit electus, tamquam vicarius provinciae eam regat et moderetur, et interea dum confirmatione caruerit, quaecunque per ipsum fient, rata sint et firma, prout alias vicariis peregrinantium a Gregorio XI. fuit concessum; poterit enim iure suo uti, donec de revocatione huiusmodi pontificiae concessionis constiterit.

Ad instantiam provinciae concedimus, ut priores conventuum sint triennales, et in capitulo provinciali prius eligantur diffinitores quam provincialis.

Concedimus, ut si fuerit dubium aliquod circa electionem provincialis vel quod non sit rite facta et secundum ius, ad evitanda scandala pp. magistri provinciae et baccalaurei cum diffinitoribus determinent et diffiniant, quid sit agendum; in qua congregatione praesidebit antiquior diffinitor in professione. Ipse tamen provincialis electus non intrabit cum praedictis patribus ad consilium. Et quidquid ipsi diffinierint, videlicet vel quod maneat electus vel quod procedatur ad aliam electionem, pro rato habeatur et inviolabiliter observetur, usquequo ad reverendissimum mittatur decretum et factus sit certior de omnibus, et eius responsum habeatur.

Promovemus ad magisterium et ad baccalaureatum, ut compleatur numerus a capitulis generalibus designatus, eos qui a provincia fuerunt respective postulati, videlicet rev. p. fr. Leonardum de Ielovo, rev. p. fr. Symphorianum de Scyrez, rev. p. fr. Damascenum de Leopoli baccalaureos ad gradum magisterii; ad baccalaureatum vero rev. p. fr. Erasmum de Luceoria, rev. p. fr. Coelestinum de Leopoli lectores et rev. p. fr. Ceslaum de Presmilia praedicatorem generalem ratione praedicationis, servatis semper iuribus suae provinciae, ut nemini fiat iniuria.

Erigimus in conventus loca noviter recepta, nempe Smolenscensem tituli sancti Hyacinthi confessoris, Skloviensem et Minstensem tituli sancti Thomae Aquinatis, servatis tamen servandis iuxta decreta nostrarum constitutionum et ordinationum capitulorum generalium; insuper acceptamus et, quatenus opus est, approbamus conventus in petitionibus contentos, videlicet Iezupoliensem tit. Assumptionis b. v. M., Constantinovien-

sem s. Io. Baptistae, Busciensem Assumptionis b. v. M., Laticzoviensem s. Thomae Aquinatis, Barensem s. Annae, Saraffensem b. v. M., Potocensem s. Stephani protomartyris, Czarikoviensem s. Stanislai episcopi et martyris, Leopoliensem s. Mariae Magdalenae, pro studio generali nuper ex piorum eleemosinis erectum.

Damus in regentem studii generalis Leopoliensis rev. p. fr. Victorinum Buscensem magistrum, in baccalaureum ordinarium rev. p. fr. Leonardum magistrum. De magistro studii provideat admodum rev. p. provincialis pro tempore existens.

Capitulum provinciale, quod erit electionis, pro dominica « Deus qui errantibus » anno 1624 celebretur, et tunc intelligatur admodum rev. p. provincialis moderni officium expletum esse.

Statuimus, ne mittantur ad studia generalia, qui non perfecerint cursum artium et inceperint studia theologica.

In congregatione Occitana.

Acceptamus conventum nuncupatum Nova Betlehem de Blainville in Lotharingia dioecesis Tullensis, fundatore reverendissimo d. Antonio de Lenoncourt, primate Nanceiano.

Acceptamus domum vicarialem s. Mariae apud Gonessiam pro conventu s. Mariae Annuntiatae Parisiis, collatore illustrissimo d. d. Henrico de Gondy, cardinali de Rets, episcopo Parisiensi, et approbamus contractus initos inter conventum nostrum Parisiensem et d. Ricardum de Ognon baccalaureum Parisiensem, ultimum administratorem praefatae domus.

Conceditur, ut in conventu Tholosae fiat octava solemnis s. Thomae, non praetermisso officio beatae virginis et homilia feriali.

Ordinamus, ne ulla omnino neque per litteras fiat nominatio vicarii generalis pro tempore instituendi; quod si reverendissimus p. magister ordinis pro vicario idoneo inter caeteros eligendo litteras dederit ad aliquos patres, respondeant, quod secundum Deum et conscientiam expedire iudicaverint.

Suppriores sint biennales in eodem conventu, syndici autem possint a p. vicario generali confirmari, si ita expedire sibi visum fuerit.

Pater vicarius generalis pro tempore annuas visitationes singulorum conventuum per semetipsum, novitiatuum vero bis in anno vel per se vel per alium gerat.

Erigimus conventum Parisiensem s. Mariae Annuntiatae simul cum Tholosano in studium generale artium et s. theologiae, Burdegalensem vero in studium linguarum s. scripturae et historiae ecclesiasticae, in quibus serventur ad rigorem, quae ordinata sunt in constitutionibus et capitulis gen. circa regentes, magistros studii, lectores et studentes. Curent vero lectores, ut artes duobus annis, theologiam vero tam speculativam

quam moralem quatuor annis absolvant; ante quod tempus nullus studentium ad praedicandum assumatur; expleto vero quadriennio in s. theol. transmittantur, qui aptiores iudicabuntur ad studium sacrae scripturae in conventum Burdegalensem. In caeteris vero conventibus habeatur lectio casuum conscientiae.

Deputamus conventus Avinionensem, Burdegalensem et Parisiensem pro novitiis puris educandis, ad quos superiores aliorum conventuum recenter indutos quamprimum transmittant ibique a magistris novitiorum, secundum formam constitutionum capitulorum gen. et bullam Clementis VIII. institutis, educentur, neque ullo modo in regimine ipsorum aut quacunque alia re ad ipsos spectante quivis alius praeter ipsorum magistrum, excepto dumtaxat priore vel praesidente conventus, se immisceat.

Confirmamus omnia privilegia et gratias in aliis capitulis generalibus huic congregationi concessas, modo non repugnent his in hoc capitulo ordinatis.

In congregatione Ragusina.

Fratres aptiores et antiquiores, qui nominati fuerint a pp. congregationis ad gradus obtinendos, accedant ad reverendissimum magistrum ordinis, medio examine de litterarum sufficientia periculum facturi.

Si aliquando celebrandum sit capitulum in hac congregatione, eo casu vicarius generalis non possit instituere suppriorem illius conventus, in quo huiusmodi celebratio erit habenda, nec facere vicarios locorum sine consilio patrum; qui si forte in eandem sententiam non convenerint, possit eos tunc vicarius instituere.

Acceptamus locum s. Vincentii in oppido Breni, servatis servandis.

Novitii non mittantur extra congregationem causa studiorum, quin prius cursum philosophiae peregerint et sacrae theologiae studere inceperint.

Patres lectores, qui biennio perlegerint, et praedicatores, qui per quatuor quadragesimas conciones habuerint, poterunt esse pp. a consiliis.

Nulli permittatur concionari, nisi cursum philosophiae et per triennium s. theologiam iuxta constitutiones nostras audierit.

Qui admittentur ad habitum, professionem, sacros ordines vel ad audiendas confessiones aut conciones habendas, examinentur ab examinatoribus simul congregatis, facta prius approbatione de vita et moribus et quoad recipiendos de honestate familiae, et omnia fiant per vota secreta.

Serventur omnino constitutiones apostolicae de non alienandis bonis et de contractibus ad determinatum tempus faciendis iuxta easdem constitutiones apostolicas.

In congregatione Sardiniae.

Acceptamus collegium, quod erigitur in civitate Ecclesiensi, remittentes recognitionem pactorum admodum rev. p. magistro fr. Vincentio Goni, vicario generali huius congregationis, qui omnia accurate inspiciat et consideret, quae pro bono religionis expediunt.

Promovemus ad magisterium p. fr. Franciscum Manca praesentatum, ad baccalaureatum vero p. fr. Io. Capocium, p. fr. Franciscum Puisech, praevio tamen examine iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium.

Instituimus in praedicatorem generalem p. fr. Michaelem Agus et transferimus praedicaturam generalem p. fr. Thomae Piczalis, quae est pro conventu Orestani ad conventum s. Dominici Calleris, cuius est filius, dummodo pro eodem conventu non sit alius praedicator generalis institutus.

In congregatione Sanitatis.

Confirmamus in priorem conventus nostri s. Mariae Sanitatis admodum rev. p. magistrum fr. Dominicum Gulielminum electum, dum in hoc capitulo praesens adesset.

Animadversio.

Ne hoc reformationis nomen, quo saepius in his ordinationibus occasione reparandae regularis observantiae iam fere temporum iniuria in nonnullis provinciis collapsae utimur, aliquod forte praeiudicium ordinis nostri unitati, invidente et ambitionis ignem excitante diabolo, progressu temporis generare possit, animadvertant omnes ordinis nostri fratres, nihil aliud per idem reformationis vocabulum intelligi debere, quam regularis vitae observantiam iuxta nostras sacras constitutiones et acta nostrorum capitulorum generalium, non mutato habitu nullisque novitatibus aut ceremoniis inductis praeter usque modo communiter receptas et approbatas; quam quidem observantiam omnes ordinis nostri provincias, quatenus opus est, ac prout reverendissimus magister ordinis sua sollicitudine et zelo disposuerit, amplecti cupimus. Caeterum cautos omnes esse volumus, quod, ut in declaratione prologi nostrarum constitutionum habetur, ideo sub unius professionis voto vivere dicimur, quia sub unius generalis capituli et sub unius generalis magistri obedientia regimur et gubernamur. Sicut enim unitas ecclesiae ex unitate capitis dependet, ita et unitas ordinis nostri ex unitate unius generalis capituli et unius generalis magistri, cui secundum unam regulam et secundum easdem constitutiones ex voto nostrae professionis tenemur obedire, absque dubio dependere dignoscitur; quamobrem in capitulis generalibus Romae celebratis 1589, 1601, 1608, 1612 et Venetiis 1592, Parisiis 1611 et Ulyssipone 1618 et in hoc capitulo generali prohibetur strictissime, ne divisionem ordinis quocunque modo fratres procurent.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Gregorio XV. et felici statu s. matris ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Ferdinando et felici statu Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo et regina quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege et regina quil. sac. unam mis.

Pro serenissimo rege Poloniae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. d. cardinali Burghesio, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. d. cardinali de Aracaeli, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. d. cardinali de Cremona, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. d. cardinali Borromeo, huius civitatis Mediolanensis archiepiscopo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis quil. sac. un. mis.

Pro excellentissimo d. duce de Feria quilibet sacerdos unam mis.

Pro universitate civium Mediolanensium quil. sacerd. unam missam.

Pro christianis principibus, qui sub obedientia sedis apostolicae vivunt, et pro bono totius christianae reipublicae quil. sac. unam missam.

Pro omnibus benefactoribus, qui contulerunt eleemosinas huic nostro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustri d. Ioanne de Tillet, barone de la Bussiere, insigni benefactore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu et reformatione totius ordinis nostri et eius capite reverendissimo magistro generali et in eius societate laborantibus, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima admodum rev. p. provincialis terrae sanctae fr. Thomae Marini, cum ex hac vita migraverit, ipso sic instante, quil. sac. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et Ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus bonae mem. illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ord. nostro assumptorum, qui perpetuas eleemosinas cap. gen. in suis testamentis reliquerunt, quil. s. u. m.

Pro anima illustrissimi et reverendissimi d. d. Thomae de Avalos de Aquino patriarchae Antiocheni, qui conventum nostrum s. Thomae de

Aquino civitatis Neapolitanae ex testamento haeredem instituit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima illustrissimi et reverendissimi d.d. cardinalis Petri de Gondy, fundatoris conventus s. Mariae Annuntiatae Parisiis, quil. sac. un. mis.

Pro animabus fratrum et sororum ord. nostri, qui a tempore cap. gen. proxime praeteriti obierunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri quil. sac. un. mis.

Ubi pp. sacerdotibus una missa, clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Ad instantiam illustrissimi et reverendissimi d. d. Matthaei Burati Bononiensis, s. rotae Romanae auditoris, concedimus, ut, statim ac innotuerit conventibus nostrae religionis dies obitus illius, a singulis fratribus sacerdotibus nostri ordinis una missa pro eius anima semel tantum celebretur, ipsius arbitrio et caritati eleemosinam assignandam relinquentes.

Fratres et sorores, qui ab ultimo generali capitulo gloriose obierunt.

In provincia utriusque Lombardiae p. magister fr. Dominicus de Pisauro, qui vivendi ratione ad normam constitutionum suscepta, clarum religionis exemplar se ipsum constantissime praebuit, choro interdiu noctuque infirma etiam valetudine adfuit, tempore praescripto semper ieiunavit, multis coenobiis totaque provincia sanctissime recta, reliqua aetate in conventu Bononiensi mira sanctitate exacta, tandem ibidem 12. februarii praesentis anni 1622 obiit, populo ad praescindendas semel et iterum vestes confluente.

In provincia Romana in conventu s. Marci de Florentia p. magister fr. Antoninus de Bertis, sui instituti custos perpetuus, carne, lineis semper abstinuit, neglecto ad somnum stramine usus, pedes itinera etiam septuagenarius confecit, pastorali cura sponte abdicata vilissima officia obire voluit, ictum iam gladio ferientis Hugonoti, dum Bohemiae pro religione reparanda laboraret, divina ope evasit.

In provincia Aragoniae in conventu monialium s. Iosephi Calataiubi soror Thomasa Moret, eximia sanctitate foemina, adventus et quadragesimae tempore necnon in vigiliis b. V. et apostolorum solo pane famem, aqua vero sitim pellebat; orationi assidua, miris aucta est a Christo crucifixo favoribus; tres totos menses gravissimo morbo vexata, ac flammis ureretur, singularis patientiae monumenta dedit.

In eodem monasterio obiit soror Bernardina de Palafox, ipsius monasterii fundatrix, quae nunquam lecto nisi aegra cubavit; quod semel induit, nunquam mutavit indumentum, suis manibus saepius pro neces-

sitate refectum; sacram eucharistiam singulis diebus s. Catharinae Senensis exemplo sumebat, tandem gloriosissime obiit.

In congregatione Sanitatis p. fr. Leonardus de Litteris patientiam et humilitatem perpetuo coluit, charitate erga Deum et proximum flagravit, totus fuit in confessionibus audiendis, ut mortales in scelera ruentes ad Deum revocaret; eius sanctitatem testatus est frequentissimus populi concursus et mira qua vestes praescindebat devotio, quam appensis etiam ad sepulchrum argenteis, ligneis et cereis imaginibus significarunt.

Praecipimus in meritum sanctae obedientiae omnibus et singulis provinciarum, congregationum et vicariarum praesidentibus, ut acta huius capituli in omnibus conventibus suae curae subiectis intra duos menses a receptione praesentium legi, publicari, semper vero inviolabiliter observari faciant, et saltem quater in anno coram uniuscuiusque conventus communitate repeti mandantes; insuper sub poena absolutionis ab officio omnibus praelatis nostri ordinis, ut trina in quolibet conventu haberi curent exemplaria, quorum unum in communi deposito cum aliis consuatur, alterum habeant priores seu praesidentes conventuum, tertium conservent magistri novitiorum, ne quis praetextu ignorantiae eorum, quae pie sancita sunt, se possit excusare. Volumus autem, ut exemplaribus impressis et sigillo reverendissimi magistri ordinis munitis eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsismet originalibus esset adhibenda. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Damus reverendissimo patri nostro magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare, augere vel minuere, omnia denique et singula facere possit, quae nos possemus, praesertim vero circa promotionem quorumcunque ad quoscunque gradus et circa reformationem conventuum, fratrum et monialium, secundum quod eius prudentiae videbitur expedire.

Capitulum generale sequens, quod erit diffinitorum primum, celebrabitur Tholosae in Gallia in conventu s. Thomae Aquinatis, vel ubi ex causa rationabili reverendissimo magistro ordinis videbitur.

Laus Deo.

ACTA CAPITULI GENERALIS TOLOSAE IN CONVENTU SANCTI THOMAE AQUINATIS ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES XI. IUNII MDCXXVIII.

Sub reverendissimo p. fr. Seraphino Sicco Papien., sacrae theologiae professore, magistro generali totius ordinis praedicatorum, diffinientibus reverendis admodum patribus diffinitoribus:

fr. Francisco de Augustina magistro diffinitore Hispaniae,
fr. Guillelmo Sicreo magistro diffinitore provinciae Tolosanae,
fr. Nicolao de la Mare magistro diffinitore Franciae,
fr. Ioanne Baptista de Capriata mag. priore Papiensi diff. Lombardiae,
fr. Thoma Caccinio magistro diffinitore provinciae Romanae,
fr. Hyacintho Palumba lectore diffinitore Regni,
fr. Ioanne Endebroch praedicatore generali diffinitore Teutoniae,
fr. Alberto Margonio (1) priore Gedanensi diffinitore provinciae Poloniae,
fr. Benedicto Bortholino baccalaureo diffinitore Graeciae,
fr. Ioanne Baptista Pagadoy priore Tarraconensi diffinitore Aragoniae,
fr. Francisco Guidy magistro priore Aquensi diffinitore prov. Provinciae,
fr. Ioanne Matthaeo Rispolis magistro diffinitore Trinacriae,
fr. Francisco Travajos diffinitore Portugalliae,
fr. Augustino de Gatica magistro diffinitore Baeticae,
fr. Francisco Capronio magistro diffinitore Germaniae inferioris,
fr. Ferdinando Martin Calvo praesentato diffinitore Mexicano,
fr. Cosma de Aramburu diffinitore s. Ioannis Baptistae del Perù,
fr. Petro a Montenigro (2) diffinitore Chiappensi,
fr. Antonio Masculo magistro diffinitore Occitano,
fr. Ioanne de Montiel praesentato diffinitore s. Laurentii de Chile,
fr. Raymundo Hurtado praedicatore generali diffinitore Quitensi,
fr. Melchiore de Mançano diffinitore sanctissimi Rosarii Philippinarum,
fr. Ludovico Allegrino de Perusia diffinitore Aprutino,
fr. Thoma a Ponte magistro diffinitore provinciae s. Petri Martyris,
fr. Coelestino Despoth Leopoliensi baccalaureo diff. provinciae Russiae.

(1) De fr. Alberto Margonio cf. SSOP. II, 452.
(2) De fr. Petro de Montenigro cf. l. c. pag. 541.

Fr. Nicolaus Rodulfius,
sacri palatii magister ac totius ordinis praedicatorum
vicarius generalis apostolicus,
universis ac singulis patribus et fratribus eiusdem ordinis
salutem.

Erant fere sub typis haec Tolosani capituli acta, cum reverendissimus pater magister ordinis, ut iampridem vos opportune monuimus, ex Gallia in Italiam regrediens, apud Avenionem ex hac vita migravit. Ea cum ad nos, sanctissimi domini nostri Urbani pp. VIII. motu proprio in vicarium ordinis apostolico diplomate institutos, fideliter fuissent delata, iussimus praelo committi; nunc vero eadem ad vos transmittimus diligenter excusa. Non pauca sunt, tum in communem universi ordinis, tum in propriam cuiusque provinciae utilitatem, prudentissime statuta. Quapropter vobis admodum reverendis patribus provincialibus et congregationum praesidentibus pro muneris nostri ratione mandamus, ut in singulis vestrarum provinciarum et congregationum conventibus haec acta promulgari curetis. Omnes vero vos patres et fratres in Christo dilectos hortamur et monemus, ut, qua decet humilitate, ea suscipiatis et usu inviolato servetis. Valete et nos pro felici totius ordinis statu solicitos vestris apud Deum precibus iuvate.

Universis et singulis patribus et fratribus ordinis praedicatorum fr. Seraphinus Siccus Papien., sacrae theologiae professor ac totius eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus.

Comitia generalia in hunc annum sextum gravissimis de causis reiecta tandem celebraturi Tolosam per varia vitae discrimina, Deo iuvante, pervenimus. Tam vero iucundus non aliis tantum, sed nobismetipsis fuit noster adventus, ut non modo omnes absterserit itineris molestias, sed in summum eas commutaverit gaudium. Illud enim solum felicissimum vidimus, in quo sanctissimus pater noster Dominicus prima huius magni ordinis iecit fundamenta. Vidimus et praesentes venerati sumus pretiosissima angelici nostri doctoris s. Thomae Aquinatis ossa, eaque in ampliorem et digniorem locum nostra ipsi manu transtulimus. Tolosanum denique conventum invisimus, in quo cernere iucundissimum fuit fratres ibi degentes, quidquid regula et constitutionibus praescribitur, vita et moribus mirifice exprimentes. Quibus rerum tantarum monumentis vehementius incensi nostrum institutum Tolosae natum, ibidem nobis inspicientibus incorrupte servatum, studia vero ab angelico nostro doctore in

ordinem nostrum gloriosius invecta, sicubi haud satis vigerent, excitare decrevimus. Eapropter, etsi celebratis comitiis e vestigio in Italiam meditati eramus, Parisios tamen contendimus rerumque nostrarum statu in provinciis Galliarum diligenter lustrato, ea omnia pro vitae regularis incremento, quae per tempus licuit, accurate praestitimus. Verum non conquiescit animus noster, sed longius latiusque eodem ipso ardore impulsus provehitur atque ad promovendam in provinciis omnibus arctiorem disciplinam totus exardescit. Quoniam vero, ut quacumque patet toto terrarum orbe amplissima religio nostra nosipsi proficiscamur, tum gravissimis negotiis, tum vero extrema fere iam nostra aetate impedimur, vos patres ac fratres, quorum haec ipsa religio mater communis et charissima est, nunc ex animo appellamus et deprecamur, ut in hac matre iuvanda nobis adiumento esse velitis. Velitis, inquam, non vestri, sed communis commodi causa, quod divinum esse aiebat philosophorum princeps. Nulla namque maior pernicies ordini nostro accidere potest, quam si fratres sua in eam obsequia ad seipsos, nimirum ad suas explendas cupiditates, referant. Inde enim fit, ut nil praeclarum, nil arduum, nihil egregium, nisi illud suis metiantur commodis, suscipere velint. Quo quid ineptius, quid demissius, quid vilius excogitari potest? Quis filius matrem videat de vita periclitantem et, confestim omni alia cogitatione abiecta, opem ei laturus non accurrat? Quis bonus civis patriae exitium imminere intelligat et non opes tantum, sed vitam ipsam profundere paratus ad eam tutandam non accedat, maiorem proculdubio gloriam inde collecturus, quam si imperium et coronas, patria neglecta et relicta, ipse consequeretur? Fatemur, patres ac fratres in Christo dilecti, nullus tantus est dolor, quo huiusmodi calamitas satis defleri posse videatur. Quid fieri potest, ut aegroto corpori vel eius membro, si membrum aliud salutem afferre possit, eam statim non afferat? Si generalis magister est huius almi ordinis caput, vos tamen eiusdem estis membra. Languet vel temporum iniuria vel antiqui hostis immanitate vel hominum incuria provincia ex nostris aliqua etiam in remotissimis orbis terrarum partibus sita, nos intimo statim dolore affecti occurrere languenti studemus; patrem aliquem, cuius industria ad eam reparandam provinciam utamur, advocamus. Quid, si forte sese iter suscepturum et operam suam in eo collocaturum neget? Istene filius magnae huius matris? Istene fidem impleverit, quam solemni voto professus est? Quid autem ea gloria praestantius, quam sibi quisque sua virtute in republica iuvanda consequitur? Si vestra cura, labore et studio religio in aliqua orbis parte stat tuta, splendescit et fulget, facitis quod vestrum est, matrem vestram iuvatis: hoc ipso nomine magnum vobis apud Deum et homines honorem comparatis. Haec nobis erant aliquando ex pectore,

dilectissimi patres et fratres, promenda, ut ad servandum commune religionis bonum omnes excitaremini. Absit, quaeso, ut nos non pro nostro, sed totius eiusdem ordinis commodo felicique statu summis iam laboribus attritos, multis magnisque periculis obiectos libentissime non audiatis. Iuvate, filii carissimi, conatus et consilia nostra, Deumque pro nobis ad vitae metam currentibus assidue orate.

Acta capituli generalis Tolosae in conventu sancti Thomae Aquinatis celebrati in festo sanctissimae Pentecostes, XI. iunii anno Domini MDCXXVIII., sub reverendissimo patre fr. Seraphino Sicco Papien., sacrae theologiae professore, magistro generali totius ord. praedicatorum.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, et b. Mariae semper virginis et b. p. n. Dominici omniumque sanctorum et sanctarum Dei.

Denuntiationes.

1. Denuntiamus, emanasse decretum a sacra congregatione Concilii die 2. septembris 1624 iussu s. d. n., quo cavetur, ne ullus legittime professus reiici possit e religionibus, nisi sit vere incorrigibilis. Vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quae ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis et constitutionibus cuiusque religionis et ordinis, etiam a sede apostolica approbatis et confirmatis, verum etiam unius anni spatio in ieiunio et poenitentia probetur in carceribus. Proindeque unaquaeque religio privatos habeat carceres in qualibet saltem provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida ac membrum putre eiici tandem possit, sed ab ipsomet generali tantum de consilio et assensu sex patrum ex gravioribus religionis, eligendis in singulis capitulis vel congregationibus generalibus, tumque nonnisi instructo secundum eorum stylum et constitutiones processu et plene probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum praescriptum.

In cuius decreti executionem designamus in consultores admodum reverendos patres procuratorem generalem ordinis, patrem provincialem Terrae Sanctae, patrem priorem, patrem regentem et patrem baccalaureum s. Mariae super Minervam et patrem priorem s. Sabinae de Urbe pro tempore.

2. Denuntiamus, sub die 26. ianuarii 1628 a sanctissimo d. n. Urbano octavo per suum speciale diploma interdictum ac prohibitum fuisse,

ne de cetero ullus nostri ordinis professor quavis ex causa, etiam quantumvis rationabili, privilegiata et iusta, sive sub quocumque praetextu ad Romanam curiam venire audeat seu praesumat, nisi prius a magistro ordinis dumtaxat licentiam in scriptis impetraverit, sub poena privationis vocis activae et passivae per biennium tam per eosdem fratres Romam absque huiusmodi licentia venientes, quam per eos, qui dictos fratres admiserint et receperint, ipso facto incurrenda, a qua nonnisi ab eadem sanctitate sua et Romano pontifice pro tempore existente absolvi possit, necnon aliis poenis superiorum arbitrio infligendis.

3. Denuntiamus, ex decreto sanctae congregationis de Propaganda Fide habitae die 11. aprilis 1625 instituenda esse studia linguarum a sacro Viennensi concilio et a fel. record. Pauli V. constitutione praescripta et aliarum etiam, quae magis ex usu esse videntur, ut Illyricae et Graecae vulgaris. Quare ex eiusdem decreti praescripto districte mandamus reverendis patribus provincialibus sub poena absolutionis ab officio, ut intra quatuor menses ab harum notitia unusquisque ipsorum in aliquo seu in aliquibus conventibus, in quibus artium et theologiae studia vigent, certum religiosorum magis idoneorum numerum constituant et linguarum praedictarum studiis addicant sub aliquo religioso, ubi studii praefectus non extiterit, qui studiorum huiusmodi curam et solicitudinem habeat; qui ut muneri suo serius incumbat, iisdem privilegiis, quibus magistri et studiosi, fruatur. Certae autem regulae et constitutiones, quibus numerus et species linguarum, tempora lectionum, studii repetitionumque ac alia huiusmodi a magistris et studiosis diligenter observanda praescribantur; quarum constitutionum observandarum cura praedicto religioso vel studii praefecto committatur; qui si suo deerit officio, pro modo culpae puniatur. Decernimus autem, ut praedicti magistri et studiosi respective ad honores prae ceteris promoveantur, et si in suo munere negligentes fuerint, iis, quibus gaudent honoribus, priventur et ad alios via et spes praecludatur.

4. Denuntiamus, decretum fuisse a sacra congregatione concilii Tridentini et a s. d. n. approbatum, ut priores eorum conventuum, qui duodecim fratres alere non possunt neque actu alunt, voce in capitulis provincialibus non gaudeant.

5. Denuntiamus, prohibitum fuisse regularibus cuiusvis ordinis a sacra congregatione concilii Tridentini iussu s. d. n. Urbani VIII. per speciale decretum die 7. septembris datum, ne bona conventuum intra fines Europae existentium ulla ratione sine ipsius sacrae congregationis facultate alienare possint.

6. Denuntiamus, a s. d. n. per suum breve die 23. martii 1626 latam fuisse excommunicationem in extrahentes seu extrahi permittentes libros et manuscripta a bibliothecis nostris.

7. Denuntiamus, emanasse decreta a sacra congregatione concilii de celebratione missarum, ut deinceps monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita in singulis huiusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi seu religiosi degere et ex reditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum decreti fel. rec. Gregorii XV. hac de re editi, alioquin monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt et actu non inhabitaverint, ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Commissiones.

1. Committimus reverendissimo p. magistro ordinis, ut curet praelo mandari rituale commune et officia beatorum ordinis nostri, de quibus, ut officium recitetur, a sancta apostolica sede indultum est.

2. Committimus admodum reverendo patri procuratori generali ordinis, ut nulla ratione praetermittat transmittere ad singulos patres provinciales provinciarum totius ordinis omnia decreta, constitutiones, brevia, indulta et privilegia, quae a sancta sede apostolica vel sacris congregationibus in dies emanabunt, ne tam praelatos quam subditos labi contingat in rebus agendis, sed omnes intelligant, quemadmodum absque offensione sese gerere debeant.

3. Committimus eidem admodum rev. p. procuratori, ut a summo pontifice obtinere curet, ut in conventibus nostris Perusino et Reatino de beata Columba, sorore tertii ordinis nostri, officium celebrari possit.

Declarationes.

1. Declaramus, eos, qui manent in vicariatibus, domibus vel possessionibus ad conventus nostros pertinentibus, cum ipsis conventibus inserviant et subsint obedientiae priorum, gaudere utraque voce.

2. Declaramus, quod assignati a capitulo provinciali habent vocem in electione prioris, tametsi eodem anno alibi priorem elegerint.

3. Declaramus, instante electione non posse mitti commissarios ad inquirendum, an vocales rite et secundum ius gaudeant voce, sed procedendum esse ad electionem, et dubia, si quae fuerint, ad confirmatorem esse mittenda.

4. Declaramus, irrepsisse mendum incuria impressoris in constitutionibus nostris Barchinonae impressis in declaratione textus undecimi cap. 14. de novitiis et eorum instructione littera O. pag. 59. a tergo, ubi ex allegatione denuntiationis capituli generalis 1564 Bononiae celebrati dicitur: Quod si pueri ante quintumdecimum annum expletum fuerint aliquando recepti, adhuc nostra constitutio servetur etc., et tamen

legendum est: Quod si pueri ante quartumdecimum annum expletum etc., ut videre est in praedicta denuntiatione allegata, et ratio ipsa suadet. Quare ad tollendas dubitationes, huic nostrae declarationi standum esse decernimus.

Concessiones.

1. Concedimus, ut in provinciis Hispaniarum officium de sancto Gabriele fieri possit ea die, qua in ecclesiis cathedralibus de eodem celebrabitur.

2. Concedimus, ut unaquaeque provincia aliquem procuratorem ad Romanam curiam pro negotiis occurrentibus mittere possit, praehabita reverendissimi magistri generalis licentia iuxta commemoratum s. d. n. decretum.

3. Concedit reverendissimus p. n. magister ordinis omnibus et singulis fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem, ad audientiam confessionum in ordine nostro expositum, qui ipsos possit absolvere ab omnibus censuris, casibus et peccatis, in quae ante horum publicationem incurrerint. Idem absolutionis beneficium monialibus conferre poterunt earum confessarii ordinarii.

4. Concedit idem reverendissimus magister ordinis reverendis admodum patribus diffinitoribus huius capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate et rectae vitae exemplo huiusmodi favore se dignum praestiterit.

Admonitiones.

1. Admonemus reverendos patres provinciales provinciarum extra Italiam, ne ullum fratrem, etiam ratione studii, mittant ad provincias et conventus Italiae, sed illos tantum, qui iuxta constitutiones ad studia generalia pro rata suarum provinciarum mitti possunt et consueverunt. Et mandamus omnibus et singulis fratribus, ne alia ratione in Italiam se conferant, alias graviter puniti ad suas provincias remittentur.

2. Admonemus omnes patres provinciales, ne ullo modo directe vel indirecte fratres inducere studeant ad electiones priorum seu provincialis successoris faciendam, rogantes reverendissimum magistrum ordinis, ut speciales commissarios mittat, qui diligentissime de huiusmodi inductionibus inquirant et poenis gravissimis, etiam privationis vocis activae et passivae et perpetuae inhabilitatis ad honores et officia obtinenda, eosdem provinciales puniant.

3. Admonemus eosdem patres provinciales, ut contributiones reverendissimo patri generali iuxta nostras leges debitas opportune persolvant sub poena absolutionis ab officiis.

4. Admonemus reverendos patres lectores sacrae theologiae, ut tota animi intentione studia promoveant; et si plures sint in eodem conventu lectores, saltem unus ipsorum textum sancti Thomae praelegat et doceat et ex ipsiusmet sancti Thomae doctrina in aliis locis elucidet. Quando vero sustinenda est aliqua conclusio, antequam argumenta proferantur, ipsa ratione sancti Thomae probetur.

Ordinationes.

1. De sancto Thoma angelico doctore nostro, cuius sacras reliquias hic praesentes venerati sumus, et reverendissimus pater magister noster generalis ex angustiori loco in ecclesiam hanc nostram et in arcam novam argenteam, auro contextam elegantique opere confectam, sua manu transtulit, octava solemnis in toto ordine celebretur cum duabus lectionibus de tempore quadragesimali homiliae currentis.

2. In octavis sanctorum ordinis nostri fiat memoria de ipsis, etiam in festis duplicibus et supra intervenientibus.

3. Festum sancti Angeli Custodis prima die celebretur, non impedita post festum sancti Hieronymi, iuxta decretum desuper a sede apostolica emanatum.

4. Institutum et devotio sanctissimi Rosarii omni studio piaque animi contentione annuntietur, et modus ille, quo Romae, Neapoli aliisque celeberrimis urbibus in ecclesiis et capitulis nostris ipsum Rosarium recitatur, per idoneos patres sacerdotes pietate prudentiaque praeditos, a concilio patrum ad id specialiter designatos, diligenter explicetur, propagetur et in usum deducatur. In erigendis autem societatibus sanctissimi Rosarii et nominis Dei servetur forma praescripta in capitulis generalibus Romae 1589 et Venetiis 1592 celebratis. Rogamus vero reverendissimum magistrum ordinis, ne fratribus aliorum ordinum concedat facultatem instituendi huiusmodi societates.

5. Grati animi ergo psalmus « de profundis » in atrio refectorii ante prandium et coenam pro benefactoribus recitetur, ex quorum beneficiis alimenta suscipimus.

6. Non recipiantur in conversos, qui in aliqua arte non sint periti, qua religioni valeant inservire.

7. In hospitiis conventuum sancti Thomae Matriti et sancti Pauli Hispalensis maiorem non solvant contributionem hospites aliarum provinciarum quam illi, qui ex eisdem sunt provinciis Hispaniae et Bethicae.

8. Quoniam ibi perfectio esse nequit, ubi praecipue virtus humilitatis non viget, cum Christus totius perfectionis exemplar dicat « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde », titulus autem reformati distinctionem quandam et eminentiam super alios, qui eo titulo minime nuncupantur, indicare videtur, ad omnem occasionem elationis et aliorum

contemptus removendam et ad omne divisionis vestigium, etiam quantum ad nomen, in ordine nostro propter suam inviolatam unitatem celeberrimo praecavendum volumus quidem, insistimus et urgemus, ut arctissimam nostrarum constitutionum observantiam solemni professione promissam omnes amplectantur et studiosissime tueantur. Ceterum districte ordinamus et prohibemus, ne ullus seipsum vel alium aut alios quoscumque fratres nostros nec domum, conventum, provinciam, monasterium, congregationem suam vel alienam hoc titulo reformati verbo vel scripto nominare audeat.

Pro provincia Hispaniae.

Concedimus huic provinciae, ut officium s. Theresiae et s. Dominici de Silos sub festo duplici celebrare possit.

Concedimus, ut a summo pontifice indultum petat, ne socii eligantur pro electione provincialis; quo obtento libere uti possit.

Ad submovendas contentionum occasiones priores conventuum sancti Thomae et de Atocha inter se convenire possint, ut quilibet ipsorum, cum alter in alterius conventu extiterit, omnes priores et magistros praecedat praeter priorem ipsius conventus.

Congregatione intermediae interesse non possint nisi illi tantum, ad quos iuxta dispositionem capitulorum generalium de iure pertinet.

Erigimus in studium generale, servatis servandis, conventum nostrum s. Pauli de Palentia, qua in urbe s. p. n. Dominicus studiis operam dedit.

Declaramus, moniales recipiendas esse ad habitum et professionem a priore tantum conventus, et eo absente, a confessario ipsarum, non autem a suppriore aut alio praesidente.

Promovemus ad magisterium p. fr. Hieronymum Delgado, p. fr. Franciscum de Arana, p. fr. Petrum de Olivares, p. fr. Franciscum del Cerro et p. fr. Eugenium Iordanum.

Ad praesentaturam autem promovemus p. fr. Ioannem del Poço (1), p. fr. Raymundum Camino, p. fr. Gasparem Ruitz (2) et p. fr. Ioannem Despila, qui in hoc capitulo pro hac sua provincia conclusiones honorifice sustinuit, dummodo isti omnes rigorosum subeant examen quinque patrum magistrorum et eorum per vota secreta approbationem, salvisque iuribus suae provinciae.

Pro provincia Tholosana.

Admonemus, non esse eligendum socium in illis conventibus, ubi non habentur sex vocales iuxta ordinationem capituli generalis Parisiensis 1611.

---

(1) De fr. Ioanne del Poço cf. SSOP. II, 594.
(2) De fr. Gaspare Ruitz cf. l. c. pag. 570.

Statuimus, ut in hac provincia studium aliquod generale erigatur, ubi promovendi ad gradus scholasticos actus perficiant iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium.

Ad petitionem provinciae, praemisso coram reverendissimo magistro ordinis examine, iuxta apostolicas literas in denuntiatione secunda capituli ultimi Mediolanensis relatas, promovemus ad magisterium p. fr. Ioannem Descrambes, p. fr. Ioannem Labardac (1), p. fr. Nicolaum Depe, modo constet ipsos habere requisita. Quibus conditionibus promovemus ad praesentaturam p. fr. Ioannem Baron et p. fr. Guillelmum Casamealis.

Ad concordiam ineundam et stabiliendam concedimus, ut in conventu Burdegalensi recipiantur ad habitum novitii nomine conventuum huius provinciae, qui usque ad sacerdotium in arctiori observantia ibi educentur.

Pro provincia Franciae.

Decernimus, ut in conventu Tullensi, quem patres congregationis nostrae Occitanae moderantur, ad habitum nostri ordinis recipiantur, servatis servandis, novitii nomine conventuum aliorum provinciae Franciae, qui usque ad sacerdotium ibi educentur, ut sic ipsa provincia arctiorem observantiam facilius amplectatur.

Monemus autem omnes fratres nostros, ne conventus a suis provinciis separari procurent.

Approbamus omnes gradus a patribus huius provinciae de licentia reverendissimi magistri ordinis et, servatis servandis, iuxta constitutiones nostras et acta capitulorum generalium legitime susceptos.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Claudii Mandois, fr. Petri Chanterenne (2) in facultate Parisien., fr. Nicolai Lefevre, fr. Petri Charboneau, fr. Antonii Anginot, fr. Nicolai Gilot, fr. Laurentii Collart in Bituricensi, fr. Ludovici Piovier et fr. Guillelmi Landois in Remen., modo isti omnes et singuli habuerint literas promotionis a reverendissimo p. n. generali, alias haec approbatio nulla et inanis ex nunc declaratur.

Pro provincia utriusque Lombardiae.

Concedimus admodum rev. p. provinciali, ut, servata iustitia distributiva, possit assignare novitios in conventu Bononiensi ad praescriptum ordinationis illustrissimi domini cardinalis Alexandrini et iuxta distributionem infrascriptam :

Pro conventibus regni Neapolitani, Civitate veteri connumerata, duos,

Pro conventibus nationis Marchiae quatuor,

---

(1) De fr. Ioanne Labardac cf. SSOP. II, 549.

(2) De fr. Petro Chanterenne cf. l. c. pag. 467.

Pro conventibus nationis Romandiolae quatuor,

Pro conventibus ditionis Mutinae, Parmae, Corrigi et Ferrariae quatuor,

Pro conventibus status Veneti quatuor,

Pro conventibus Mantuae, Montisferrati et Pedemontis quatuor,

Pro conventibus status Mediolanensis octo,

Pro conventibus status Genuensis quatuor,

Pro conventu Bononiensi duos,

Pro conventu Boschensi duos.

Assignationes autem aliter, quam hic praescriptum est, datae vel concedendae eo ipso irritae sint et nullae.

Confirmamus ordinationem capituli generalis Romae 1612 celebrati, ne fratres huius provinciae in studiis aliarum provinciarum in lectores approbati titulo lectoris gaudeant, nisi in studio generali Bononiensi iterum examinati fuerint et approbati.

Ad petitionem admodum rev. p. diffinitoris confirmamus studia instar formalium alias in conventibus Boschensi, Cremonensi et Faventino erecta cum iisdem conditionibus in capitulo Bononiensi praescriptis, addentes, ut in singulis praedictorum conventuum octo tantum studentes perpetuis temporibus manere possint, et declarantes irritam et nullam ex nunc quamcumque licentiam, loco intra dictum numerum actu non vacante, quomodolibet obtentam et privatos voce activa et passiva eos omnes studentes, qui huiusmodi licentias ante procuraverint. Qui vero dispensationem in triennio studii formalis petierint, sint eo ipso non tantum ad officium lectoris inhabiles, verum etiam activa et passiva voce privati. Mandantes sub formali praecepto et poena excommunicationis latae sententiae patribus a consiliis, ut testimonium de vita et moribus ipsorum studentium in literis testimonialibus Bononiam pro examine ad lectoratus officium deferendis pro veritate secundum Deum et conscientiam, omni semoto affectu et respectu humano, praebeant. Ipsis autem reverendis patribus moderatoribus studii Bononiensis sub eodem formali praecepto et poena excommunicationis latae sententiae, etiam in capitulo generali Bononiensi 1615 lata, mandamus, ne quemquam in studentem formalem aut lectorem admittant nisi idoneum et ingenii acumine praeditum, indignos vero et ad legendum cum dignitate ac discipulorum profectu ineptos repellant.

Erigimus in prioratum cum omnibus gratiis et privilegiis conventum Urcearum, dummodo ex certis reditibus alere possit et iam per annum aluerit et in praesentiarum sustentet duodecim fratres iuxta nostras constitutiones et apostolica decreta supra commemorata.

Confirmamus concessionem factam a reverendissimo patre magistro

ordinis monialibus monasterii nostri Genuensis sanctorum Philippi et Iacobi, ut festum consecrationis ecclesiae in dominicam primam post octavam Corporis Christi transferre possint.

Concedimus, ut in conventu sanctae Crucis et Omnium Sanctorum Boschi celebrari possit sub toto duplici festum reliquiarum a fel. rec. Pio V. transmissarum sub titulo plurimorum martyrum die, per patres a consiliis eiusdem conventus statuenda.

Concedimus monialibus monasterii nostri sancti Dominici de Urbe in monte Quirinali, ut festum sancti Mauritii sub toto duplici celebrare possint.

Approbamus magisteria rr. pp. fr. Sigismundi de Lauda, fr. Benedicti de Bistaneo inquisitoris Parmae, fr. Vincentii de Florentiola inquisitoris Genuae, fr. Iacobi de Mediolano inquisitoris Casalis, fr. Vincentii Mariae de Corinaldo, fr. Petri Angeli de Pisauro inquisitoris Arimini, fr. Michaelis Antonii de Papia, fr. Vincentii a Carpaneto, alias regentis conventus Tolosani, fr. Benedicti Iustiniani de Genua (1), fr. Vincentii a Serravalle regentis sancti Dominici de Neapoli, fr. Seraphini de Genua, fr. Petri Martyris de Domasio, fr. Maximi de Castro Guffredo, fr. Vincentii Fonduli de Cremona, fr. Francisci de Faventia alias regentis nostri conventus Graecii, fr. Hieronymi Mariae de Brixia, semel et iterum ad partes orientales pro fidei propagatione transmissi, et fr. Pauli Aegidii de Como, socii admodum rev. p. commissarii sancti officii in curia, salvis huius provinciae iuribus.

Promovemus ad gradum magisterii reverendum patrem lectorem fr. Guillelmum a Montecalvo, salvis pariter huius provinciae iuribus, pro qua in hoc generali capitulo honorifice conclusiones sustinuit.

Approbamus filiationes rev. p. magistri fr. Hieronymi a Camerino pro conventu sancti Dominici de Mantua et rev. p. magistri fr. Hieronymi de Quintiano inquisitoris Venetiarum pro conventu Bergomensi, servatis servandis.

Pro provincia Romana.

Damus in immediatum futurum regentem nostri studii formalis sanctae Mariae ad Quercum, sic petente provincia, rev. p. magistrum fr. Thomam Felix et in futurum immediatum baccalaureum rev. p. fr. Eusebium Silvanum hac conditione, ut uterque legere teneatur totum tempus, quo in munere regentis et baccalaurei respective nunc perseverare debet, et insuper totum aliud futurum triennium, alias, qui eis succedent, loco eos praecedant.

Promovemus ad magisterium rev. patres lectores fr. Laurentium Rodulphum Florentinum, fr. Vincentium Peculum Romanum, fr. Petrum

(1) De fr. Benedicto Iustiniani cf. SSOP. II, 453.

Tedaldum Florentinum, fr. Antoninum Silvestrum Lucensem et fr. Ioannem Montautum Florentinum, salvis huius provinciae iuribus.

Approbamus magisterium reverendi patris fr. Ioannis Spinae, socii admodum rev. p. procuratoris generalis ordinis, salvis pariter suae provinciae iuribus.

Approbamus acceptationem magisterii rev. p. fr. Ignatii Nenti factam in capitulo provinciali proxime celebrato in conventu s. Miniati et acceptamus ad petitionem provinciae magisteria rr. pp. fr. Vincentii Candidi et fr. Timothei Riccii, dummodo his non obstet aliquod indultum apostolicum.

Acceptamus ad petitionem eiusdem provinciae praedicaturam generalem cum voce rr. pp. fr. Pauli Valmaranae, fr. Victorii Gryphoni Florentini, fr. Bernardi Manotii et fr. Dominici Paulacii magistri.

Item acceptamus praedicaturam generalem cum voce rev. p. fr. Hieronymi Righini Romani.

Pro provincia Regni.

Approbamus piissimum ritum recitandi s. Rosarium beatae Virginis in civitate Neapolitana, et hortamur reverendos patres ad hoc munus electos, ut eadem pietate illum tueri ac propagare studeant.

Damus in regentem futurum nostri studii generalis sancti Dominici de Neapoli rev. p. fr. Hieronymum Iordanum de Neapoli, quem etiam promovemus ad gradum magisterii, coram reverendissimo p. magistro ordinis examinatum. In baccalaureum autem ordinarium damus rev. p. fr. Hyacinthum Palumba huius capituli diffinitorem et p. fr. Michaelem Torres (1), qui pro hac provincia in hoc capitulo generali conclusiones publice et cum laude defendit.

Instituimus praedicatores generales reverendos patres fr. Thomam de Matalono lectorem pro conventu sanctissimi Rosarii de Neapoli, fr. Augustinum Maresca lectorem pro conventu Angriae, fr. Ignatium Grossi pro conventu Surrentino, fr. Marianum Aquinum de Neapoli pro conventu Aversano, fr. Dominicum Lecti lectorem pro conventu Suessano, fr. Hieronymum de Salerno pro conventu Salernitano, fr. Dominicum Benincasa pro conventu Avellini, fr. Thomam Gaudiosum pro conventu sancti Severini et Dionysium Faraldum pro conventu Caietano, modo actu maneant in his conventibus, pro quibus sunt instituti.

Pro provincia Theutoniae.

Approbamus, quantum ad nos attinet, contractum commutationis initum inter fratres nostri conventus Luxemburgensis et reverendum ac generosum dominum de Mansfelt.

---

(1) De fr. Michaele Torres cf. l. c. pag. 545.

Concedimus p. provinciali moderno sic petenti, ut officio provincialis sese abdicare possit proximo mense septembris ac eo tempore ad novi provincialis electionem capitulum celebrare.

Domibus in Westphalia constitutis restituimus titulum et privilegia prioratus, modo ex certis reditibus vel consuetis eleemosynis alere possint actuque alant duodecim fratres iuxta constitutiones nostras et decreta apostolica.

Fratres huius provinciae nequeant ad alias provincias divertere sine licentia sui patris provincialis, quem tamen monemus et hortamur, ut pro bono communi totius religionis aliquos fratres idoneos concedat patribus provincialibus provinciarum desolatarum praesertim Bohemiae, ut eorum opera et auxilio facilius restaurentur.

Approbamus magisterium rev. p. fr. Ioannis Godert cum conditionibus in literis patentibus reverendissimi patris generalis expressis et p. fr. Thomae Sergrifii, salvis suae provinciae iuribus.

Instituimus praedicatorem generalem p. fr. Antonium Pontanum, si vacet locus, ita ut numerus praedicatorum non excedat numerum conventuum.

Concedimus, ut p. fr. Ioannes Frit (1) promoveri possit ad doctoratum pro universitate saeculari Coloniensi, salvis iuribus ordinis, ita scilicet ut nec titulo nec privilegiis ullis in ordine gaudeat.

Pro provincia Poloniae.

Confirmamus decretum alias saepe factum, ut provinciale capitulum celebretur dominica « Qui errantibus », et concessionem huic provinciae datam, ut novus provincialis statim a sua electione provinciam tanquam vicarius generalis eiusdem administrare ac moderari incipiat.

Concedimus, sic petente provincia, ut fratres conversi post biennium a susceptione habitus professionem, servatis servandis, emittere possint.

Erigimus in conventum locum nostrum Direcensem, modo habeat requisita.

Concedimus, ut in conventu Lublinensi, ubi frustum sanctissimae Crucis magna populi devotione servatur et colitur, singulis sextis feriis non impeditis officium de sancta Cruce, ut fit de sancto Dominico tertiis feriis, celebrari possit.

Promovemus ad magisterium rr. pp. fr. Valerianum Grocholscki, p. fr. Samuelem Wierzchnium, modo iste loco vacante sit regens in studio Cracoviensi, et p. fr. Dominicum Szamocostki, ita ut in eodem studio primo loco vacante baccalaureum ordinarium exerceat.

---

(1) De fr. Ioanne Frit (Fridt) cf. SSOP. II, 580.

Promovemus ad baccalaureatum contentos in petitionibus provinciae ad complementum numeri praescripti, dummodo scilicet vacet locus, praemisso examine et servatis servandis, rev. p. fr. Benedictum Kloncunshi, fr. Hyacinthum Ascanium, fr. Dominicum Simanovium, fr. Ioannem Paulum Czarnhoviensem, fr. Albertum Margonium huius capituli diffinitorem, fr. Albertum Horoneum, fr. Iustinum Miechovien. (1), fr. Hyacinthum Bariczha, fr. Hyacinthum Ginczevium, fr. Augustinum Varsaviensem et fr. Timotheum conventus Cracoviensis.

Pro provincia Graeciae.

Concedimus, ut qui in legendo et praedicando maiores progressus egerint, quamvis rigorosam de exercitiis scholasticis legem ob praedicationis munus in partibus infidelium non impleverint, ad gradum baccalaureatus peti possint.

Ad petitionem provinciae promovemus ad baccalaureatum rev. p. lectorem fr. Benedictum Bortholinum huius capituli generalis diffinitorem et p. fr. Antoninum de Candia, praemisso examine et servatis servandis.

Instituimus praedicatores generales, si non excedant numerum conventuum, p. fr. Laurentium Quirinum in petitionibus provinciae contentum pro conventu sanctae Mariae Magdalenae Rethimi, p. fr. Aloysium Colla pro conventu sancti Pauli de Candia et p. fr. Christophorum a Sola pro conventu sanctorum Nicolai et Eliae insulae Hyacinthinae.

Pro provincia Aragoniae.

Ordinamus, ut recipiendi ad habitum pro minoribus conventibus examinentur etiam in maioribus, in quibus habitum suscepturi sunt.

Curent maxime priores minorum conventuum, ne fratres tempore officii absint, et nulli licentiam exeundi concedant, nisi decem saltem fratres in choro pro missa cantanda adesse possint.

Omnes ad officium hebdomadariae teneantur iuxta ordinationes a reverendissimo patre generali in visitatione relictas.

Fabrica conventus sancti Ildephonsi quamprimum perficiatur, super quo p. provincialis urgeat et diligentissime pervigilet, interim autem nullus eidem conventui affiliari possit.

In collegiis nullus in lectorem actualem eligi possit, nisi consentiente p. provinciali pro tempore existente.

Confirmamus ordinationem in capitulis provincialibus factam, ut, ne querelae sint immortales, non audiantur, qui post ultimam visitationem contra aliquem de praeteritis denuntiare voluerint, et in accusationibus servetur ordo iudicii a nostris constitutionibus praescriptus, et deficientes in probatione severissime poenis taxatis puniantur.

---

(1) De fr. Iustino Miechovien. cf. l. c. pag. 529.

Admonemus patrem provincialem, ne vicarios monialium multiplicet, quandoquidem iuxta decretum sacrae congregationis Regularium, absente priore, non quidem supprior, sed confessor monasterii pro priore succedit.

Erigimus in prioratum domum sanctissimae Annuntiationis villae de Carlet et beatae Mariae de Rosario villae de Orchajo, modo habeant requisita iuxta constitutiones apostolicas.

Concedimus conventui de Lombay in ditione illustrissimae familiae dominorum de Borgia constituto, ut iuxta apostolicum decretum de beato Francisco de Borgia die prima octobris non impedita celebrare possit.

Promovemus ad praesentaturam p. fr. Thomam de Rocamora (1), qui pro hac sua provincia in praesenti capitulo generali honorifice conclusiones sustinuit.

Pro provincia Provinciae.

Mandamus patri provinciali, ut tueatur arctiorem observantiam conventuum Anicii, Aquarum Sextiarum, Tarasconis et Toloni, et in ipsis conventibus Aniciensi et Aquensi studium theologiae instituat.

Approbamus praesentaturam p. fr. Hyacinthi Cortes, servatis servandis.

Concedimus, ut in conventu Arelatensi provinciae Occitanae reverendo patri magistro fr. Francisco Guidy commendato recipi possint novitii, modo instituantur iuxta rigorem nostrarum constitutionum.

Concedimus p. fr. Richardo Berger, ut sese praesentare possit reverendissimo p. magistro ordinis pro examine coram ipso pro gradu magisterii subeundo, si litteras testimoniales de requisitis secum detulerit.

Approbamus magisterium p. fr. Stephani Brun pro hac provincia.

Pro provincia Trinacriae.

Committimus reverendissimo p. magistro generali, ut provideat de regente et baccalaureo studiis Panormitano et Messanensi.

Promovemus ad magisterium, modo habeant requisita et praemisso rigoroso examine, p. fr. Dominicum Troya, p. fr. Hieronymum Nastasum, p. fr. Bernardinum Frassica, p. fr. Vincentium Picolomeum et p. fr. Vincentium Abate. Ad praesentaturam vero promovemus, suppositis requisitis, examine et locis vacantibus, p. fr. Augustinum Manchuso, p. fr. Dominicum Finochio, p. fr. Franciscum Crippa, p. fr. Augustinum Russo, p. fr. Petrum Martyrem de Melita et p. fr. Hyacinthum Canizaro.

---

(1) De fr. Thoma de Rocamora cf. SSOP. II, 577.

Instituimus praedicatores generales pro locis vacantibus p. fr. Dominicum Trabona, p. fr. Simeonem de Termis, p. fr. Iosephum de Melita, p. fr. Franciscum Ansalone et p. fr. Franciscum la Quatra.

Pro provincia Portugalliae.

Institutum sanctissimi Rosarii studiosissime propagetur, et quolibet anno eiusdem societatis ministri suae administrationis reddant rationem.

Concedimus, ut loco capituli intermedii habeatur congregatio priorum aliquorum et patrum provinciae iuxta concessionem aliquando a reverendissimo patre generali factam, dummodo accedat consensus totius capituli et provinciae, ut habetur in concessione prima capituli Parisiensis 1611 pro provincia Hispaniae.

Confirmamus, ut provinciales et socii sub poena excommunicationis latae sententiae nullo modo quemquam inducant ad electionem futuri provincialis pro tempore nec priorum, prout a reverendissimo magistro ordinis in visitatione huius provinciae mandatum est.

Statuimus, ut per tres menses ante electionem provincialis nullae fiant mutationes fratrum per assignationem de uno conventu ad alium; priores autem nullo modo se ingerant electionibus sociorum.

Promovemus ad praesentaturam rev. p. fr. Franciscum Travajos huius capituli diffinitorem et p. fr. Emanuelem a Cruce (1) ex congregatione Indiarum Orientalium, ita ut iste nullis gaudeat privilegiis in provincia, sed ad eam congregationem proficiscatur.

Pro provincia Baetica.

Confirmamus litteras patentes a reverendissimo patre magistro ordinis datas excellentissimo duci de Medina Sidonia, ex familia et stirpe s. p. n. Dominici, pro ipsius provinciae patronatu.

Promovemus ad praesentaturam et magisterium respective omnes contentos in petitionibus provinciae pro locis actu vacantibus iuxta numerum per apostolicum breve praescriptum.

Acceptamus magisterium rev. p. fr. Francisci Tello, nuper provincialatu nostrae provinciae Bohemiae perfuncti.

Instituimus praedicatores generales pro rata provinciae p. fr. Didacum de Maqueda, p. fr. Raymundum de Gatica, p. fr. Ioannem de Laguna, p. fr. Hyacinthum de Torres, p. fr. Hyacinthum Bañes, p. fr. Ildephonsum Xarillo, p. fr. Ioannem de Loci, p. fr. Franciscum de sancto Thoma et p. fr. Franciscum Henriques pro locis vacaturis secundum ordinem suae antiquitatis. Item p. fr. Ildephonsum Escrivano pro prima et p. fr. Petrum Carillo pro secunda vacante s. Pauli Cordubensis et p. fr. Clementem de Toro pro prima vacante s. Pauli Hispalensis.

---

(1) Videtur esse idem ac Emmanuel de Cruce, de quo l. c. pag. 306.

Promovemus ad magisterium p. fr. Petrum de Ayala (1) ex commissione reverendissimi p. generalis ordinis hic examinatum et approbatum, salvis suae provinciae iuribus.

Ordinamus, ut in conventibus de Ronda et Marchena recipiantur ad habitum novitii Angli.

Praedicaturae generales, quae vacaverint pro conventibus Canariae, dentur filiis eorumdem conventuum, qui sint benemeriti et necessariis requisitis fulti.

Pater provincialis de consilio patrum graviorum provideat, ut fratres conventuum ipsarum insularum Fortunatarum studiis commode intendere possint et graduum provinciae participes efficiantur.

Pro provincia Germaniae inferioris.

Concedimus, ut propter continua bellorum impedimenta intermittantur capitula intermedia, loco quorum habeatur congregatio ex praecipuis patribus in capitulo provinciali proximo inter nationes deputandis, ibique ea possint fieri, quae in ipso capitulo intermedio essent facienda praeter electionem diffinitoris capituli generalis iuxta concessionem capituli Parisiensis 1611.

Promovemus ad magisterium p. fr. Cabiliau et ad gradum licentiae in ordine p. fr. Ioannem Ride, ad baccalaureatum autem p. fr. Dominicum ab Arbore (2) et p. fr. Robertum Lagachae.

Instituimus praedicatores generales p. fr. Henricum Matthie, p. fr. Vincentium Clerici (3), p. fr. Benedictum le Brun et p. fr. Ioannem Bandanum pro locis actu vacantibus.

Pro provincia s. Iacobi de Mexico.

Concedimus huic provinciae iuxta ipsius petitiones die 18. maii 1624 factas et in hoc capitulo exhibitas, ut petere possit a sanctissimo statuta rigorosa circa graduandos, nempe ut ad praesentaturae gradum promovendi 35, ad magisterium autem 40 annos explevisse debeant, nec possit numerus octonarius magistrorum praescriptus augeri, et alia in dictis petitionibus in hanc rem contenta, nempe ut promovendi ad gradus plures annos quam hucusque praescripti sint, perlegisse debeant, et nominandi ad lecturam artium et magisterium studii suffulti sint requisitis in eisdem petitionibus contentis. Item ut iis, qui in praedicatores generales erunt instituendi, tempus octo annorum praedicationis praescribatur.

Confirmamus ordinationem de alternativa et aequalitate servanda ex natis in Indiis et natis in Hispania. Declarantes tamen, quod propter

(1) De fr. Petro de Ayala cf. SSOP. II, 453.
(2) De fr. Dominico ab Arbore cf. l. c. pag. 522.
(3) De fr. Vincentio Clerici cf. l. c. pag. 608.

huiusmodi aequalitatem servandam nullus recipi possit, qui non habeat requisita iuxta nostras leges et apostolica decreta, ac propterea si ex Hispanis, qui sponte recipi cupiant, nullus sit idoneus, adducantur potius fratres ex Hispania ad huiusmodi aequalitatem constituendam ; et ne numerus nativorum ex Indiis exuperet et excedat, quamprimum quotquot erunt necessarii pro aequalitate statuenda ex regnis Hispaniarum, etiam ipsius provinciae expensis, traducantur.

Concedimus, ut octava ss. apostolorum Petri et Pauli sit in hac provincia solemnis ; festum vero s. Petri ad vincula sub duplici et festum cathedrae eiusdem apostoli Petri ipso die, quo Romae consuetum est, celebretur.

Item concedimus, ut fiat octava solemnis s. Augustini.

Declaramus, quod electio priorum de Zachatechas, Guadalajara et Veracruz a p. provinciali cum diffinitorio aut sex patribus facienda debet esse canonica scilicet a maiori parte eligentium iuxta leges nostras.

Declaramus, quod vicarii voce gaudentes, si quadriennium post septuagesimam expleverint, in officio eodem modo ut priores perseverare debent.

Promovemus ad gradum magisterii, praemisso examine, p. praesentatum fr. Ferdinandum Martin, huius capituli diffinitorem et a provincia postulatum.

Ad gradum autem praesentaturae promovemus pro natis in Indiis et pro loco vacante p. fr. Didacum de los Covos et pro natis in Hispania p. fr. Thomam de s. Ioanne et p. fr. Ioannem del Castillo (1), sic petente provincia, praemisso examine, non aucto numero praescripto et servatis servandis.

Pro provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

Ad petitionem provinciae confirmamus ordinationes reverendissimi p. n. generalis, insertas actis capituli provincialis in hac provincia celebrati anno superiori 1625 in civitate Cuzquensi.

Confirmamus fundationem collegii sancti Ludovici, servatis servandis.

Si aliqua loca magistrorum intra numerum praescriptum sint actu vacantia, ab illis occupentur, qui a reverendissimo magistro ordinis fuerunt promoti, iuxta literas patentes promotionis ab ipsis obtentas.

Promovemus autem ad gradum magisterii et praesentaturae eos, qui a provincia pro locis actu vacantibus fuerunt expositi, dummodo rigorosum examen praecedat.

Processus fratrum etiam a commissariis et visitatoribus confecti serventur in archivio provinciae, et si necesse sit, copiae tantum authenticae inde auferri possint.

---

(1) De fr. Ioanne del Castillo cf. l. c. pag. 495.

Novitii usque ad sacerdotium maneant in novitiatu sub cura magistri et nulla ratione cum aliis conversentur.

Concedimus huic provinciae id, quod alias provinciae de Quito concessum fuit, nempe ut, si fuerit aliquod dubium circa electionem provincialis, vel quod non sit rite facta et secundum ius, ad evitanda scandala patres provinciae, magistri et praesentati cum diffinitoribus determinent et diffiniant, quid sit faciendum. In qua congregatione praesidebit antiquior diffinitor in professione. Ipse autem provincialis electus non intrabit cum praedictis patribus ad consilium. Et quidquid ipsi diffinierint, scilicet vel quod maneat electus vel quod procedatur ad aliam electionem, pro rato habeatur et inviolabiliter observetur, usque dum ad reverendissimum mittatur decretum electionis, et factus sit certior de omnibus, eiusque responsum habeatur.

Pro provincia s. Vincentii de Chiappa.

Ad petitionem provinciae ad praesentaturam promovemus p. fr. Ildephonsum Guirao, p. fr. Ludovicum Saetz, p. fr. Dominicum de Aldana.

Et praeterea promovemus ad praesentaturam titulo praedicationis pro hac vice tantum et supra numerum p. fr. Petrum de Montenigro, huius capituli ex electione provinciae diffinitorem et ab eadem provincia ad huiusmodi gradum et pro loco primo vacante postulatum, praemisso examine et ceteris servatis servandis.

Concedimus, ut fratres Hispani, qui per decennium cum assignatione reverendissimi p. magistri ordinis in hac provincia permanserint, censeantur in eam translati et incorporati.

Pro provincia Occitana.

Acceptamus vicariatum b. Mariae Virginis de Liesse nuncupatum pro nostro conventu Narbonensi sub obedientia et administratione prioris eiusdem conventus.

Concedimus, ut p. fr. Carolus Albert baccalaureus, p. fr. Hyacinthus Forestier et p. fr. Hieronymus Albertus pro magisterio et pp. fr. Ioannes Court et Franciscus Lacham pro baccalaureatu obtinendo possint pro examine subeundo ad reverendissimum magistrum ordinis accedere. Et approbamus baccalaureatum p. fr. Francisci Duranat, modo habeat requisita.

Pro provincia s. Laurentii de Chile.

Confirmamus omnia, quae pro hac provincia a capitulis generalibus et reverendissimo p. magistro ordinis fuerunt statuta et ordinata.

Confirmamus erectiones conventuum s. Ioannis Baptistae civitatis de la Serena, sanctissimae Assumptionis civitatis de la Assumpcion in provincia Paraquaya, et s. Dominici civitatis s. Ioannis de la Frontera, servatis servandis.

Approbamus omnes gradus a reverendissimo p. magistro ordinis fratribus huius provinciae concessos, dummodo ea servata sint, quae in literis patentibus eiusdem fuerunt praescripta.

Promovemus ad magisterium rev. p. praesentatum fr. Ioannem de Montiel, huius capituli diffinitorem et hic examinatum et approbatum. Item ad petitionem provinciae promovemus pariter ad magisterium, praemisso examine, p. praesentatum fr. Bartholomeum Lopez.

Ad praesentaturam vero promovemus patres in petitionibus provinciae pro locis vacantibus expositos, servatis servandis, nempe p. fr. Franciscum de Peñalosa, praemisso examine, titulo autem praedicationis p. fr. Laurentium Duran.

Declaramus, quod fratres Hispani, qui cum licentia reverendissimi p. magistri ordinis ex hac provincia discedent in Hispaniam reversuri, cum ad provinciam Peruanam pervenerint, non possint ad ipsam provinciam de Chile reverti, sed omnino in Hispaniam redire teneantur; declarantes, eos non esse in ea provincia de Chile assignatos, eo ipso quod ab ea recesserint.

Pro provincia s. Catharinae Martyris de Quito.

Sub praecepto formali et poena excommunicationis latae sententiae mandamus, ut nullus per emendicatos saecularium favores gratiam aliquam seu honorem aut officium sibi vel aliis directe vel indirecte procuret.

Confirmamus ordinationem capituli Parisiensis, ut nullus, quod aiunt, mestiçus id est natus ex Hispano et Inda possit ad habitum recipi.

Declaramus concessionem illam capituli Parisiensis, ut si fuerit aliquod dubium in electione provincialis, patres provinciae, magistri et praesentati decernant, quid faciendum sit, intelligendam esse de praesentatis ibidem praesentibus, cui consultationi et decreto interesse possint, qui fuerint in capitulis generalibus diffinitores.

Nullus accedere audeat ad monasteria monialium nostri vel alterius ordinis ad colloquendum cum eis sub poena privationis vocis activae et passivae et aliis poenis in decretis apostolicis contentis.

Si quis absque superioris licentia et dimissoriis literis ecclesiasticos ordines recipere ausus fuerit, subiaceat poenis per apostolicas et nostras constitutiones ac leges contra male promotos constitutis.

Declaramus, nullum a statu conversorum ad clericalem posse transire; et si forte abusus circa hoc irrepserint, huiusmodi translatos nec officia habere nec doctrinas administrare posse.

Mandamus, ut in unoquoque conventu infirmaria construatur et deputetur, ipsique superiores sub poena absolutionis ab officiis diligentissime studeant, ut infirmi ibidem magna charitate curentur, omniaque

necessaria illis subministrentur, nec ulla ratione permittant ipsos infirmos in domibus saecularium, multo minus in hospitalibus curari; declarantes eosdem praelatos, si huic mandato contravenerint, eo ipso a suis officiis absolutos.

In praecipuo conventu provinciae semper adsint patres aliqui doctiores ad ipsius conventus decorem et saecularium aedificationem.

Ut paupertatis votum inviolate servetur, nec unquam liceat alicui fratri aliquid pecuniarum, auri, argenti, lapidum aut rerum aliarum pretiosarum apud se vel apud saeculares retinere, sed in communi deposito conventus haec omnia serventur sub poena privationis omnium eiusmodi bonorum eo ipso incurrenda; quae quidem bona ex nunc in tali eventu declaramus conventui applicata.

Instituimus praedicatorem generalem rev. p. fr. Raymundum Hurtado ad titulum Indorum, huius capituli diffinitorem.

Pro provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

Monemus p. provincialem, ut opportune mittat in Iaponiam fratres ex sua provincia, idoneos ad illarum gentium conversionem, et saepius de progressu praedicationis certiorem faciat reverendissimum patrem nostrum generalem; ceterum pergat in tuenda huius provinciae arctiori observantia.

Pro provincia s. Petri Martyris.

Monemus rev. p. provincialem, ne eos confirmet in priores, qui verbum Dei proponere nesciunt.

Decernimus, ut cum quis ex debita licentia filiationem suam ad Taurinensem conventum transferre voluerit, duodecim saltem filii eiusdem conventus ad suffragium ferendum simul in capitulum convenire debeant.

Decernimus, ut, qui professi fuerint in conventibus, ubi viget arctior observantia, in casu penuriae fratrum cogantur in eisdem conventibus manere ipsamque regularem arctiorem disciplinam servare.

Declaramus, quod assignati per capitulum provinciale nequeant ad cuiuscumque instantiam revocari; quod si secus fiat, ipsa revocatio nulla sit et inanis.

Declaramus rev. p. fr. Hyacinthum Mariam de Casali esse filium conventus Taurinensis, cum emiserit professionem nomine conventus s. Petri Martyris de Barlassina, inconsultis patribus ipsius conventus Taurinensis.

Decernimus, ut servetur numerus graduatorum pro hac provincia a capitulis generalibus praescriptus.

Pro provincia s. Catharinae Senensis.

Approbamus translationem studii generalis a conventu sancti Dominici de Aquila ad conventum s. Mariae ab Arcu.

Mandamus, ut diffinitori capituli generalis persolvantur expensae pro itinere necessariae, ut in capitulo generali Neapolitano 1600 ordinatum fuit.

Acceptamus praedicaturas generales p. fr. Equitii de Narnia lectoris, p. fr. Xisti de Ferrariis lectoris, p. fr. Pauli de Osimo et p. fr. Theodori Romani lectoris, modo sint legitime ac intra numerum conventuum instituti.

Promovemus ad magisterium p. baccalaureum fr. Thomam Calorum, praevio examine et servatis servandis.

Damus in regentem praedicti studii pro loco vacaturo p. fr. Hyacinthum Scala, nunc baccalaureum ordinarium, et in baccalaureum ordinarium p. fr. Hilarium Ferrarium magistri studentium officio perfunctum, in magistrum vero studentium damus pro anno 1629 p. fr. Dominicum Porcinarium de Aquila lectorem, pro anno 1630 p. fr. Benedictum Nutum Lucensem lectorem et pro anno 1631 p. fr. Innocentium Marcellinum lectorem.

Pro provincia Russiae.

Declaramus, quod priores, cum sint in hac provincia triennales, non gaudent privilegio Iulii secundi, ut scilicet durent usque ad capitulum, si infra Septuagesimam et Pascha tempus sui prioratus expleant, cum idem privilegium de prioribus tantum biennalibus loquatur.

Declaramus, non esse celebrandum capitulum intermedium, quandoquidem provinciales in hac provincia sunt triennales, sed in capitulo electionis sumendam esse ab ipsis provincialibus rationem tum sumptuum tum suae administrationis et regiminis iuxta constitutiones nostras.

Erigimus in prioratus domos noviter receptas, si tamen ex certis reditibus vel consuetis eleemosynis alere possint et per annum aluerint duodecim fratres iuxta decreta apostolica et constitutiones nostras et dummodo praescriptos limites non excedant.

Concedimus, ut de consilio et assensu patrum provinciae id est magistrorum provinciae et eorum, qui fuerunt provinciales, iustam aliquam contributionem ultra ordinariam rev. p. provincialis pro novorum conventuum satis remotorum visitatione imponere possit.

Si numerus magistrorum non sit completus, promovemus ad magisterium, petente provincia, p. fr. Fabianum Premisliensem baccalaureum et fr. Coelestinum de Leopoli, huius capituli generalis diffinitorem. Ad gradum vero baccalaureatus p. fr. Petrum de Vilna lectorem.

Damus facultatem p. provinciali, ut de consilio graviorum patrum electionem trium priorum videlicet Iatzlovicensis, Sublapidensis et Ostrounensis conventuum ad revesendissimum magistrum ordinis devolutam efficere possit.

Assignamus in studio generali Bononiensi pro rata provincia et locis vacantibus p. fr. Stephanum Chmelnick et p. fr. Christophorum de Leopoli, in studio autem nostro Patavino pro rata eiusdem provinciae assignamus p. fr. Marianum de Iaslislia, in studio s. Dominici de Neapoli eodem modo assignamus p. fr. Camillum de Piatty.

Suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo domino nostro Urbano VIII. et felici statu sanctae matris ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Ferdinando et felici statu Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Francorum rege et reginis uxore et matre quilibet sacerdos unam missam.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo et regina quil. s. un. mis.

Pro serenissimo rege Poloniae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali Burghesio, nostri ordinis protectore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo d. cardinali de Aracaeli, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino cardinali de Cremona, ex ordine nostro assumpto, quilibet sacerdos unam missam.

Pro collegio illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo principe Condaeo, qui sua praesentia et humanitate hoc nostrum capitulum condecoravit, quilibet sac. unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis qu. sac. un. mis.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Antonio de Lenoncourt, primate Lotharingiae, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo huius civitatis Tholosanae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis ordinibus comitiorum generalium Occitaniae quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino d. Aegidio Lemazuyer, supremi senatus Tholosani principe, et pro toto senatu augustissimo, qu. sac. un. mis.

Pro amplissimo praeside domino de Caminade, insigni benefactore nostro, quilibet sacerdos unam missam.

Pro clarissimo viro domino Thoma de Moran, barone de Menigrenier, insigni benefactore nostro, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus benefactoribus, qui contulerunt eleemosynas huic nostro capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu totius ordinis nostri et eius capite reverendissimo magistro generali et in eius societate laborantibus quil. sac. unam mis.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, clericis litaniae, conversis vero decies pater noster et Ave Maria imponuntur.

Suffragia pro defunctis.

Pro animabus bonae memoriae illustrissimorum et reverendissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuas eleemosynas nostro capitulo generali in suis testamentis reliquerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro anima illustrissimi d. archiepiscopi Narbonensis, ex ordine nostro assumpti, quilibet sacerdos unam missam.

Pro animabus fratrum et sororum ordinis nostri, qui a tempore capituli generalis proxime praeteriti obierunt, quil. sac. un. missam.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. un. mis.

Ubi patribus sacerdotibus una missa, aliis clericis officium defunctorum, conversis vero rosarium imponitur.

Damus reverendissimo magistro nostri ordinis omnem nostram auctoritatem circa praemissa omnia, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, et eisdem addere vel detrahere, omnia denique et singula facere, quae nos agere possemus, praecipue vero circa promotionem quorumcumque ad quoscumque gradus, secundum quod eius prudentiae visum fuerit expedire.

Capitulum sequens, quod erit diffinitorum secundum, celebrabitur Florentiae in Italia, vel ubi ex causa rationabili reverendissimo magistro ordinis videbitur.

Fratres et sorores, qui gloriose obierunt.

In provincia Hispaniae.

Zamorae in monasterio s. Mariae soror Anna Maria de la Cruz, quae ne sibi leges nostrae, quas inviolate servabat, memoria exciderent, eas sua manu sibi conscripsit, et ne vel incauta delinqueret, perpetuam sibi monitricem adhibuit.

Tudelae in regno Navarrae in monasterio s. p. Dominici soror Ludovica a s. Gabriele (1), eiusdem monasterii fundatrix et priorissa, carnem miris modis afflixit decemque et novem totos dies aliquando potu abstinuit.

Toleti in monasterio Iesu Mariae soror Thomasia a Iesu Maria, suppriorissa, inter alias virtutes obedientiam perfectissime coluit.

(1) Cuius sororis vita describitur in codice quodam manuscripto bibliothecae universitatis Salmanticensis, cui titulus: Vida de Sor Luisa de s. Gabriel de la sagrada religion de santo Domingo. Sign. 4-3-32; 8°; 18 saec.

In provincia Romana.

Camerini in monasterio s. Catharinae soror Iulia de Piccolomineis, vulgo de Cicarellis, literarum ignara, officium tamen beatae Virginis recitabat: totum fere vitae tempus ieiunio quadragesimali transegit, semper vel humi vel in tabulato cubavit. Obiit nonagenaria nullo vexata morbo, sed natura ad finem sua sponte collapsa.

In conventu s. Marci Florentiae p. fr. Antonius Cafferellus post octuagesimumquartum in religione annum vita integerrima exactum.

In provincia Regni.

In conventu Argentii p. fr. Modestus de Castro Francorum puritatis amator eximius.

In conventu s. Mariae Sanitatis de Neapoli p. fr. Leonardus de Fusco Litteren., cuius vita et gesta ordinario processu examinantur.

In eodem conventu Sanitatis p. fr. Ioannes Riccius mirae abstinentiae et regularis observantiae.

In conventu sancti Dominici de Neapoli p. fr. Aloysius de Aquino, ad cuius sepulchrum ob singularem eius pietatem toti urbi notissimam populus magno affectu confluxit.

In provincia Aragoniae.

In conventu s. Dominici Maioricarum p. fr. Guillelmus Malferit, qui carnes a suscepto religionis habitu numquam comedit nec vinum bibit, ceterum poenitentia clarissimus.

Calataiubi in monasterio s. Ioseph soror Thomasa Moret, corpore licet tota vita infirmo, poenitentiae tamen operibus vacabat; ante mortem vero tres totos menses morbo conflictata mirae patientiae documenta reliquit.

In eodem monasterio soror Bernardina de Palafoix, priorissa, exemplo etiam regularis et illibatae vitae aliis praeivit.

In provincia Portugalliae.

In monasterio sanctissimi sacramenti Ulyssipone soror Margarita de Sacramento, naturae et gratiae donis praefulgens, nullam tamen humanam laudem unquam admisit, sed constantissima humilitate sprevit.

In provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum (1) igne lento consumpti sunt fratres sequentes:

Pater fr. Franciscus Morales, p. fr. Thomas de Spiritu sancto vel Zumarraga, p. fr. Iosephus de sancto Hyacintho, p. fr. Hyacinthus Orfanel, p. fr. Angelus Orsuccius Lucensis Romanae provinciae, p. fr. Lu-

(1) De provincia ss. Rosarii Philippinarum omnino legas opus, cui titulus: Historia de los PP. Dominicos en las islas Filipinas por FR. IOAQUIN FONSECA O. Pr. Tom. I-VI, Madrid 1870-72.

dovicus Flores, p. fr. Ildephonsus a Mena, p. fr. Petrus de s. Catharina seu Vasquez, p. fr. Mantius de sancto Thoma, fr. Dominicus laicus, fr. Ioannes et fr. Leo tertiarii ; quatuor hi postremi ex gente Iaponica.

Item capite truncati sunt p. fr. Thomas del Rosario, fr. Dominicus laicus et fr. Alexius pariter laicus, hi etiam tres Iapones.

Item squalore carceris confectus obiit p. fr. Ioannes de sancto Dominico.

Item lanceis transfossi obierunt p. fr. Ildephonsus Garcia et fr. Onuphrius Palao laicus in provincia novae Segoviae.

Vita vero integerrima exacta obierunt reverendi patres fr. Bernardus de s. Catharina, eiusdem provinciae Philippinarum bis provincialis, et p. fr. Gaspar Zarfate pater antiquus.

In provincia s. Catharinae Senensis.

In conventu s. Mariae ab Arcu p. fr. Thomas Siclus de Castanea, magnus novitiorum triginta annorum spatio instructor, in choro et in oratione assiduus.

In provincia Russiae.


Pater magister fr. Antoninus de Premislia, doctrina et pietate insignis, in Litvaniam, Moscoviam et Tartariam ad fidem catholicam propagandam fratribus suis viam aperuit.

In congregatione Indiarum Orientalium.

In insula de Solor interfecti fuerunt a Mauris de Lamaqueyra, qui a fide defecerant, p. fr. Ioannes Baptista e civitate Malacensi et fr. Simon a Matre Dei e civitate Cochim.

Laus Deo.

Fr. Ioannes Vincentius de Valentia magister,
socius reverendissimi patris generalis et
huius capituli generalis secretarius.



IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesg.

Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

Quorum monumentorum haec edita sunt:

Tomus primus: Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. REICHERT 1896.

Tomus secundus fasc. I.: Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. REICHERT 1897.

Tomus tertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1220 ad annum 1303 ed. REICHERT 1898.

Tomus quartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1304 ad 1378 ed. REICHERT 1899.

Tomus quintus: Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV. (appendix ad tomos III et IV) ed. REICHERT 1900.

Tomus sextus fasc. I-II. *Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta* edd. BALME-PABAN-COLOMB 1898-1901 (fasc. III. sub prelo).

Tomus octavus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1380 ad 1498 ed. REICHERT 1900.

Tomus nonus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1501 ad 1553 ed. REICHERT 1901.

Tomus decimus; Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1558 ad 1600 ed. REICHERT 1901.

Tomus undecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1601 ad 1628 ed. REICHERT 1902.

Sequentur:

Tomus secundus fasc. II.: Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. IUSTUS CUERVO (sub prelo).

Tomus septimus: Diversae Cronicae Ordinis (sub prelo).

Tomus duodecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1629 ad 1694 (sub prelo).

THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. REICHERT (tom. unicus).

Fontes ad historiam reformationis Ordinis in Germania pertinentes ed. REICHERT (tom. ca. tres).

Vitae primarum sororum Colmariensium de Subtilia.

Bullarium Ordinis Praedicatorum (*supplementum* continens acta ad provincias Germaniae pertinentia).

ROMAE

IN DOMO GENERALITIA

10, via dicta « San Sebastiano », 10

Bibliotheca Ascetica Ordinis Praedicatorum Antiqua.

Rm̃i P. fr. Andreae **Frühwirth** Mag. Gen. iussu edita.

Veneunt volumina in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano, Romae.

Vol. I. (fasc. 1, 2) **Brockhausen,** fr. Conradi, *Idea Novitii Religiosi,* Pars I, II, rec. fr. Thomas M. Wehofer, Romae 1898.

Vol. II. **Brokhausen,** *Idea,* P. III, IV. (sub prelo).

Vol. III. **Preissig** fr. Henrici, *Recollectio Spiritus*, rec. fr. Thomas M. Wehofer, Romae 1897.

Vol. IV. **Brockhausen,** *Cursus Mensilis (meditationum)* (sub prelo).

Balme-Lelaider, *Cartulaire ou Histoire Diplomatique de Saint Dominique. Avec illustrations documentaires,* Vol. I. 1893, Vol. II, 1897, Vol. III, 1901, venit Bureau de l'Année Dominicaine, 94 Rue du Bac, Paris.

Chapotin, *Études Historiques sur la Province Dominicaine de France.* Paris 1890 apud Victor Lecoffre.

Douais, *Acta Capitulorum Provincialium Ordinis Fratrum Praedicatorum. Première Province de Provence, Province Romaine, Province d'Espagne (1239-1302).* Toulouse 1894. Apud Édouard Privat, 45 Rue des Tourneurs.

Fages, *Histoire de Saint Vincent Ferrier, Apôtre de l'Europe.* Tom. I, II. 1893, venit Bureau de l'Année Dominicaine.

Humberti de Romanis, *Opera de Vita Regulari,* edita curante fr. I. I. Berthier. Vol. I. 1888, II, 1889. Romae in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano.

0
25

